



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### **Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### **About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>





R. 5132

VICTORIS  
**TRINCAVE**  
LII MEDICAE ARTIS VSV  
APVD VENETOS, DO-  
ctrinā apud Patavinos ce-  
leberrimi.

DE COMPOSITIONE ET VSV ME-  
dicamentorum Libri IIII. multò quàm  
*antehac correctiores editi.*

Cum Indice locupletissimo.



BIBLIOTECA  
HISTORIA  
DE LA FARMACIA

CVM PRIVILEGIO CAESAREO.

BASILEÆ,  
M. D. LXXI.

NOBILISSIMO DOM  
CTISSIMOQUE VIRO D.  
Ioanni Cratoni à Graftheim, DD. Fer-  
dinandi I. & Maximiliani II. Imper. Me-  
dico & Consiliario, patrono sum-  
mo, Petrus Perna typo-  
graphus S. D.



RENARI res ipsa negat  
contenta doceri, inquit ille;  
Liceat enim mihi eo modo  
te alloqui, Crato eruditissi-  
me, quo audacia mea, si qua forte obycia-  
tur, quam optime rationem reddere pos-  
sim. Nam in hac vestra medicina ac re-  
rum natura contemplatione, etiamsi non  
ita sim enutritus, vt de illis pro earum ma-  
iestate ac pondere tecum iam verba face-  
re queam: tamen puto etiam nobis, qui ty-  
pographicis nostris laboribus, cum reli-  
qua studiorum genera promouere iuuua-  
reque conamur, tum verò illud imprimis

## EPISTOLA

quo humani corporis sanitas comparatur & conseruatur, quid in quaq<sup>3</sup> re opera nostra praestiterimus, commemorare licere. Atq<sup>3</sup> id quidem eò magis mihi ipsi persuadeo, quò res ipsa sua natura praestantior, minus externa commendatione ornatuque, sed sola narratione indigere videtur. Victoris Trincauelij libros quatuor (quamuis vltimus ille ob auctoris obitum non ad finem vsque destinatum fuerit perductus) quos ab illo singulari dexteritate scriptos esse sciebamus, pro eo amore quo in omnes bonarum artium studiosos sumus affecti, in officina nostra quam fieri potuit accurate excudimus, atque id ob eam causam scilicet, quòd scirem illos magnum adiumentum scholis Asclepiadiacis allaturos. Et enim siue vniuersum medicinae Systema corpusque consideremus, siue partes illius singulas perpendamus, & inter se con-

DEDICATORIA.

se conferamus: comperiemus certè hanc quæ certam miscēdorum pharmacorum rationem & modum, item eadem illa re esse usurpandi continet, cum in tota vita præ cæteris plurimum momenti habere, tum permultum quoq; interesse, certam eius cognitionem, atq; doctrinam à clarissimis viris traditam conservare. Est enim, credo, ut in cæteris scientijs atque artibus ferè omnibus, sic etiã in Apollinea hac uestra ita comparatum, ut ipse finis omnium quæ in arte docentur præstantissimus sit: eorũ verò quæ ad finem ducunt, ut Aristoteles etiã in Topicis testatur, quælibet item eò maioris momenti, quò ad finem propius accesserint. Iam uerò ultimus in medicina finis, cuius gratia reliqua omnia docentur, in conservanda reparandaq; sanitate maximè apparet: idque iterum tribus omnino rebus ceu proximis instrumentis, Pharmacia scilicet,

## EPISTOLA

Chirurgia atq; Dieta. si modo hac paulo  
 latius sumatur, perficitur. Qua si ita se  
 habent, quis non videt, plurimum inter-  
 esse, vt veram aliquam, sinceram & ab  
 optimis doctissimisq; medicis traditam  
 componendi, cōpositis pharmacis recte  
 vtendi rationem habeamus? cū illa ip-  
 sa in suorum numero sint, quibus ceu pro-  
 ximis instrumentis arti medicae proposi-  
 tum finem cōsequimur. Atq; id quidem  
 cum alijs semper ita se habuit, tum verò  
 nostra maxime atate, in qua propter ma-  
 gis intemperantem viuendi consuetudi-  
 nem, subinde homines de nouis quibusdā  
 morbis conqueri audimus. Qui si nō sim-  
 plices, sed vt plurimum multiplices com-  
 positiq; sunt: talem quoq; parandorum  
 medicamentorum rationem tenere pro-  
 fectō oportet, qua illa compositis viribus  
 multiplici morbo quamcitiſsimè obuiam  
 ire possint. Ac mehercule si bene nobiscū  
 consi-

DEDICATORIA.

consideremus, quanta cura fuerit veterum medicorum cum simplicia tum composita medicamenta preparandi recteque tractandi, aut qui antiquissimi illi primique pharmacopœi fuerint, deprehendemus, non modo plurimum interesse ad operationem medicam feliciter peragendam, ut magnam huius medicinae partis habeamus peritiam, verum etiam eandem hanc singularem quandam religionem atque pietatem praeter ceteris requirere.

Ecce enim Ulysses tanta auctoritatis vir cum ad illum Mermeri filium, Iasonis atque Medea nepotem in Thesprotijs Epiri, sicut apud poetam legimus, pharmacopolam venisset, ut venenata medicamenta ad conficiendas feras, illinendasque sagittas emeret, id ab illo impetrare non potuit, quamvis summis precibus contenderet: metuebat enim religiosissimus vir, ne Ulysses, quem prius non noverat, is ad

## EPISTOLA

homines fortè interimēdos vteretur; qua  
 re necessum fuit tunc Ulyssē ad An-  
 chialum Taphiorum regem itidem phar-  
 macopæum proficisci, à quo ob notam pie-  
 tatem & antiquam amicitiam tandem  
 obtinuit. Ut hinc manifeste appareat, ve-  
 rustissimos illos cum simplicia tum com-  
 posita medicamenta singulari religione  
 tractasse, & eius rei provinciam non ni-  
 si regionibus, & maximis quibusq; viris de-  
 mandasse. Testantur id ipsum plurima  
 medicamenta, quæ usque in hodiernam  
 diem à maximis viris inventoribus atq;  
 compositorib; denominata habentur: sim-  
 plicia quidem, vt Genriana à Gentio Illy-  
 riorum rege, Artemisia ab Artemisia  
 Carie regina, Centaureū à Chirone Cen-  
 tauro Saturni filio, Hercules Achillisq;  
 præceptore: cōposita verò, Nitridatum  
 à Nitritate Ponti rege, cōfectiones Ha-  
 mechi, electuaria Episcopi, ungueta A-  
 grippæ

## D E D I C A T O R I A

grippa regis, et alia eius generis sexcenta. Quo magis profecto culpandi sunt medici illi, qui aliquot superiorib. seculis vixerunt, & ignavia socordiaq. sua passi sunt hanc medicinæ partem à reliquo corpore diuelli, totamq. indoctis quibusdam mechanicisq. pharmacopœis demandari: èò namque factum est, vt paulo ante nostra tempora per pauca admodum compositiones in officinis medicorum integræ haberentur: simplicium autem medicamentorum tanta esset ignorantia, vt magno cum egrotantium discrimine omnia promiscuè vsurparètur: Id. n. certè illis nequa quã accidisset, si veteres illos medicos fuissent imitati, & præ cæteris Galenum, qui simplicium medicamentorum historiam eorumq. præparandorum rationem per multis voluminibus tam clarè persequutus est, vt vel illinc facile appareat, quantum studij & diligentie ei rei attribuen-



## EPISTOLA

dum existimauerit. Neq<sub>3</sub> verò ignorarūt id clarissimi quidam medici, qui paulo ante nostram ætatem vixerunt: nam cū aduertissent, quantos errores maiorum suorum negligentia peperisset, cœperunt ipsimet hanc prouinciam subire, & tantum utiq<sub>3</sub> suis laboribus effecerunt, ut nostro tempore, quemadmodū reliquas disciplinas in hac literarum luce eruditè traditas possidemus: ita hanc quoq<sub>3</sub> medicinae partem ex tenebris in lucem vindicatam expolitamq<sub>3</sub> habeamus. Ex eorū autem numero vnus etiam fuit minimè postremus Victor Trincauelius noster, Crato eruditissime, ut ipse optimè nosti: qui posteaquā Venetijs medicinam multos annos magna cum laude fecisset, eandemq<sub>3</sub> etiam amplissimi illius Senatus stipendio publicè in Academia Patauina docuisset: ad posteros quoq<sub>3</sub> suæ eruditionis fructus literarū monumentis trāsmit

tere

DEDICATORIA.

tere voluit: & cum alia plurima præclara scripta reliquit, quæ si non omnia, aliqua tamen ex officina nostra deinceps prodibunt: tum verò hosce quatuor de usu atq; methodica verâq; pharmacorum compositione libras ita exaravit, ut per magnam lucem ei doctrina attulerit, & ijs præsertim, qui novi ad faciendam medicinam accedunt, prodesse queant plurimum. Atq; id possem ego, licet Typographus, & ab arte vestra alienus, facile demonstrare, ex diligentissimis illis, quas instituit singularum compositionum & simplicium eas ingredientium considerationibus: sed & tritum illud obstat, Ne sutor ultra crepidam: & pudor etiam vetat, de his rebus apud eum virum disputare, qui ut in omni genere eruditionis, ita in ista quoq; doctrina versatissimus, hac ipsa longè melius intelligere potest, quàm ego diuinare. Ad te autem, Gra

## EPISTOLA

to humanissime, hosce meos in comparã  
do excudendoq; Trincauelij labores præ  
ceteris mittere, tibiq; nuncupare volui,  
quòd existimauerim, istud clarissimi me  
dici opus nullius patrocínio melius defen  
sum iri, aut eruditis magis gratum acce  
ptumq; fore, quàm illius qui in eadem ar  
te longè doctissimus esset, & tãta insuper  
authoritate polleret, vt facile eos omnes  
cohercere queat, qui forte conatus nostros  
dicto factõne ledere tentent. Quibus ac  
cedunt etiam maxima tua erga me bene  
ficia, non semel atq; iterum, verùm mul  
toties exhibita. Primum enim, vt cetera  
omittam, cùm ante aliquot annos ipse  
pro tua eximia eruditione opus Thera  
peuticum de particularium morborum  
curationibus singulari eruditione scri  
psisses, tuam erga me beneuolentiam in  
eo cerè declarasti, quò id non nisi in offi  
cina nostra excudi uolueris. Deinde etiã

Ioan

## DEDICATORIA

*Ioannis Baptista Montani clarissimi illius philosophi & medici Consilij, à multis medicis iam ante magnopere desideratis, eadem nostram typographiam ornasti, & pro ea qua polles auctoritate apud Maximilianum Imperatorem Inuictissimum multa nobis priuilegia impetrasti, & impetrata in eum modum auxisti, vt nunc maiori cum emolumento atq; securitate excudendis multis bonis authoribus, & promouendæ reipub. literariæ, operam dare possimus. Multo verò omnium maxime illustre beneficium, mihi omni solitudine & amore præteritis diebus præstitisti, cum tanquam bonus causarum Patronus, mihi bona mea vindicasti, atque quasi postliminium Cæsaris auctoritate reuocasti. Hac verò omnia, atq; alia eius generis quàm plurima, quæ breuitatis causa prætereo, etiã si talia sint, quæ maiores fructus metere de*

## EPISTOLA

beant, maioremque animi grati significā  
 tionem postulent quam sint isti mei qua  
 lescumq; labores: tamen existimaui, te eā  
 humanitatem atq; beneuolētiam, quam  
 in conferendis beneficiis, declarasti iti  
 dem in acceptando vel tenuissimo mu  
 nusculo declaraturum: quod sanè ut fa  
 cias summopere rogo. Neq; enim hoc spe  
 ctavi, ut pro tot humanitatis & benigni  
 tatis tue officiis villo modo satis fecisse vi  
 deri vellem, nam scio me dum fruor hac  
 aura perpetuò tibi fore obligatū: sed tan  
 tū ut quocunq; modo significarem, me ac  
 cepti beneficij nequaquam immemorem  
 esse, ac si qua occasio detur, paratissimū  
 fore ad tibi quocunq; modo gratifican  
 dum. Vale. Basileæ ex nostra officina,  
 kalend. Septemb. M. D. LXXI.

EXCELLENTISSIMI  
MEDICI D. VICTORIS  
Trincauelę, de Compositione &  
vsu medicamentorum;  
Libri duo.

CAPVT I.



NON leuis & facilis, sed ardua cer-  
tè ac maxima prouincia est, quã  
suscepi, vt scilicet methodum ex-  
ponam, qua possitis aptè & vtili-  
ter medicinis, ijsq; tum simpli-  
cibus, tum arte commixtis compositisq; in egro-  
tis curandis vti. Cùm enim argumētum hoc ab  
antiquioribus ac celeberrimis medicis, etiam sit  
tractatum, nunquam tamen adhuc nobis satis-  
factum: quid à me illorum omniũ minimo spe-  
rari posse creditis, qui expectationi vestræ respõ-  
deam? Ne tamen me subterfugisse laborem pu-  
tetis, rem hanc vniuersam iam aggredior: id pri-  
mum vos monendo, me non per diexodum, vt  
Galeni voce vtar, rem hanc esse disquisiturum:  
nimis enim ampla ac lata, atque in vastum quasi  
pelagus tractatio hæc excresceret: si scilicet  
quæcũque cognitu necessaria sunt, vt rectè quis  
simplicia medicamenta componat, atq; eis aptè  
vtatur, in præsentia exponam, & singula suis de-

## 2 DE COMPOSIT. MEDIC.

monstrationibus declarem. Sed breuius, quo ad poterit & apertius agemus, non recedentes ab ea docendi ratione, quam compendium isago-geuè videbitur postulare. Cùm enim, vt Galenus sæpè tradidit, ei qui methodo simplicita medicamenta est compositorus, opus sit, vt eorum simplicium componendorum & commiscendorum naturam & facultates omnes, omnesq; numeros & gradus calleat, atq; perspectas habeat singularum affectionum symptomatumque & causarum naturas & differentias, vnde indicationes sumuntur & scopi, quibus medicus in medicamentis componendis & vtendis innititur: hæc quidem cùm sint copiosè tum ab alijs medicis, tum maximè à Galeno in suis libris exposita, atque ita vt aptius vel clarius à me explicari nunquam possint. Ideo hæc omnia, quæ de hac re in lib. de Simpl. medicam. facult. & in lib. de Morb. simpt. differ. & causis ab illo sunt scripta, & probata, tanquã fundamenta sermonis nostri principiaq; ponemus. At nec minus etiã temperaturas naturales corporum, quibus sunt adhibenda medicamenta, & eorum membrorum omnium ac particularum, quarum saluti consulentes, medicinas paramus & commiscemus, notuisse necesse est. De his autem omnibus Galen. in lib. de Tempor. & in Arte medica, eruditè & copiosè disputauit. Ideo & hæc à nobis tanquã constituta sunt accipienda, & Theorematis  
ibi

## LIBER I.

ibi probatis, tanquam principijs eorum quæ de cõpositione medicamentorũ dicemus, vtemur.

*Communia præcepta, et theoremata quæ sunt huic arti fundamenta explanantur.*

Caput I I:

**S**ed vt ordinem cõgruentem feruemus, & ne omnia confundamus, altius aliquanto rē hanc exordiar, & generalia quædam prius tractabo. Nam & quarto Meth. dicit Galenus, Methodum esse quandam generalem viam, quæ omnium particulatim communis est: Initium autem hinc esto: Medicamentum aut cibus ea ratione qua medicamentum & cibus est, absolutas aliquas res per se non significat, sed eas tantum quæ ex relatione dicuntur. Hoc docuit Galenus statim in principio primi libri de Facult. simpl. med. Medicamentum enim semper alicui medicamentum est, vti cibus alicui cibus. Vnde ibid. definiens medicamētum, dicit, quod est id quod naturam nostram alterare vel mutare potest, sicut cibus vel nutrimentum, est id quod substantiam nostram augere potest. Ex quo fit, vt vnum & idem cum diuersis diuersimodè collatum & cibus & medicamētum dici possit. Potest etiam nec cibus nec medicamentum esse. Comparatum enim ad humanum corpus (de his namq; nunc sermo nobis est institutus) medicamētum



#### 4 DE COMP. MEDIC.

& alimentum dicitur, quatenus ad nostrum negocium pertinet itidem & venenum. His posituris tandem ad institutum nostrum redeamus & dicamus: Quòd cum omnis methodus medicinalis ex ipsis indicationibus pendeat, primæ verò indicationes duæ sint, altera quæ ab essentia affectionis vel tollendæ vel custodiendæ, altera quæ à natura aut corporis aut partis affectæ depromenda est: compositionis & mutationis medicinarum occasio ab aliquo istorum trium semper petenda est, aut à natura corporis vel particulæ, cui illud est administrandum, aut à natura medicamenti administrandi, aut à natura affectionis, cui illud est administrandum. hæc enim maximè rationem medicamenti constituunt, nempe res ipsa, quæ dum ad aliud refertur, medicina dicitur, & corpus ad quod illa relata talis dicitur. In corpore autem iterum duo sunt consideranda, nempe affectio illa, quæ se esse in illo aut custodiendam, aut tollendâ indicat, & propter quam maximè medicamentum esse necessarium censemus, & ipsam illam corporis naturam. Sed hæc omnia vt clariora reddantur, exemplis declaremus. Et primo quomodo à natura affectionis occasio componendorum medicamentorum accipienda sit. In vniuersum autem id ostendamus, accipientes tanquam fundamentam quod à Galen. quinto Method. capite vigesimo-secundo exponitur, quòd vnumquodque vim habens

habens indicandi, aliquid vnum pro ratione suę naturę indicat: quod quidem si simplex sit, simplicem quoque habebit indicationem: si verò simplex non sit sed compositum, composita quoque erit indicatio: vnde etiam compositam remediorum & medicamentorum rationem requireret. Exempli gratia. Sit aliqua intemperies corporis nostri, quę alicuius particulę operationes lædat, statim ostenditur indicatio illius tollendę, & tollendę etiam remedij contrarij. At si illa simplex fuerit, vt calida aut frigida, &c. simplex quoque erit indicatio, & simplicem remedij rationem postulabit. Si verò calida & humida sit, vel calida & sicca, &c. iam composita insurgit indicatio. Quòd si illa intemperies cum materia fuerit, vt si sit frigida & humida ex materia pituitosa, crassa & lenta, iam multiplex est ratio indicationis. præter id enim quòd calefaciendum & siccandum sit, attenuandũ est etiam, incidendum & euacuandum. rarò autem vno & simplici medicamento possis his omnibus scopis satisfacere, ex qua ratione inuēta est dicta ratio medicamentorum componendorum, vt ex multis diuersarum facultatũ medicinis composito medicamento, vnum compositum constituamus, quod possit vnicuique indicationi suam contrariam facultatem afferre, quo affectus ex illa parte tolli possit. Sed præterea hoc notandum, quòd aliquando plures affectus vel in eodem mem-

## 8 DE COMP. MEDIC.

bro, vel in diuersis reperiuntur, quorum cum sigillatim propriam, vnusquisque remediorum requirat rationem, nec vnum medicamentum particulatim satisfacere possit, plura comparamus. A natura autem partis affectæ occasionem componendorum medicamentorum accipimus, vel propter membri dignitatē, & necessitatem actionis eius, cuius roboris semper habenda ratio est. Cum enim, exempli gratia, in affectibus vētris & iocinoris laxantibus & discutientibus, & digerentibus opus est, nunquam illis solis vtimur puris ac simplicibus, ne robur visceris dissoluatur, sed semper ea quæ astringunt sunt miscenda, ex Galeni decimotertio lib. Meth. 15. Vel aliquando etiam sumitur occasio medicamentorum componendorum ratione situs membri. nam si in altum membrum situm est, vt non sit facilis ad id transitus, aliquid cōmiscemus, quod tenuitate sua faciliorem & celeriore transitum faciat, antequam vis medicamenti à medijs partibus per quas transeundum est, dissoluatur, vt secundo De compositione medicamentorum per loca, in dolore & inflammatione capitis Galenus exponit. Acetum enim oleo rosaceo miscemus, quamuis doloribus acerū quantum ad naturam suam sit infensissimum, & in his affectibus sola rosacei facultate egeremus: quia cū cerebrum aut membranæ quæ profundæ sunt, laborant, vis olei rosacei eò non facile perueniret, & ideo addimus acetum, vt olei à tenuioribus ace-

ti partibus perducti, facilius sit penetratio. Vnde si externæ capitis partes laborent, vel si internæ sint detectæ, acetum reijcimus. In capitis enim & caluariz vulneribus, à mixtura aceti abstinemus. Tertio loco occasionem miscendi medicamento, à ratione ipsius medicamenti sumimus aliquando, atque hoc multis de causis, vt Galen. statim in principio primi de Composit. qui genera declarat. Quod vt magis perspicue explicare possimus, altius aliquâto rem repetemus. Dixi paulò antè, medicamentum propriè dici id, quod facultatem habet corpus nostrum transmutandi, vel vt dicunt, alterandi: ea verò facultas, qua medicamentum corpus nostrum transmutat, aut in elementa ex quibus constituta sunt qualitates elementorum resolutæ, quando per primas qualitates agit, vt sunt calor, frigus, humidum, siccum, aut etiam per secundas & tertias vel quartas. Qui enim affectus has secundas & tertias sequuntur, etsi statim à primis non oriuntur, tandem omnes in primas referuntur. Inde enim postremò omnis aliarum vis profluit, aut verò ea facultas in ipsas elementorum qualitates referri non potest, sed in totam substantiam & formam eius specificam: sicut dicimus, quòd scâ moneu habet vim euacuari bilem, item & Rhabbarum, colocinthis verò pituitam, veratrum autem humorem atrum, non quia calida aut frigida sint, sed quadam substantiæ suæ & formæ proprietate, & ita dictas interdum medicinas

## § DE COMP. MEDIC.

exposcimus ea ratione qua qualitatibus corpus immutant, aliquando autem qua vacuât & purgant. Quibus ita expositis, cum necesse sit vt facultates medicamentorum quibus corpus transformandum est, aut æquivalêtes sint, & aptæ earum transmutare, quatenus transmutatione opus est, aut etiâ minus, aut magis si æquales sint affectui quem requirimus, iam nihil est, quòd cum alijs misceantur. sin verò maiores sint medicamenti vires, quàm nobis sit ex vsu, commiscemus aliqua, quibus de illius medicamenti viribus detrahamus: quòd si minores, aliqua addeamus, quibus vires medicamêto adijciamus. Sed vt apertior hæc res reddatur, in vtroque medicamentorum genere hoc explanantibus exemplis agamus. Sit aliquis qui affectus sit intemperie aliqua frigida in ventriculo cum materia aliqua pituitosa ventriculo herente, quæ in flatû vertatur, & dolorem excitet, quæ tamen neque vehementer cruda sit, neque intemperies illa etiam admodum sit insignis, & velimus nos removere illam intemperiem & flatum discutere, & materiam attenuare, statim nobis occurrêt piper, aut zinziber, aut gariophylum, aut cinamomum: videantur autem hæc plusquam vellemus calefacere, aut quia minor est ea intemperies, vel quia iocinori timemus, tûc aliquid miscemus, quo nimium horum calorum obtundatur, vt sunt rosæ aut sandali, aut coralli, vel quidpiam simile, aut  
saccarum

## LIBER I.

9

faccarum rosaceum, aut mirobalani conditæ. Còtrà verò, si esset opus, absinthio in ea frigida intemperie remouenda, quæ cum humectatione ventriculi esset, substantiam eius laxantem, nempe vt ipsum calefaceret, & aliqua etiam detersione absinthio adderemus marrubiũ, quod aliquanto calidius est, & maiorem vim detergendi habet: ita etiam in purgantibus medicinis aliquando addendi roboris medicamento, aliquando detrahendi gratia miscemus plura medicamenta, & simul componimus: sicut si alicui expedire putaremus, vt purgetur, bilisq; detrahatur, ad hanc autem purgationem ciendam elegerimus ægyptiam siliquam, quã Arabes *Cassiam* fistulam nuncupant, & id vel ratione ætatis, vel anni temporis, vel laborantis particulæ, ille tamen cui eam daturi essemus, esset alui astrictioris, quàm vt leuioribus medicamentis facillè solui posset, cassiam cum portione alterius medicamenti, quod scamonium recipiat, quo cassia valentior in vacuando fiat, commiscebimus. Ita & Galen. vt ipse in dicimoquarto Meth. capite 17. ait, purgaturus mulierem, quam diu herpes detinuerat, cum omnia medicamenta renueret, sero lactis scamoneum immiscuit: ita & interdũ vsuri acri aliquo & valenti medicamento eius violentiam timentes, aliquid leuius & facilius commiscebimus, puta scamonio rhabarbarum adderemus, aut mirobalanos, aut manna, aut cas

sium aut aliquid quidpiam simile. Prima ergo oc-  
 casio componendorum medicamentorum à me-  
 dicinarum natura accepta, atque primus scopus  
 est hic, addēdi nempe aliquid, vel de viribus de-  
 trahendi gratia, vt additione ea, vel detractione  
 ad eam æqualitatem & temperamentum perdu-  
 catur, quod negotio accommodatum & con-  
 gruens esse videtur. Nec solūm in his quę nuper  
 diximus, scopus is locum habet, sed & in sopori-  
 feris, quę narcotica medicamenta, vel anodina,  
 hoc est, dolorem lassantia, à Græcis dicuntur,  
 quod in principio libri de Comp. per genera Ga-  
 lenus declarat. Componunt enim medici frigi-  
 da cum calefacientibus, vt vis ea quę soporem  
 & teporem adfert, ab illis obrundatur. Hic ergo  
 primus componendorum medicamentorum est  
 vsus, qui accepta occasione à natura ipsius medi-  
 camenti sumitur. Alter verò est propter odorem  
 vel saporem, vt aliam qualitatem ipsi naturę in-  
 gratam aut molestam ventriculo: vnde natura  
 id medicamentum reuens ad vomitum excita-  
 tur & exagitur, atque adeo Galenus & Hipp.  
 docuere, illi esse aliquid commiscendum, quod  
 gratiam aliquam & suauitatem cõciliaret. Nam  
 & Hipp. secundo de Ratione victus, in acutis  
 morbis peplio & veratro nigro pleuriticos pur-  
 gaturus, semina odorata commiscet, nempe fe-  
 niculi, anisi & similia, vt ibidem declarat Galen.  
 Ita interdum cum aliqua medicina opus est, quę  
 suapte

suapte natura plus iusto soleat morari in ventriculo, ne longiori mora illum nimis turbet, aliquam ei alterius medicamenti acutioris portionem, leuem tamen addimus, quod eius descensum acceleret, & inde ventriculum ea molestia liberet. Vnde agarico zinziber addimus, & sal quod germana vocant, interdum etiam oximel, nonnunquam autem, & si medicina aliqua eius qualitate utilis futura sit, quia tamen in ea alia est etiam qualitas que multum potest ventriculum & cetera precipua viscera laedere, sicut ferè omnes medicinae laedunt, quæ propriè soluètes sunt, vt scomeneum, colocinthis, elaterium, veratrum & aliæ huiusmodi, quæ alicuius venenosæ qualitatæ & naturæ nostræ inimicæ participes sunt, aliqua egebit mixtura, qua vt tollatur noua illa qualitas, aut illi obsistatur: vnde rationi experimentisq; innixi medici, aliqua quasi alexipharmaca (vt Græci dicunt) quibus incommodis harum medicinarum obsistatur, excogitarunt: quin scamoneum in malo cotoneo decoquunt, ne vis eius vires ventriculi dissoluat: & ista omnia habent sua medicamenta quibus corriguntur & consolantur. Tertius verò vsus vnde interdum medicamenta commiscere cogimur, est, vt aliqua forma & modus substantiæ medicamento detur: quæ forma & qui modus nobis maximè ex vsu futurus est. v. g. (vt ibidem Galenus dicit.) Si aliquod medicamentum nobis cōstituere velimus, quod



22 DE COMP. MEDIC.

emplasticam formam constituat, plura medicamenta commiscere necesse est: quia nullum reperire possumus, quod solum nobis hoc præstare valeat. neque enim cera sola, neque oleum solum, neque resina satisfaciet: nec item metallica medicamenta quæ coctura liquefcunt, sicut spuma argenti, aut alia similis naturæ: vnde necesse est, hæc aut omnia, aut quædam simul mixta coquere, vt ad eam formam redigantur, quibus dictas herbas contusas, & in puluerem diductas addimus, & arborum lachrimas & alia, prout indicationes variè ostendunt.

Vltimus etiam compositorum medicamentorum vsus, quem refert eodem loco Galenus, est vt medicamenta quæ à Græcis *πολύχρηστα* dicuntur, hoc est, varij & multiplicis vsus habeamus, sicuti qui theriacam & mitridatum antidotum composuere, id sibi proposuere, vt medicamentum conficerent, quod omnibus venenis aduersaretur, ac opem ferre posset. Hi ergo sunt omnes vsus vel saltem præcipui, quos medicamentorum mixtio nobis præstare potest, atque in hos tanquam in proprios scopos respicere oportet eum, qui rectè & ex arte medicamenta compositurus est.

*De differentijs medicamentorum, accepta ratione di-  
uerſitatis & partitione, à diuerſo modo  
uſus & adminiſtrationis.*

*Caput III.*

**S**ED cùm nihil magis ad doctrinæ perſpicui-  
tatem facere videatur, quàm diſtinctio & or-  
do, in his rebus præfertim quæ multiplicem  
& varium uſum habent, maximè autem uſus va-  
rietatem multiplicitemque ipſa medicamenta  
reſpiciunt, ideo niſi priuſquam particularium tra-  
ctationem inſtituamus, uſus hic diſtinguatur, &  
ad rectam partiendi rationem redigatur, confu-  
ſio maxima in diſcentium ac legentium animis  
facile ſuborietur. Diuiſio enim inter omnes me-  
thodos ad dearticulatam & exquisitam diſcipli-  
nam maximè conducit, vt ex ſententia Platonis  
v. de eius & Hippocr. Placitis Galenus docuit.  
Hac ergo methodo uſi, omnem methodum & ra-  
tionem qua vti ſolemus medicamentis partien-  
do exponamus: & dicamus quòd medicamenta  
quæ noſtro uſui accommodari poſſunt, aut ex-  
terius adhibentur, aut interius aſſumuntur. Quæ  
exterius adhibentur, diuerſum habent uſus & cõ-  
poſitionis modum, diuerſamque formam, nam  
aut cerata ſunt, aut emplaſtra, aut illinitiones, ſi-  
ue linimenta dicat, aut fomenta, aut lotiones ſi-  
ue balnea, aut pertuſiones, quas Græci embro-  
chas appellant, aut pulueres. Quæ verò intra cor

pus assumuntur, aut in nares attrahuntur iniiciuntur, aut in aures instillantur, aut ori induntur, aut inferius in anum immittuntur, aut per genitalia membra æquè in viris ac mulieribus administratur, sicut in affectibus penis, utri & vesicæ fit. In nares autem aut succos, aut decocta, aut liquores vehementer inspirando, vel spiritu attrahendo ad superiores & internas capitis partes adducimus: pulveres verò fistula aut penna exceptos insufflando adigimus. Quæ ore sumuntur, aut deuorantur, aut non deuorantur, sed diutius in ore continentur, quæ aut masticantur seu manduntur, aut ita quæta dum liquecunt continentur, ut Diacodion appellatum, & Diatragacanthum & elegmata, quæ delinguntur, & à Barbaris Loch dicuntur, aut verò gargarizantur. Quæ deuorantur, sunt aut catapota, aut boli dicti, aut potiones. In potionibus autem omnia quæ bibuntur comprehendere possunt, ut syrapi dicti à nostris, quod vocabulum apud Arabes potionem significat: nec eius quærenda Latina etymologia, ut quidam ex nostris fecere: decocta item cæteraque medicamenta fluentia quæ bibenda dantur. Quæ ano subiiciuntur clysteres sunt & glandes, vel ut iuniores dicunt, suppositoria. Per clysteres etiam quæ per æneam fistulam linimenta aut lotiones ob interna vlcera intestinorum iniiciuntur, iniici dicimus. Quæ per membra genitalia mulierum medicamenta recipiuntur,

cipiuntur, itidem sunt aut clysteres, aut glandes: invirile autē membrum liquida, & tantum fistula ænea aut argentea, aut simili propter meatus angustiam impelli possunt. Neminem nuac esse puto, qui his omnibus non oscitanter lectis non facile comprehendere animo possit, quàm sit magna harum rerum congeries & silua, quas tamen omnes hoc nostro instituto sermone cōplecti opus est, nisi mancum & mutilum negocium relinquere velimus. Sed vt tandem rem hanc particulatim magis tractare possimus, expediamus siquid præterea sit, quod in vniuersum sit cognitu necessarium, in quibus hoc potissimum est, quòd medicamenta tã simplicia quàm composita sunt medici instrumenta, quibus in curandis morbis vtimur: quorum congruēs vsus, cùm à recta victus ratione discefferimus, præcipua & maxima vis medicæ artis esse videtur, ipsius verò pars maxima in ipsorum cōpositione & mixtione sita est. Et sicut alia omnia apta & congruentia eatenus dicuntur, quatenus ex illis initijs pendent, à quibus vniuersa medendi methodus constituitur, nempe ex ipsis indicationibus, ita & horum rationem nō dissimilem esse dicemus. Vnde & in medicamentis componendis, non minus indicationes illæ sunt obseruandæ, quàm in alijs omnibus medicis instrumentis & operationibus obseruentur. quarum primæ duæ sunt, vna præcipua à temperatura

naturaque tum malè affecti corporis, tum etiam particulæ illius, cui aut propter quam medicamenta componenda sunt, & administranda. dixi verò naturam, quia non solùm temperaturam indicat, sed situs etiam figuraque & connexio, cæteraque in quibus natura membri consistit. Altera indicatio est à natura & essentia ipsius affectus, vel morbi ad quem tollendum componuntur. His succedunt & alię quæ non ita præcipuę sunt, nempe quia ad has referuntur: sed necessarię & ipsæ sunt non quidem propter se, sed tantùm quia ad exquisitam illorum cognitionem faciunt: illæ verò sunt, Aetas, regio, tempus anni, eius constitutio, consuetudo, vitæ studia, & instituta, vt sũt artes, & eiusmodi reliqua: de quibus omnibus & in methodo morbos curandi, & in libro de Compositione medicamentorum, & alijs itidem locis amplissimè Galenus disseruit.

*De differentijs medicamentorum quæ per  
os sumuntur.*

*Caput IIII.*

**H**orum autem omnium tractationem ab his inchoabimus, quæ per os sumenda sunt: quæ cum diuersam admodum, vt nuper exposui, differentiam habeant, vt clariori doctrina vtamur, alium à præcedenti partiendi modum sequemur: ab affectu scilicet & facultate harum  
medici-

medicinarum, vel potius à scopis defumptum, quos in exhibendis hisce medicamentis spectamus & intuemur. Medicamenta igitur quæ ore sumenda damus, aut ideo damus vt vitiosos & superuacuos humores, vel in vniuerso corpore, vel in aliqua parte congestos purgemus atq; euacuemus, aut per proprias medicamentorum vires vitia in vniuerso corpore contracta secundum qualitates, tam primas quàm secundas & reliquas, emendemus: sicut quando nitimur calidam partium aut totius intemperiem contractam, aut frigidam remouere, aut siccam aut humidam, vel etiam mixtas. Quod autem ad alias qualitates pertinet, sicut si leuia exasperare velimus, vel aspera lenire & leuigare: prætera laxa & rara astringere & densare, densa & attrita laxare & rarefacere, & reliqua his similia. Aliquando verò non solum vt corporis affectus transmutemus, vtimur medicamentis, sed quia sæpe non solum qualitate & affectione læditur corpus, & etiam vitiosæ materię præsentia, quæ affectionem particulæ fouet & seruat. ideo propter vitium quoque huiusmodi humoris corrigendum, medicamentum medicus, aut bibendum aut detiorandum offert ægrotanti, præsertim cum interna viscera aut vasa superuacui humores occupant, duplicem nimirum scopum respiciens. primus est, vt si fieri potest in bonam & vtilem naturam & munij corporis accommodatam, eos

reuocet: tunc autem quando vitium non sit insignne, reuocantur. Secundus verò scopus est, vt quando id fieri nulla ratione potest, saltem euacuationi aptiores reddantur, aut naturæ minus rebelles & minus nocui fiât, & quando lentum & crassum attenuare & secare, item detergere quærimus. Cumque tales succi sæpius obstructiones afferre soleât, ideo hos præcipuè scopos in curâdis obstructionibus spectamus: quando autem nimis tenuis est, crassiozem reddere contendimus: si sit autem ita acer mordaxque; vt pungens & abradens, tum naturam turbet & stimulet, inquietumque & dolentem reddat ægrotantem, tum vlceret internas aut externas partes, procuramus, vt aptis medicamentis & acrimoniam obrûdamus, & mordacitatem deliniamus: & subinde his omnibus rationibus ad facilem euacuationem paremus. Sed de hac quidem medicamentorum ratione posterius suo loco agemus. Nunc prius sermonein de his medicamentis instituemus, quæ vt corpus inaniatur à medico frequentius dari solêt. Eorum autem duplex est differentia: alijs enim vtimur, vt determinatam aliquam particulam purgemus, alijs verò vt vniuersum corpus inaniamus. certâ particulam purgando inaniunt, quæ apophlegmatismi dicuntur, quæque; vel mansa vel gargarizata caput & cerebrum, detracta ab eo pituita, vacuant: à iunioribus autem nostris tum masticatoria, tum garga-

gargarismata vocantur. Alijs verò vtinur, vt vniuersum corpus, atque etiam communes vias & viscera communia purgent: quæ quidem triplici sunt distincta facultate, sicut triplex est regio & triplex via sensibus manifesta, qua per medicamenta potest vniuersum corpus euacuari: nam aut superius per ventriculū & stomachū vomitu, aut per inferiorem aluum & sedem deiectionibus, aut per renes & vesicam vrina fit euacuatio. Et sicut triplex est regio per quam vniuersum corpus potest inaniri, ita & triplex est medicamentorū facultas, triplices eas regiones respiciens, à quibus & horum medicamentorum differentia nascitur. aliqua enim vim vomitum ciendi habent, alia inferiorem aluum, alia verò vrinam. De quibus omnibus quàm breuiori & manifesto sermone poterimus subinde agemus. sumpto tamen initio ab illis quæ ciendæ aluo inferiori in primis idonea sunt.

*De medicamentis purgantibus.*

*Caput V.*

Ed horum medicamentorum quæ ab Hip.  
**S**<sup>ύπιλατα</sup>, quasi aluum subducentia dicuntur distinguendorum ratio, tum à modo quo aluū cient est accipienda, tum verò à robore & vehementia facultatis qua aluus proritur. A modo quidem quo aluum cient, quia alia leniendo



& lubrica reddendo deijciendi in causa sunt, alia incidendo & detergēdo, alia atringendo & comprimendo exonerandi alui sunt occasione. alia verò sunt quæ propriè purgatoria, Græcè *καταρτίζουσα* dicuntur medicamenta, appellari à Latinis consuevere: & hæc attrahendo sua natura humores ad loca excretionis aluum proritant. Sed differunt hæc omnia, quia priora eas actiones quas pollicentur primùm & proximè, tum qualitatibus manifestis quibus prædiæ sunt, tum modò à proprietate suæ substãtiæ acceptas referunt. Vnde & primùm humores quibus occurrunt euacuant, & qui in ventriculo & in reliquis vijs reperiuntur, per quas transeunt, parùq; vltèrius purgatoria eorum vis extenditur. Quæ verò propriè Catartica dicuntur vel purgatoria medicamenta, proprietate suæ naturæ id faciunt, quæ aut eorum forma & substãtia est, aut aliqua proprietas statim formam ipsius medicamenti sequens, & rationem propriæ illius essentia: vt tamen & hoc his addamus, quòd priora etiam medicamenta, quamuis magis & efficacius agant temperatura sua & modo suæ substãtiæ, magis quàm aliqua vi attractoria, qua humores remotiores possint ad loca excretionis attrahere, non tamen omnis omnino facultas, qua hunc magis quàm illum humorem possint attrahere illis de negata est. Imò & hæc ita se habent, vt vna potius bilem, alia potius pituitam vel humorè melan-

Iancholicum attrahat. Vnde omnes authores qui de illis sermonem habuere, vnicuique eorū aliquam facultatem attribuunt, qua magis hunc quàm illum humorem respiciunt: sed illa facultas adeò breuis & imbecillis est, vt vix eius operatio conspici possit, nisi insigni copia exhibeatur. & propterea hæc medici in soluentibus medicamentis, quæ verè purgatoria sunt, minimè ponenda esse césuere. Sed & alio modo hæc duæ medicamentorum differentiz diuersam habent rationem, nempe quòd prior eorum est, quæ facilia sunt ac tuta, & aut nullam, aut quæ exiguam naturæ vim aut molestiam afferunt, & ex his ea etiam minus alijs quæ leniunt, vt sunt Manna, Calsia, Tamarindi, & quæ Sebesten ab Arabibus, Mixa verò vel Mixuria à Græcis, præsertim posterioribus appellantur. Item & pruna violæq; & rosæ, vel harum succi: præterea serum lactis, imò & lac ipsum præcipuè asinæ. Nam huiusmodi omnis ferè medicamentorū qualitas expertia sunt. Vnde & sæpe illis simplicibus vtimur, & sine alterius rei compositione & mixtura. quòd si aliquando illis aliquid addimus, illud fit, vt eorum operationem acceleremus & adiuuemus, quæ & debilis & tarda nimis interdū esse solet, & ea ratione magis aliquam solent molestiam afferre, quàm quòd eis insit vlla maligna vel naturæ aduersaria qualitas, quæ mixtionem vnde corrigantur, requirat, aliqua tamen ipsorū

non nihil visceribus incōmodi afferunt dū operantur: ita vt ob eā rem egeant aliqua, vt iuniores dicūt, cōsolatione, vel correctione, præsertim verò in illis qui imbecilliozem aliquā particulā habent, & illi incommodo obnoxiam, cuius occasio id medicamentum esse solet: sicuti cassia quæ leuia & imbecilla intestina habentes lædit. in illis enim tormina, flatus & dolores concitat. Tamarindi quoque aciditate sua ventriculo debili & frigido officiant: nec Senæ medicamentum est satis ventriculo commodum. Ad tollendas itaq; huiusmodi noxas interdum has cum alijs, dum vti volumus, componere soliti sumus, quāuis etiam alijs de causis id fiat, de quibus magis particulatim postea agemus. Alterius verò differentię medicamenta, quæ & propriè purgantia, vel Græcè *καταρτυα* dicuntur, omnia & virosa sunt & acria, & sua natura qualitatis naturæ aduersarię, & quasi veneno non expertia: quæ nisi reprimantur & corrigantur, possunt magis lædere quàm iuuare. vnde & insignem exigunt cautelam, moderationem & temperamētum, quod sibi comparent aliarum medicinarum mixtione & compositione & quasi condimento, proindeque, rarissimè simplicibus, sæpissimè verò mixtis & compositis illis vtuntur medici. De vtrisque autem cum sit habendus sermo, rationi magis consonum est, vt à prioribus incipiamus, mox & ad alia sermonem conuertamus. Et quia non  
solum

solūm inter simplicia medicamenta, hæc distantia intercedit, sed ex compositorum numero alia sunt facilia & lenia, quæ aut nullam, aut modicam admodum agitationem & conturbationem concitant, dum aluum mouent: alia verò corpus nō parum agitant & turbant, ideo vt exactior doctrina euadat, de ytraque medicamentorum compositione tractationem instituemus.

*De usu purgantium medicamentorum leuium & faciliū, quæ benedicta ab Arabibus & Iunioribus dicta sunt, secundum generales rationes.*

Caput VI.

**N**on omnia simplicia medicamenta quæ ad presens institutum referri possunt, in præsentia percurremus: nimis enim in longum nostra prouheretur oratio, & ultra huius instituti fines: qui sunt, vt Isagogicam tantūm compendiosamq; doctrinam huius rei explanemus nouitijs, non autem exactam penitus atq; absolutam prouectioribus tradamus. Quæ ergo facilia sunt, & quibus sunt soliti medici læpe vel solis & simplicibus, sine alterius rei mixtura vti: & id propterea quod ex se quidem nullam habent naturam, vel qualitatem corpori humano noxiam, quæ medicum cogat vt illi quidpiam addat, quod eius malitiam reprimat atque emendet. Sunt filiqua illa Aegyptia, quæ Calsia

ab Arabibus & iunioribus dicitur, quæque antiquis medicis (quod vsquã me legisse meminerim) fuit ignota. Item & Manna ab Arabibus dicta, vel mel Aereum à Græcis, vel alio modo appellatũ. Et Tamarindi vel hi ad palmularum filicium genus adtineant, vel aliud sint, à Græcis posterioribus Oxiphenices vocantur, quasi acetosæ palmulæ. Nam puto illos errare, qui esse dicunt, quos Galenus appellat Phenicobalnos. Serum lactis, præsertim caprini: & in eodẽ ordine Hipp. & Galenus, vt patet quarto de Ratione vict. in ac. com. vij. coctũ Asinæ lac posuit. Rosa etiam vel eius succus, & pruna. præterea Mirobalanorum ab Arabibus appellatorum genera tria, vt sunt Citrinæ, Chebulæ, Indæ. Dixi ab Arabibus appellatorum, quia Græci Mirobalanon, glandem vnguentariam nuncupant, quã Arabes Been, ni fallor, vocant. Præterea Rhabarbarum, Aloes, Absinthium, Fumaria, vel fumus terræ, Senæ, Epytimum. Si quando autem non solis his vtimur, sed potius alijs additis componimus, nos ratio multiplex vt hæc cum alijs componamus adducere potest: quia aut horum medicamentorum per se, aut purgandorum humorum, aut morborum, qui eorum vsu curãdi sunt, aut corporum, quorum curationem tractamus, gratia ea componimus. Alia itaque interdum propter propriam ipsorum naturam, his leuib. medicamentis adijcimus. quod quidem dupliciter

citer fieri potest. Nam aut propter vim & facultatem qua aluum cient & soluūt, aut propter aliquam aliam in eis qualitatem ad primas vel secundas pertinentem, hæc miscemus. Quatenus spectat ad facultatem qua aluus cietur, additionem alterius rei requirunt medicamenta leuia, quia omnia in vniuersum, vt prius diximus, primum tardè admodum ventrem soluūt, & suam in hac re operationem absoluunt: deinde verò & debilem vim mouendi & trahendi, vel educendi purgandos humores habent. ex quo aliquando hæc incommoda sequuntur. ex priori quidè quod aliquando tunc commouent, quando agitari humorem purgandum, aut corpus purgari non oporteret, vt in initijs accessionum, vel alijs incongruis eiusmodi tēporibus, & interdum quo tempore cibus acceptus in ventriculo esset concoquendus, vt deinde turbatus ventriculus ex medicamenti motione, cogatur simul & cibū & medicamentum reijcere. Ex altero autem sequitur quòd imbecillitatem facultatis motricis mouent quidem purgandos humores, sed non eam vim habent, vt possint eos soluere & educere: vnde moti & educti, molestiam longè maiorem afferunt, & sæpe in causa sunt, vt accessiones doloresque & reliqua simptomata, maiora fiant. nōnumquā etiā pro sua imbecillitate paulatim mouent, & frequenter cogunt ægros, vt ad deijciendum assurgant, quod non parum la-

boris & incommodi laboranti adducit, dum scilicet parum deijciunt, & sepiſſimè affurgunt. Quamobrem medici, vt his malis occurrant, aliquid addunt, quo vel accelerari poſſit operatio, vel vis eorum augetur. Quatenus autem ad alias eorum qualitates pertinet, quia quædam eorum vel minus calefaciunt, vel refrigerant plus quàm velimus, aut nimis astringunt & exasperant, aut minus laxant & leuigant. Ideo medici ſepe vt hos exceſſus corrigât, & mediocritatem quandam adducant, aliquid addere conſueuerunt, vt paulò poſt de Mirobalanis, Tamarindis, Rhabbaro, Caſſia, Manna, & alijs quibusdam exponemus. Natura verò purgandorum humorum medicos impellit, vt his medicamentis aliquid adijciant, tum ea ratione, quia nonnunquam nõ vnus tantum humor eſt euacuandus, ſed plures, ſicuti cum ſunt craſſi cum tenuioribus humoribus mixti. Et quamuis leue medicamentum eam vim ſua natura habeat, vt tenuiores humores facile purgare poſſit, craſſiores tamen non poteſt, ideo aliquid addemus, quod in craſſioribus humoribus mouendis, opem his ferre poſſit. Etenim Aloe per ſe biliſos humores & pituitoſos, ſi tenues fuerint, poteſt educere, craſſos verò minime. vnde Hiera compoſita eſt, quæ ſimplex vel ex Aloe dicitur, in qua additis aromatibus, quæ vim habent attenuandi, fit vt craſſos & lentos humores poſſit euacuare. Sunt etiam alia quæ ſimplicia

plicia, vnum & simplicem humorē purgare possunt, alium verò aut nullo modo, aut adeò infirmiter, vt si aliquid purget, nihil tamen, quod alicuius momenti sit, possit euacuare: quibus si aliqua alia misceantur, quæ hæc ex ea parte iuuent, illum item humorem faciliè vacuabunt. sicut Aloe addito Epiteimio vel Senæ, melancholicum & vstum humorem faciliè & sine molestia euacuabit. Sed & morborum natura quandoq; medicum cogit, medicamenta hæc cum alijs componere & miscere, atq; id multiplici occasione, primò, quia nō vna erit, & simplex indicationis ratio, quæ medico vacuandum esse suadet, sed quoquo modo composita, vt si quis diarrhæa in media ætate corripitur, quæ a copia bilis in vniuerso corpore congesta, ortum habeat, ea de causa medicus iudicet agendum esse iuxta eam regulam, quæ sæpe fluxum curandum esse fluxu præcipit, velitque copiam illam, leui & facili medicamento vacuare, duos sibi scopos proponit: primùm vt medicamentum illud, ratione tum temporis, tum naturæ vacuandi humoris & intemperiei calidioris corporis, ex qua illa multa bilis genita fuit, nō plurimum calefaciat: & præterea vt post euacuationem, aliqua astrictione propensionem naturæ ad fluxum & viarum laxitatem refrenet, ne magis naturæ motus concitetur, quæ deinde præceps faciliè agi possit. Vnde aut Cassiam eligemus, aut Manna, aut Tama



rindos, & eis addemus Rhabarbari quippiam,  
 vel citrinarum mirobalanorum, vt vnciæ liquo-  
 ris, vel, vt aiunt, floris Cassiæ, dragmam Rhabar-  
 bari in puluerem redacti, aut tantundem miro-  
 balanorum, vel parabimus infusionem (vt iu-  
 niores loquuntur) Rhabarbari ad sesquidragmā  
 ex decocto fructuum parato ex iuiubis, tamarā-  
 dis, prunis & similibus, cui Syrupi rosacei solu-  
 tui aut mannæ ad duas vncias, aut aliud his si-  
 mile addemus. Eodem modo in febribus calidio-  
 ribus, ventrem Rhabarbaro purgatum, quod il-  
 lis alioquin calefaciendo aduersarium esse vide-  
 tur. Commodus autem eius vsus est, tam aperiē-  
 do si quæ sunt obstructiones, quàm biliosam ma-  
 teriam purgando, ipsum refrigerate decocto ma-  
 cerabimus, & alia addemus medicamenta, quæ  
 eius quidem calorem temperent, neq; vim pur-  
 gatoriam impediunt, sed potius iuuent. Possē-  
 mus multa præterea eodem spectantia exempla  
 exponere, sed hæc pro exemplo satis esse puta-  
 mus. Ratio deinde corporum, quibus purgato-  
 ria medicamenta sunt exhibenda, medicamen-  
 tis simplicibus aliquid addere suadet, quibus ea  
 commixta faciliorem speramus operationem ef-  
 se præstitura: quod quidem aliquādo necessum  
 est, propterea quia, & si quod ad naturam medi-  
 camenti attinet, id maximè sit scopo quem sibi  
 medicus proposuit adeptum, corpus tamen a-  
 deo strictum est, & difficilis aluus, vt his leuio-  
 ribus

ribus solui nequeat, & ob id aliquid quo vis medicamenti exacuetur & augeatur, addimus. Aliquando autem quia in nonnullis aliquod viscus est in firmū, quod facile ab aliqua medicamenti, quod alioquin esset oportunissimum, qualitate lædi posset, ideo ne aliqua ex parte lædat, sed profit vndeque, aliquid illi miscemus, quo imbecilliolem particulā ab iniuria medicamenti defendat. Nam cum cassia, intestina sua natura laxa & leuia habentibus nocua sit: tamarindi verò ventriculo infirmiori & frigidiori, quando (vt inferius dicemus) ijs vti medici volunt, medicamentum aliud inueniant, quo primam quidem facultatem purgandi non impediunt: læsionem verò quam alioquin afferre posset, emendant.

*In quot & quibus consistat tota ratio congrui usus medicamentorum, cum horum de quibus nunc, tum aliorum quæ uim maiorem habent.*

Caput. VII.

**S**Ed his vniuersaliter expositis de istius modi medicamenti magis particulatim, ac de cōgruo eorum vsu agamus. quod vt rectius faciamus, prius hoc generale theorema inuestigemus, quod ad hoc negocium non parum facere videtur: nempe quot ea sint in quibus omnis ferè congruentis horum medicamentorum

### 30 DE COMP. MEDIC.

vsus ratio cōsistit. Ea (vt arbitror) quatuor sunt:
 qualitas & natura medicamenti quo vti volumus,
 quantitas eiusdem: modus vel forma qua exhiberi
 commodius potest: vltimo tempus ea administrandi.
 Qualitatem medicamenti primum & per se indicat
 vacuandi humoris natura & qualitas, quia id
 medicamentum ad vacationē moliendam eligendum
 est, quod possit cōmodè & tutò eum humorem
 educere, qui aut noxius est, aut verò timemus
 ne noceat, quia aut morbum facit, aut facturus
 est, vel ipsum fouet, vel focturus est, vt primo
 libro Aphor. docuisse tum Hipp. tum Gal. viderur.
 Et quamuis hæc medicamēta quæ leuia sunt, &
 quorum vis ad remotiores & penitiores venas
 non pertingit, plerunque vacuant eos humores
 qui in vijs communibus sunt, aut in locis prope
 eas, & eos quibus occurrunt: attamen vnum
 quodque eorum omnino vnum magis quàm alium
 humoris naturæ suæ proprietati purgat, præsertim
 si in aliqua copia detur. Vnde hæc facultates
 sunt exactè à medico memorizæ tenendæ, vt
 accommodatum medicamentum possit eligere: neque
 hoc solum referendum esse putamus ad qualitatem
 eius medicamenti, quod primario tanquàm nobis
 opportunum elegimus, sed ad alia etiam quæ
 cum his sunt commiscenda. Nam sæpe medicamentum
 quod alioqui ineptum & noxium esset, mixtum
 (vt tertio de temp. Gal. ait) fit aptū &
 &

& nostro scopo satisfaciens. Sed & primo de Comp. medic. per genera dicit, quod idem medicamentum alijs immixtum diuersos effectus gignit, & horum indicatio ab illis accipitur, quæ nobis vel corrigendum esse medicamentum demonstrant, vel eius viribus aliquid addendum esse, eo quod aut imbecillius sit quàm corpus, aut humor qui euacuandus est, requirit, vel vt alium etiam humorem purgaret. Et hæc non solum in vniuersum, sed etiam particulatim sunt cognoscenda. Nam sæpe aliqua inter nonnulla medicamenta familiaritas & naturalis affinitas intercedit, vnde felicissimè cõmisceri possunt. Et sæpe, vt experientia docuit, duo sunt simplicia, quæ quamuis eiusdem sint naturæ, alterum tamen altero maiorem cum tertio familiaritatẽ habet & conformitatẽ, ita vt id cum altero mixtum, feliciorem in purgando sortiatur effectum, quàm si cum altero fuisset compositum. sed de his particulatim paulo post agemus. Hoc tantũ in vniuersum exposito, quod semper ratio maior illius medicamenti habenda est, quod primario nobis opportunum ad ex purgandũ corpus fore censemus: neque illi ea addenda sunt, quæ eam illius vim detrahant & operationem impediunt vel tardent, cuius gratia maximè id elegimus. Huic autem priori capiti accedit & temperies corporis purgandi, tempus & regio. Nam calida & sicca regione, itemque tempera-

## 32 DE COMP. MEDIC.

tura, & tempore aestiuo, ab acrioribus, calidioribus, & validè exiccantibus medicamentis cauendum est. Contrà verò à frigidioribus & humidioribus in contrarijs regionibus, temperamentis & temporibus:

*Vnde accipitur quantitas uel pondus assumendi medicamenti.*

*Cap. VIII.*

**Q**uantitatem verò commodam medicamenti exhibendi docent, partim magnitudo & quantitas morbi, itemque copia euacuandorum excrementorum, corporisque purgandi natura & vires: quibus etiam additur temporis, ætatis & regionis ratio. Nam cum omnium natura constantium vel per se considerentur, vel ad alia referantur, sit certa quædam & determinata ratio, sint certi denique fines, hoc item in medicamentis collatis cum corporibus, quorum ratione hoc habent, quòd medicamenta dicantur, obseruari potest quando certa quadam mensura administrata modeste illa afficiunt, infra quam vel nihil efficiunt, vel parum admodum, ita ut non modò iuuare non possint, sed etiam lædere, dum mouent quidem succos, sed illos deinde superare non possunt & vel digerere, vel educere: supra autem illam mensuram immodicè mouent, & effrenis est

est eorum operatio. Ea verò mensura non omnino est indiuidua, aut eadem semper, sed latitudinem habet: quin moderata & certa hæc mensura variari potest, quantum ad idem medicamentum pertinet, aut ratione corporis purgandi, aut ætatis, aut temporis, aut regionis, atq; aliorum multorum. Nam corpora quædam, nisi copiosiori exhibito medicamento solui ac purgari nequeunt, alia verò vel modico etiam accepto soluuntur. multos enim noui, qui vel semiuncia cassiæ deuorata, liberalissimè fuere purgati, tamen alij semiuncia paruissimè sunt inaniti. Sed & pueri non possunt æquè copiosum medicamentum atque grandiores & adulti admittere: præterea ætate corpora facilius & minori soluunt medicamento, quàm hyeme: quare fines certè mensuræ medicamentorum aliquàto ampliores sunt. Sicuti ver. gr. cassiæ Aegyptiæ à semiuncia vsque ad sesquiunciam, vel ad summum vsque ad duas vncias, potest esse congrua mensura. & quia acceptus erit liquor ex filiquis extractus, quas cannas vocamus, ideo oportebit ut medicus, qui ea rectè uti volet, exactè corporis purgandi rationem habeat: nempe an à medicamento faciliè corpus illud vacuari soleat. nam minori copia egebit, maiori verò qui sunt alui astrictioris. Mox ad morbum & copiam humorum vacuandorum respiciat, quia cum morbus leuis est & facilis, neque periculum aliquod in morâ



esse videtur, quod nos semel & confertim vacuare cogat, possumus minori copia medicamenti uti: sed sapius & minori illata vi nature parcius vacuare. At verò si fit morbus, qui vacuandum iam esse indicet, neque longam moram videatur admittere, id medicamento addendum erit, quo morbosus humoribus liberalius detrahis, ægrotus subleuetur, & fomentum morbo subtrahatur. Nec minus excrementorum quæ vacuanda sunt, copia erit aspernanda. nam si multa illa fuerit, & medicamentum modicum exhibuerimus, quod paucitatis ratione imbecillius quoque sit, tunc maximè excrementa excitantur & mouentur, nec tamen ab imbecillo illo medicamento educi aut expelli possunt. Vnde fit vt magis molesta, imbecilla huiusmodi medicamenta fiat (semper enim causa morbosa cum mouetur, vt Galenus secundo de Causis Symptom. testatur, nocentior est, quàm cum quiescit) vnde ad hoc incommodum vitandù, vel maior medicamenti quantitas erit exhibenda, vel illi aliud valentius erit immiscendum, quo illius viribus aliquid addatur.

## De forma &amp; consistentia medicamenti.

## Caput IX.

Ed & formam, vel modum medicamēti exhibendi eligimus, partim illius cui medicamentum dandum est, naturam & morem respicientes, partim morbi, quo ille laborat, rationem considerantes, quibus & temporis status & natura additur. Nam vt à primo incipiamus, aliqui sunt, qui nunquam catapotia, vel pilulas, neque bolos deuorare potuerunt, nec syru pos admittere. Sed primùm hoc considerandũ, quòd medicamentorum formæ substantiæue, vel consistentiæ modo plurimùm differūt, quia pilulæ substantia constant, quæ alijs cōpaetiōr & solidior est: potiones verò dilutiori, tenuiori, & magis fluida. Inter has verò medio quodam modo se habent, quæ vel boli à iunioribus dicuntur, vel confectiones quæ ex saccharo fiunt decocto, ad consumptionem vniuersi ferè externi liquoris, quo fuerat dilutum, vt deinde in orbis vel in rotulas redacti & refrigerantes in solidiorē compagen transeant. Sed hæc medicamenta, quamuis solidiora etiam pilulis primùm videantur, tamen dum manduntur, ab eo qui est in ore humore dissoluta, teneriora fiunt. Modus verò assumptionis est, quòd boli & pilulæ deuorandæ integræ dantur, quia facilius ita sumuntur. Cùm enim ingrati saporis & odoris plerunquē



sint, non possunt sine multa molestia & interdū fastidio ore diutius teneri, sed deuoratæ statim ad imum ventriculum delatæ, minus sumētem affligunt. Portiones bibendæ dantur. cū enim fluidæ sint, citò defluunt. Confectiones verò (ita enim nunc vulgo dulciora appellant quæ saccharo condiuntur vel parantur) cum alijs omnibus minus sint ingrata, propterea, quia saccharo dulcescunt, & gratiam sibi conciliant, mandī facile possunt. Sed redeamus iam vnde diuertimus. Nonnulli nunquam potuere vel voluere catapota deuorare: imò eorum aliqui, dum medicorū suasu aut assistentiū sumere niterentur, ferè stragulati sunt. Alij verò bolos omnino detrectant: quòd si cogantur, omnia euomūt, qui tamen potus facillimè accipiunt. Alij si liquidas biberint medicinas, statim vel paulò post eas vomitu reijciunt, facile autem pilulas vel bolos admittant & continent: appellatas autem confectiones facilius, nomine ferè & dulci primo gustu decepti pueri accipiunt, & qui perinde atque pueri delicati sunt. Consulenda itaque naturæ ratio, & consuetudinis eorum qui medicinas sunt assumpturi, & rarò aliquid à medico repugnante natura agendum est. Præterea verò cū medicinæ solidiores semper saltem actu, imò plerunque & potestate sicciore sint, liquidiores autem humidiores, vbi minus exiccare voluerimus, liquida & fluida medicinæ consistentia oportunior erit,

quàm

quàm solida & magis sicca. Quòd si humidior esset affectus, præsertim verò cum materia, non esset ineptum medicamentum id quod non solum potestate, sed actu etiam siccum esset. Quod de ratione naturalis affectionis corporis dixi, illud idem ad morborum rationem est referendù. Vnde rarissimè pilulis in febribus vtimur, præcipuè si magnæ & acutæ fuerint, & in alijs calidioribus morbis, rarò etiam æstate & temporibus calidioribus. Nam in potionibus facilius est calorem & siccitatem medicinarum retundere refrigerantibus decoctis, vel aquis & syrupsis, mox in bolis & confectionibus.

*De tempore accommodato & oportuno sumendi medicamenta.*

*Caput X.*

**P**ostremò verò multam ad cògruenté medicamentorum vsum tempus vim habet, quod sicuti multiplicis est significationis, quatenus ad nos pertinet, ita quoque multiplex de eo sermo est faciendus. Nam cum de tempore vsus alicuius medicamèti loquimur, aut tempora morborum spectamus, id est, vel eius principium, vel incrementum, vel consistentia, vel decrementum: aut ad anni tempora respicimus: hyemem scilicet, æstaté, autumnum vel ver: aut particulatim ad horas, vel partes dici: vt si quæra-

mus, an manè dandum sit medicamentũ, & homini ieiuno, vel magis vesperi, & post cœnam assumptam? Si de verè purgatorijs & fortioribus medicamentis sit instituenda, inquisitio, iam ab Hippocr. & cæteris antiquioribus medicis definitum est, occasionem purgãdi à ratione humorum petendam esse. in vniuersum enim si purgandum est, aut in initio morbi purgandum est, aut post concoctam materiam, id est, vel in fine vigoris, vel status, vel iam incipiẽte inclinatione. Distinctionis autem vel electionis temporis opportunioris, occasio à motu vel quiete humoris accipiẽda est. Nam si statim ab initio, natura à multitudine vel praua succorum qualitate concitata eos exagitat, & vel ad varias partes importunè moueat, vel ad expellendos nocuos humores in membro aliquo principali, hæc naturæ concitatio fieri videatur, quamprimum fieri poterit, aut illa eadem die, illa materia erit euacuanda. quod si stabiles sint humores, neq; præcipites moueantur, vel si moueantur quidem, sed ad vnum certum locum mouerẽtur, vbi ne vel multitudinis vel prauæ naturæ humorum, aut loci illius quò tendit, nobilitatis ratione aliquod magnum malum excitaretur, timendum non esset: morari tãtisper expediret, donec híc humor à natiuo calore esset & coctus & paratus: & tum demũ obseruantes quid natura ageret, de purgatione discernendum esset: quia si natura sponte sua ageret,

geret, & excrementitios coctosq; humores quã  
tum satis esset excerneret, omne negocium natu  
ræ relinquendum esset. Sin autem vel ipsa non  
moueret, vel parcius quàm expediret, medica  
mentis & auxilijs nostris esset iuuanda aut exci  
tanda. Præterea verò ex alio etiam capite potest  
hæc distinctio accipi, videlicet, à scopo quem si  
bi medicus in vacuando proposuit. Nam cum  
aliquando purgantibus medicamentis ea tantũ  
ratione vtamur, vt copiam malorum humorum  
detrahamus, aliquando verò etiã vt alicuius ma  
teriæ in aliquem locum confluentis, impetum  
reuellamus & auertamus, quæ quidem aliquod  
insigne malum illi loco sit allatura, quod in supe  
riorum partium, capitis nempe, oculorum & a  
liorum sensuum instrumentorum, fauciumque  
affectibus fieri sæpe solet. In his enim purgabo  
per medicamentum, quod reuellēdi vim habet,  
vt Galenus decimotertio Meth. docuit, capite  
vndecimo. Reuulsuri itaque non nisi in princi  
pio purgamus. reuulsio enim est remediũ, quod  
huiusmodi morborum initijs propriũ est & ac  
commodatum, vt idem Galenus sæpe quarto &  
quinto Meth. docuit. alioquin verò expectãdus  
est status & concoctio, vt tamen & hoc confide  
randum sit, quòd diligens hæc horum temporũ  
obseruatio, præsertim adhibenda est in eorum  
medicamentorum vsu, quæ certos & determina  
tos humores attrahendi & soluendi vim, & eam

quidem validam habent. Nam ijs quæ leniendo purgât, vt Calsia, Mâna, Tamarindi, violæ, rosæ, pruna, lac & eius serum: possumus commodè & tutò vti, si oportunitas indicet, & in initijs & alijs morborû temporibus. Nâ eandé ferè ratione habent, quàm & clysteres leues, præterquam quòd clysteres ad ventriculum & superiora intestina non pertingunt, quod huiuscemodi medicamentis non est denegatum: attamen neque ipsa ad penitiores venas, & remotiora loca perueniunt, sed tantùm communes vias purgant, vel si aliquas venas attingunt, proximas & primas attingunt: neque humoribus qui vacuationi inepti sunt, & egent concoctione vim vllam afferunt. Testis est Galenus cum Hippo. quarto de Ratione victus in ac. morb. com. vij. qui in febre ardenti, vbi amarum fuerit os, quod bilis in ventriculo contentæ est argumentum, ad eam expurgandam, timens purgantia medicamenta, quæ calida & acria sunt, propter febrem, lac asinæ coctum copiosum bibendum dat, vel eius serum: qui viri si istiusmodi leues & caloris, omnifq; acrimoniæ expertes medicinas nouissent, aut in vsu habuissent, lacti (mea quidem sententia) in febre illa prætulissent. Quamuis autem consideratio hæc illis magis possit accommodari, quæ posteriùs de illis medicamentis dicenda erunt, quæ verè soluentia & purgantia dicuntur, rei tamen consequitione ducti, ea hoc loco voluimus

quimus exponere: cui & hoc addendum existima-  
mus, quòd neque etiam medicamentis omnib.  
quæ ad tractationem hanc pertinent, & inter fa-  
cilia & benedicta collocata sunt, ex ratione pos-  
sumus inter initia morborum vti, præsertim in  
febris à putredine humorum excitatis, qua-  
rum præcipua causa est obstructio: quia, quæ vim  
insignem habent astringendi, in principio ante-  
quam attenuati & incisi fuerint, & partim etiam  
vacuati humores, qui multitudine, crassitie, len-  
toreq; sunt obstructionum causa assumpta, ob-  
structiones, & subinde febres augerêt. huiusmo-  
di autem sunt Mirobalani & Rhabarbarum: vn-  
de rarissimè, & ferè nunquam periti medici illis  
initijs febrium, & ante materiam paratam vtun-  
tur. Tempus deinde potest accipi, vt diximus,  
quatenus scilicet totius anni horas & tempesta-  
tes respicit, id est, Ver, Aestatem, Autumnum &  
Hyemem: & quatenus ad hanc acceptionem per-  
tinet. Vtui medicamentorum absolute tempo-  
ra maximè apta sunt Ver & Autumnus, vt Gal.  
exponit, explanans Aphorif. illum. Sub Cane &  
ante Canem: præsertim verò id in fortium medi-  
camentorum vsu, quæ purgatoria propriè appel-  
lant, obseruandum est, vt à vehementibus calo-  
ribus & frigorib. caueamus, tunc enim vti pos-  
sumus his facilioribus & lenibus: attamen & in  
horum vsu aliqua discretione opus est. Nam quæ  
qualitatib. sunt moderata, tam simplicia quàm

composita in vsum venire facilè, tam æstate quàm hyeme possunt, vt Manna & Cassia: quæ verò refrigerant, hyeme magis cauenda sunt, vt Tamarindi, Mirobalani, violæ & similia: ita quæ calefaciunt & exiccant, æstate non ita facilè sunt admittèda, vt Rhabarbarum, Aloe, Seneg, Epitimū, & id genus reliqua. Cùm verò tempus respicit particulatim diuersas diei partes, mane, vespere, & meridiem continet, dupliciter potest considerari. nam aut id ad naturam differentiū diei partium refertur, aut ad aliquid quod frequenter in illis contingere solet. matutino autem tempore, si id quod frequentius contingere solet spectemus, omnes ferè cōcoctiones, vel saltem prima & secunda sunt absoluta: plerumque autem & excreta earum excrementa: in meridie vel aliquāto antea, eibus assumptus est, vespere autem nostris his temporibus, cœnamus noctu, somno & spirituum viriumque refectioni vacamus: sed & concoctioni tempus, id est, maximè opportunum. In morbis verò præsertim his, qui suas accessiones per periodos habent, inuadunt accessiones interdum matutinis horis, interdum meridianis, nōnunquam autem vespertinis aut nocturnis. Quæ quidem omnia æquè cibi exhibendi rationē ac medicamento mutare possunt. Vnde si de tempore diurno loquamur, quod ad eius naturam pertinet, tempus & hora matutina ad accipiēdas medicinas est oportunior, tum  
 propter

propter rationes nuper expositas, tūm verò quia tempus id in die magis est temperatum, & quod ex proportione Veri respondet. Sed si ea quæ solent in horis contingere cōsideremus, sepe priorī consideratione postposita, alteri rei incumbēdum est, & alijs horis ægroto medicamētum est exhibendum. Et vt de ea indicatione sermonem primò habeamus, quā nobis symptomata morbi accidentia ostendunt, semper illi qui oportune huiusmodi medicamentum exhibere voluerit, tempus accessions est declinandum. Inter Symptomata verò Galenus primo Aphorif. & accessiones collocat. Ita autē accessions tēpus declinandum esse censemus, vt neq; eo tempore medicamentū exhibeatur, quod deinde accessions tempus ea consequatur, vt in initijs accessions medicamentum purgando moueat, Sed & id monuit Auic. vbi dicit: In die paroxifmi non esse quippiam mouendum: quod & Oribasius libro septimo, capite vigesimo tertio confirmat, cuius inscriptio est, Quos & quando & quibus, &c. quod in vniuersum tamen ex verbis Galeni, hinc inde excerptum est, vbi ait, quòd accessiones quoque quo modo sit euacuandum docent. Nam dum accessio infestabit, à superioribus educes: vbi destiterit, quod intermissionem dicimus, ab inferioribus detrahes: quod si aut quotidie fiant accessiones, aut febres sint continentes, ita vt nequeat tandiu sine cibo es-



se ægrotus, nulla que sit intermissio, vel adeò bre-  
 nis vt medicamento & cibo deinde exhibendo  
 non sufficiat, remissionis vel inclinationis tem-  
 pus erit eligendum. Huic deinde consideratio-  
 ni succedit & illa, an potius ante vel post acce-  
 ptum cibum, vel simul cum cibo medicamētum  
 sit offerendum. Nam his omnibus modis, si ea  
 diligenter obseruemus, quæ fieri à medicis quo-  
 tidie solent, medicamenta purgantia dantur. Po-  
 tiones enim ieiunis & ante cibum, aut semper,  
 aut plerunque solemus exhibere: post cibum ve-  
 rò, imò post cœnam sumptam vna vel altera ho-  
 ra, in affectibus præfertim capitis, catapotia de-  
 uoranda tradunt, aut omnes, aut plures hac no-  
 stra tēpestate medici: efficacius enim ab eis pos-  
 se caput expurgari putant, si medicamenti vapo-  
 res cum illis qui ex cibo euaporant simul mixti  
 ad caput feruntur. Simul autem cum cibo, vel  
 in cibo interdum, idque etiam in iocinoris affe-  
 ctibus, vt ipse decimo tertio Meth. capite deci-  
 mo quinto testatur, medicamentis purgantibus  
 Galenus vti consueuerat. Epithimum enim vel  
 veratrum nigrum, ex ptisana coquebat, quam  
 deinde sorbendam dabat. item & polipodium  
 vel enicum, quod Cartamum Arabes dicunt.  
 Sed & parum Scamonei ex ptisana datum dicit  
 ipse, primo de Facul. aliment. parcissimè purgat.  
 At cum à differentibus occasionibus accepta sit  
 differens hæc exhibendi medicamenta ratio, nō

ab re ergo fuerit, huic etiam rei distinctiones aliquas adhibere, quibus iuvenes eruditi & moniti, occasiones & oportunitates percipiāt, quibus innixi quid quoque tempore pro rei occasione agendum sit, cognoscant. Itaque nisi ab his uouerimus recedere, quæ cum in antiquis & probatis autoribus, tum etiam medicinam faciendo obseruauimus, priorem modum ut tutiorem, & rationi magis consentaneum amplectemur: nēpe ut vacuo ventriculo & homini ieiuno, purgantia medicamenta assumenda offerantur: neque enim in hoc probando tempus contereandum puramus, cū res hæc ferè omnibus in confesso sit. Nam quod vel intermixta cibus, vel post cibum exhibentur, id sit tantum particulatim, & certis definitisque (ut paulo post dicam) occasionibus. Hoc tamen animaduertendum, cuius etiam nos monuit Hipp. secundo de Ratione vict. text. xiii. & ibidem etiam Gal. quod ab accepto medicamento aut statim cibus dandus est, aut si differendus est, tantisper morandum, donec & purgatio & motus medicamenti absoluat. Nam si dum purgatio fit, cibus sumatur, operatio purgantis medicamenti exoluitur. Quod si tu quæras quodnam horum magis præster, vel statim ab assumpto medicamento commedere, vel differre donec medicamentum suum absoluit operationem, dicerem, hanc quæstionem commodè definiri non posse, nisi hæc duo prius

considerentur, nempe & vires medicamenti, &  
 causam propter quam post medicamentum ci-  
 bum damus. Nam vt à priori incipiamus, si leue  
 fuerit medicamentum, qualia ea sunt de quibus  
 præfens sermo institutus est, cum id validas ad-  
 modū vires habeat, & tardè vt diximus antè, mo-  
 ueat, possumus paulo post assumptum medica-  
 mentum cibum dare. nam leuia medicamenta  
 à calore vètriculi facillè superantur, & facillè eo-  
 rum vis dissoluitur. Imo sæpe etiam coquantur  
 & in alimentum, anteaquam aliam moliantur  
 purgationem, transeunt. & vt Gal. dicit tercio  
 de Facul. simpl. med. cap. xxvi. facilius in illis  
 medicamentis fit, quæ omnino à ratione cibi nõ  
 sunt aliena, vt sunt Manna & Cassia. Vnde cibo  
 exhibito non ita facillè medicamentum dicitur,  
 cum ventriculus, vt rei sibi magis familiari, cibo  
 concoquendo magis incumbat. Prætereaverò  
 cum tardè soluant & moueant, iusto longior ple-  
 rumque esset mora, si eousque moraremur cibū,  
 donec purgatio esset perfectæ. Vnde post acce-  
 ptum medicamentum, quòd statim comedant  
 precipimus, vt anteaquã medicina ad actum de-  
 ducta, mouere aluum incipiat, iam propè con-  
 fectus & concoctus fit cibus: quòd si interdum  
 ex ratione apparatus, quia promptior & aptior  
 & facilior ad deijciendum venter fit, idem ante  
 concoctionem mouere incipiat, cum in fundo  
 & sub alijs resideat, potest facile aperto piloro-  
fina

finē magna cibi perturbatione descendere. At rursus quis dicet, cur cum cassiam non in portione dissolutam, sed in bolo damus, non præcipimus, vt Hipp. consulit, id est. quòd statim ægrotus comedat, sed horam interponi iubemus? Dico hoc tamen ratione medicamenti fieri, sed magis illius qui medicamentum sumpsit. Fieri enim ferè nequit, quin, dum medicamētum deuoratur, aliquod fastidium vel nausea comitetur: vt ergo interim motus & turbatio ventriculi sedetur, interuallum id interponitur. Sed & causa propter quā cibum post medicamentum damus consideranda est: quia interdum non ideo præfertim cibum damus vt alamus & vires reficiamus, qui tamē in alendo corpore primus & præcipuus est scopus, sed magis alterius alicuius commodi gratia, ratione sanè repertæ in eo cibo alicuius qualitatis. Quando enim medicamentum ex eorum genere est, quæ vètriculum, si aut eius pars, vel impressa qualitas aliqua hærens ori eius in transitu relicta sit, plurimum ledere & turbare possunt, cibum aliquem offerimus, qui possit lenire & medicamenti qualitatem obrudere, atque relictas particulas de ore ventriculi detractas detergendo ad imum perducere. Vnde non omnis cibus, sed pitifana præfertim cōmendatur, quæ cū cibus sit ventriculo familiarior, gratior est, quàm si quid offeratur, quod naturam medicamēti referret. Huc acce-

## 48. DE COMP. MEDIC.

dit, quod non solū lenitate acrem & molestam illum medicamento qualitatem demulcere, & sedare humiditate potest, sed etiam deterfione si quid medicamenti in transitu gulæ, vel ori, ventriculi hæret detrahit. Quòd si medicamentum aut huiusmodi esset, aut ita paratum vt id incommodum non timeremus, differendus cibus esset in vsu quidem fortium medicamento- rum, quovsq̃ purgatio facta fuisset: in illis autem quæ aluum lenitate cient, per aliquod breue spatium (id quod etiam Gal. secundo de Facul. alim. cap. xxxi. docuit) cibus sumendus est, hac nimirum ratione, vt si ante cibum medicamenta exhibitã sint humiditate & lentore aluū efficiant, & leniant: atque si non statim post exhibitum medicamentū, sumptus sit cibus, eam magis lubricam faciant, quàm facerent si statim post medicamentū cib⁹ ingereretur. Prius enim à calore ventriculi dissoluuntur, & quasi liquantur, vnde & partes lenes reddunt, per quas transeunt: nam si cum cibus essent commixta, ab illis horum vis confunderetur, & quasi obtunderetur. De his autem medicamentis quæ vel simul cum cibo danda, vel ex pisana aut ex alio cibo coquenda censuit Galenus, ita statuendum esse existimo, quòd hæc sanè aut leuia sunt, aut quæ facili & leui motione ventriculum turbare aut concoctionem impedire nequeant: quia, præsertim si quid habent acrimoniæ, id à muliebri

liebri natura eorum ciborum, quibus miscentur lenitur & remittitur, & cibus adeo medicamentum superat, ut id quod ex utroque commixtum est, dici magis cibus debeat, qui medicinalis alicuius facultatis sit particeps, quam ad ea quæ propriè medicamenta dicuntur referri. Quod si valentiora etià medicamenta cibus coquere Galenus solitus est, adeo modicam tamen eorum quantitatem coquendam immiscebat, ut tum ex eo quod concoquerentur, tum etiam multa copia cibi moderatiora & meliora facta, aluum non nisi leniter ac modicè ciere possent, ita ut nulla vetriculi turbatio, aut noxa accidere posset, quæ alicuius esset momenti. quod inde patere potest quia & in iecinoris inflammatione curanda eorum meminit, cum tamen valentiora medicamèta eiusmodi affectioni maximè aduersentur. Aloen enim & hyeram in id genus inflammationibus viij. de Comp. medic. secundum loca, damnauit, atque id præsertim, si nondum cõcocta inflamatio fuerit. Quod verò ad id atinet, quod proximè dixi, prætermittendum non est, id est, quòd huiusmodi medicamenta cibus incoctam propriè & absolutè, nec medicamèta esse dicenda, nec cibus, sed magis cibus, qui particeps medicamentosæ qualiratis factus sit. eiusmodi autem inter cibos reperiri multa, liquidò cõstat, quæ & cibi quidem sunt, suapte tamen natura etiam medicamenti officio funguntur. At nun-

quam neque Hippocr. neque Galenus, neque peritus aliquis medicus aliquod medicamentum cibo immixtum, quod huiusmodi esset ea copia exhiberet, ut liberaliorem & copiosiore[m] posset purgationem moliri. Sed tandem etiam pauca dicamus de consuetudine illa quam iuniores nostri introduxere, nempe ut medicamenta purgativa post cibum, præsertim verò post cœnam deuoranda præbeant, quod in primis in catapotiorum vel pilularum usu seruare soliti sunt, id autè non in omnibus, sed in capitis tantùm affectibus curandis obseruât, ea quidem ratione, quòd hoc modo & facilius & valentius caput inaniri posse putant, cùm medicamenti vapores, vel saltem eius vis cum vaporibus, dum cibus in ventriculo conficitur, ad caput delata efficacius possit excrementa in capite congesta detrahere. Sed neque hic modus vnquam mihi placuit, neque ratio eorum suis magis partibus fauet, quàm aduersariorum. Ne autem hoc temerè dixisse videar, rationes adduco, quæ me in hanc sententiam impellunt. Et ut primò à leuiori incipiã, constat quòd omnium ferè pilularum materia est Aloe: rarò enim pilulas inuenies, quas antiquiores descripserint, quæ Aloen non accipiant. Atram Aetius libro tertio vbi de Aloe loquitur. Et Paulus libro septimo dicit, quòd etsi commodè vespere à cœna dari possit, melius tamen est, ut mane accipiatur & ante cibum. Paulus verò huius rei rationem,

tionem, quam Aetius prætermisit, addit, quia, inquit cibum ipsum si post fumatur, corrumpit, sed hoc præmittamus. nam hoc cuiuspiam fortasse satis anceps videbitur. Auicenna enim secundo Can. capite de Aloe, contrarium videtur sensisse, cum dicit: Neque enim cibum corrumpit, quamuis addiderit, si ex eo fiant pilulæ mixtæ cum ijs quæ rectificat ipsam. Ac primam quidem partem ex medicinali compendio Orisbasij ad Eustachium scripto sumpsit. In vniuersa autem hac oratione, cum dicit, quod cibum non corrumpit si misceatur cū his, quæ illâ rectificat, duo videtur insinuare, primùm quod solum sine aliorum mixtura cibum corrumpit, deinde hoc esse tanquam Aloes priuilegium, vt ne à cibo etiam sumpta, cibum corrumpat, quasi purgantia cætera medicamenta possint cibum corrumpere, quod alioquin neq; præter rationem esse videtur: quia venenosa ferè natura omnia medicamenta cōstant, & ventriculo in primis aduersantur (si de verè soluentibus & purgantibus loquamur, quæ & cibi natura rationeque sunt aliena) vnde si vitiosus aliquis humor, præsertim biliosus, in ventriculo congestus sit, vel post cibum quidem in ipsam confluat, sæpe, vt omnes medici dicunt, cibum corrumpit. acria etiam medicamenta non minus virosam, & cibis aduersariam habent naturam, quare non minus poterunt cibum corrumpere si cibo immisceantur, cum



purgantia præfertim medicamenta, cum cum humoribus, quos purgando sua natura trahunt, habent familiaritatem. vt quemadmodum tertio de Simpl. med. fac. cap. xxiiij. dicit Galenus. Si à calore ventriculi superata coquantur, in eum humorem vertuntur, quæ attrahendi vim alioquin habent. Adde præterea, quòd qui à cibo fumenda esse medicaméta volunt, secus ac Galenus & Hippocrates præceperint, agunt. Nam cum medicamentum aliquod purgatorium, quod verè medicamentum, nõ autem veluti cibus medicinalis dici possit, accipiendum est, in primis studeat illi ne minima quidem eius vis, vel particula in descésu intercepta, ori & superioribus ventriculi partibus hæreat, quæ eas turbare & irritare possit, sed vniuersum ad imum vètriculum descendat. Et ideo, vt paulò superius dicebam, forbendam esse ptisanam hordeaceam consulerem, quæ si quid superioribus partibus hæserit, deorsum ad imum detrahat. Sed hi recentiores in hæc incommoda incidunt, quæ antiquiores illi summo studio declinabát. Post cibum enim acceptum medicamentum ab eo suspenditur, & impeditur, quo minus possit ad imum ventriculi delabi, imò cogit vt proximè ad os ventriculi moretur, quod facillè quidem constabit, si quid nam ventriculus agat ab accepto cibo considerauerimus: qui quidem æquè ex inferiori ac superiori parte sese colligit, vt vndiq; cibum  
conco-

concoquendum complexetur, & ei coquendo hæreat. his quoque & id accidit, quòd medicamenta post cibum sumpta, si celeriter & breui tempore purgare inceperit, quod tum ex medicamenti natura potest contingere: si nempe his constat, quæ celerem habent operationem, tum verò ex corporis atque humorum vacuandorum natura & præparatione, duo hæc incommoda facillè sequi possunt. Alterum quidè quòd cum medicamentum vitiosos humores attrahat ad se, vt ferrum magnes, attracti, & cibo adhuc in ventriculo moranti cõmixti, illum facillè corrumpent. Alterum autem quòd superiorem ventriculi partem commouens & concitans, facillè in causa esse poterit, vt vomitu simul cibus & medicamentum rejiciantur, vnde maior deinde conturbatio quàm purgatio subsequutura sit. Postremò autem & ex loco à simili, & ex verbis Galeni quarto de Sanitate tuenda, capite septimo depromptam addo rationem. ibi dicit, nullum medicamentum, quod ad distributionem alimenti in vniuersum corpus insignem vim habeat, post cibum esse dandum, quia tum eum coqui quàm distribui magis expedit: quare & nos eadem ratione concludemus, cum cibus ingestus est, vtilius esse vt ille concoquatur, quàm vt venter purgetur, præsertim cum purgatio concoctioni maximè aduersetur, vt idem Galenus quarto de Ratione victæ in acc. morb. autumat.

Ratio quoque qua ipsi vtuntur, nullam vim habet ad id probandum quod ipsi affirmant, imò magis eorum sententiam videtur explodere. Primum enim nō ideo maiorem vim humores purgandi vel attrahendi medicamentum habebit, quòd cibi vaporibus immixti vapores medicamēti sint, aut eius facultas sit illis impressa, quia vt etiam probat Galenus, non est necesse quòd medicamētum, aut eius pars aliqua, vel aliquid aliud medicamentosa ea qualitate humorem petat vt attrahatur, quia propria sua natura vel tota substantia, à medicamento fit attractio, sicuti etiam ferrum à magneto trahi dicitur, vnde sua pte natura ad eum locum attractio fit, in quo est res quæ vim attrahendi habet, siue quidem eam insitam habeat, siue aliud acquisierit. Nam ad illum locum ferrū attrahitur, in quo est magnes. sed & ferrum si magnete fricetur, aliud ferrum, quòd ipsi proximum sit ad se attrahit: pari itaq; ratione, cum ex antiquorum medicorum sententia, attractio quæ à medicamento fit, magnetis attractioni respondeat, medicamenti vel ciborū vapores, qui iam affecti à medicamento sunt, caput petentes eò humores attrahent, & ita non modò faciliorem non facient purgationem, sed illam potius impedient. Verum enim uerò experientia docet, quod vbicunq; fuerit id quod vim habet attrahendi, eo attrahatur purgandus humor. Apophlegmatismi enim, qui  
à iun-

in junioribus masticatoria dicuntur, item & gargarismata ad os trahunt, & per os purgant caput. Enrina etiam, vel caputpurgia per nares. His autem & hoc addamus, ut huic rei finem tandem imponamus, quod humores qui tum in partibus remotioribus continentur, ut in articulis & totius corporis habitu, sæpe liberaliter & facile per accommodata medicamenta purgantur, neque tamen expectant, ut medicamentorum aut cibi vapores qualitate medicamenti affecti eò ferantur. Hoc tamen velim dixisse, quod si hanc consuetudinem sequi voluerimus, quæ iam nostris temporibus inualuit plurimum, nempe ut post cibum pilulas demus, cibus & cæna modica esse debet: & ea sunt commendanda, quæ citò & facile coquantur, facileque inferius descendant, ut deinde ante medicamenti motionem sint confecta, facilemque ad medicamenti motum descensum habeant, nec illi resistendo, & difficilior & magis turbulenta subsequatur purgatio. Multa certe hoc capite tractauimus, quæ forsitan commodius & aptius inferius explicarentur, ubi de acrioribus & valentioribus medicamentis agendum erit. Nam leuiora hæc de quibus nunc est sermo instituta, non tantam exigunt cautionem ac diligentiam; sed ne istiusmodi doctrinam, quæ coniuncta quodammodo esse videtur separaremus, placuit omnia hoc capite exposita, vna eademque ratione complecti,

*De ratione mixturæ horum medicamentorum facili-  
lium, & usus eorum magis particulariter.*

*Caput XI.*

**N**unc verò quæ magis vniuersaliter exposi-  
ta sunt, particulatim simplicibus ipsis me-  
dicamentis, quæ leuia vel lenia, vel bene-  
dicta appellauimus, aptemus, & singillatim de  
vnoquoque dicamus. primum videlicet, quibus  
nam ea miscere conueniat: deinde quibus hu-  
moribus purgandis idonea sint: tertio qui eorū  
modus aut mensura sit congrua: postremo quæ  
eorundem forma apta futura sit, dicemus. Nam  
de tempore satis supra actum esse putamus. Ut  
ergo facilioribus istis medicamentis vsuri, à qui-  
bus sæpe si alia eis misceamus faciliorem & feli-  
ciorem operationem speramus, aliquam rationē  
& methodum habeamus, qua ea eligamus, quæ  
his aptius & vtilius misceri possunt, à quibusdā  
quæ in vniuersum adhuc consideranda sunt, in-  
cipiemus: postea ad singula accedentes, hæc ge-  
neraliter proposita, sigillatim in quolibet medi-  
camento, tanquam proprijs exemplis explana-  
bimus. Primum ergo hoc dignum animadu-  
ersione mihi esse videtur, quod paucis quidē ver-  
bis, in vndecimo de Fac. Simpl. med. cap. de ovo  
expositum est: re autem ipsa & effectu in libris  
de Comp. medic. secundum genera & secundum lo-  
cos, amplissimè fuit explicatū. Id verò est, quod  
medica-

medicamenta, vim validam non habentia, duplici de causa cum alijs medicamentis mixta componatur. Interdum quia ipsa ideo illud postulât quia ex illa mixtura & vtiliora & meliora fiunt: interdum verò quia ea quæcunque illis miscentur & componuntur, inde maximam vtilitatem & commodum purgandis ægrotis adferunt: id autem præfertim, quod maximum quidem est, mitiora hæc medicamenta illis quæ vim maiorem habent, impertiuntur, quòd, vt ibi Galenus docet, eorum quasi materia sunt. Illa enim cum his leuioribus mixta, faciliorem, tutiorem, & minus nocuam purgationem moliuntur. Ex eo enim quòd illis hæc mixta sunt, illorum acrimonia mitescit & violentia, atque gratia & familiaritas cum ventriculo & reliquis visceribus conciliatur: neque tamen principali eorum actioni, qua purgant aduersantur, imò sæpe iuuant: quia vel leniunt, & leniendo facilius succedit purgatio. Vnde & qui de hac re scripsere, vt Ioan. Mesue, plurimum laudant, vt medicamenta lenientia, cum his quæ soluunt misceantur. Ait enim quòd eorum operationem felicitât: & ideo cum sermonem de Manna habuisset, dicit quòd beatificat operationes omnium aliorum exoluentium medicamentorum, vel quidem detergendî & attenuandi vim habent, vt amara habent, & inde humores vacuandi promptiores & faciliores ad euacuationem redduntur, aut deniq; aliquam

& moderatam habent adstrictionem, qua viscerum substantiam colligentes, quæ à violenta fortiorum medicamentorum actione laxari & dissolui solet, plurimum prodesse possunt: quo nomine Aloen cum omnibus alijs purgantib. medicamentis mixtam, non parum corporibus purgandis dixerunt conducere omnes autores qui de ea re scripsere, præsertim Oribasius, Aetius, Paulus: imò & Diosc. nec non & Arabes omnes. Sed & Auerrorres de Rhabarbaro ait, quòd ut ipsum nulla eget correctione, ita alijs medicinis additum, emendat quicquid in illis est malignitatis. Et hoc quod hæctenus diximus, non tantum ad simpl. medicamenta, sed ad composita quoque est referendum, ut ea sunt quæ nunc à iuniorib. electuaria dicuntur, pilulæ & id genus alia. Nec tantum in purgantibus medicamentis ita res se habet, sed & in omnibus alijs, ut sunt ea, ex quibus velemplastra conficiuntur, vel cerata, vel linimenta, vel fomenta, vel perfusiones. id quod si ea quæ à Galeno de huiusmodi medicamentorum ratione tradita sunt, diligenter legerimus, facile percipiemus. Sed de hac miscellæ & compositionis ratione posterius dicemus, magis enim ad tractationem illam, quæ de illis medicamentis instituemus, quæ vim maiorem habent, pertinere videntur. Particularim autem quo pacto leuioribus his medicamentis uti possimus, & ea cum alijs componere, & non quidem aliorum

rū ratione, sed ipsorum sermonē in præfenti habeamus, & illis ea accommodemus, quæ in vniuersum hæctenus exposita sunt. Hoc primum explanato quòd ipsis interdum vtimur, non vt redundantem humorū copiam imminuamus, & corpus purgemus, sed tantū vt aluum lubricam feruemus, & ex communibus instrumentis excretionem ea deducamus, quæ quando non sponte alius deijcit, clysteres detrahete solent: quod in his præsertim fieri solet, qui aut nolunt, aut non possunt clysteres admittete. asiduos enim clysteres molestos esse xij. Meth. Gal. cap. vigesimo tertio testatus est. Aliquando verò aliquid amplius ex medicamento requirimus, nēpe vt liberalius educantur humores, qui cum in ventriculo & in inferiori aluo quasi stagnant, tum verò in venis quæ à iecore cauaque præsertim eius parte ortæ eò pertingunt. verumtamen & pro diuersa horum corporum ratione, diuersa etiam vsus medicamentorum ratio nascitur: quod particulatim exponit Gal. viij. de Comp. medic. per loca. Aloen enim solūm intestina vt ventriculum inanire dicit, si modicè tamen sumatur. Nam si liberalius quis ea vsus fuerit, operatio illius eiusdem sententia, ad iecur vsque attinget. Quamobrem Aetius, Paulus, & Oribasius, quos & Arabes sequuntur, aiunt, quòd ad hoc vt clysteris officio fungatur, satis erit si triobolum detur, moderatam verò eius assumptione



nem fore, si duæ accipiantur dragmæ: liberalis verò purgatio sequetur addit Diosc. si tres dragmæ dentur, plurimis tamen vel vna tantum ex ea accepta pilula, quæ scrupulum pendat, satis est commoda ad aluum excitandam. Hic ergo possumus colligere, quod duplex ijs leuioribus medicamentis vtendi ratio ex horum vario vsu nascatur. quæ namque de Aloe diximus, eadem & alijs quibus hoc modo vti solemus, possunt accommodari. Cassia enim hoc modo satis erit, si illius liquoris qui ex ipsa extrahitur semiuncia, vel minus etiam acceperimus, tum cum praedium sumus sumpturi, atque ob hoc minus etiam semiuncia satis esse dixi, quia sæpe si tantum siliquæ eius vel cannæ, quantum palmum longitudine æquet sumperimus, eumque nigrum liquorem comederimus, & quasi delinxerimus, rei necessitati satisfaciemus; quod si ponderentur, ad trium dragmarum pondus non ascenderet. Idem & de alijs dico, vt exempli gratia, de Manna. Attamen aliquibus, & his longè leuiora satisfaciunt, vt si ante cibum lactis serum cum saccharo sumperint. Antiqui verò, (vt Galenus voluit) etiam cum sale utebantur, vt sæpe & pruna exiccata in prima mensa commesta, ita sola & cruda profuerint, quatenus ad hunc scopum pertinet: & magis faciunt quæ communia sunt & dulciora, quàm quæ Damascena dicuntur, quæque magis acerbatis & austeri saporis nõ sunt experta.

expertia, ut ea sunt quæ vulgares myrobalanos appellant. Sæpius autem istius rei ergo, ex modico iure macro vel aqua, addito saccharo copioso decoctis illis utimur. Ut verò minor horum medicamentorum, quando ad hunc usum accipiuntur, copia assumenda est, ita & minori cura egent, minusque studendum est, ut cum alijs misceantur. nam ex illa modica quantitate nullum timemus incommodum: cuius quidem evitandi gratia, alia sint illis addenda. His etiam illud addo, quòd licet plura sint, quæ quantum ad ipsorum facultatem spectat, hoc nobis præstare possunt, tamen non ita promiscuè, & sine vlla distinctione illis uti debemus. aliquando enim vnũ erit cõmodius & aptius, aliquando aliud. Nã illa quæ insigniter astringunt, huic muneri non perinde sunt idonea, ut mirobalani ab Arabibus appellatæ, atq; Rhabarbarũ: maximè verò si totũ vel (ut aiũt) in substãtia exhibeatur: quia eius dilutum vel infusio minus astringit. Nam etsi cum accipiuntur aluum cieant, postea tamen eam magis astrictam, & ad deiectiones difficiliorem reddunt. Aloe autem etsi aliquam habeat astrictionem, maiorem tamen deterfionem & attenuationem habet, cum amaritudo alia omnia superet: & inde vias magis expeditas relinquens, ad facilioreẽ conducit deiectionem. Lenientia verò omnia medicamenta, huic rei de qua nunc agimus, idonea sunt. Præterea verò in

## 62 DE COMP. MEDIC.

horum electione, ad morbum si quo laboret æger, respiciendum est, & ad naturam corporis, ætatis, temporis, consuetudinemque. Ecce enim, si febris quidem adsit, quæ putrida sit, & longè etiam magis hæctica, ab his quæ insigniter calefaciunt, & exiccant esset abstinendum, ut sæpe consulunt Hipp. & Gal. Vnde censuere aloen lotam, posse quidem in febre admitti, cum ea mitis & non vehemens sit, cum tamen ea quæ illota est, in hac declinandam esse censuerint. Licet enim aliqui febricitantes eam sine noxa pertulisse videantur: non defuere tamen, qui plurimum inde læsi sunt. At si aliquando nobis è re esse visum fuerit, ut illis utamur, corrigenda erunt, vel decoctis, vel alijs rebus additis, quæ nocuas eas qualitates temperent: sed si corpus & viscera sint obstructionibus obnoxia, ab his cauendum erit, quæ vim habent astringendi manifestam, præsertim verò in initio antequam præparatio sit facta, & per attenuantia, incidantia & detergentia humores fuerint commoti. Vnde inter initia non tantum à myrobalanis abstinunt plerique medici, sed & à rhabarbaro. Corporis etiam natura & habitus est respiciendus: quia hi qui sunt sicci corporis habitu, præsertim verò sicci ventriculi, vel etiam calidi, à frequenti usu eorum quæ vel calefaciunt, vel exiccant, cauere debent. Obseruauit enim Gal. ex viii. de Comp. Secun. loca, aliquos assiduo usu A-

loes

loes ad tabem fuisse perductos. Ita eis qui frigidiorē habent ventriculum, ab illis abstinendum quæ refrigerant, vt Tamarindis, violis, pruinis, sero lactis & huiusmodi: vel si eis vti voluerint, illa saltem temperent, illis additis quæ eorum frigus reprimere valeant. Humidū autem ventriculum vel lenem nimis habentibus, non admodum humida & lenientia conducunt, sed magis sicciōra. Vnde hic Aloen & Hieram ex viii. de Comp. med. per loca Gal. maximè cōferre censuit. Contrā verò sicciōribus temperaturis, præsertim cum citra materiam illa siccitas est, plurimū obesse ibidem tradit. Hęc eadem possunt ad anni tempora & ætatem referri. Simile enim hæc cum corporis natura & temperatura iudicandi rationem habent, vt sæpius Gal. declarauit. Quantum etiam ad hoc consuetudo faciat, nemo est qui nesciat. quæ enim nobis familiaria sunt, ea minus naturam nostram, quàm ea quibus vti nunquā solemus, turbare videntur.

*De ratione tractandi hæc medicamenta, quando non tantum communium excrementorum gratia, sed liberalioris etiam purgationis ergò, ob euacuationem vel reuulsionem offerimus.*

Caput. XII.

**S**icuti his medicamentis in maiori copia vti-  
mur cum liberaliter purgare volumus, ita  
etiam maior tunc cura erit adhibenda. Naas

## 64 DE COMP. MEDIC.

plerunque si aliquid quod noxium esse potest eis insit, magis id nocere poterit cum copiosior erit medicina assumenda. Hac igitur præsertim ratione, cum ijs licet facilioribus medicamentis utimur, alijs additis ea componimus. Sed quæ mihi in eis miscendis & componendis animadvertenda esse videntur, hæc sunt: nimirum quod præcipue in his eligendis quæ cum his miscenda sunt, ad eum scopum spectemus, qui nobis in primis aliquid miscendum esse ostendit. Nam aliqua miscemus ut medicamentum adiuuemus quo citius & valentius quoque purget, vel ut vnum potius quam alterum purget, quem alioquin non vacuaret, vel ut eius vis aliquam particulam pertingat, quam solum aut non attingeret, aut ægrè saltem & languidè: vel postremo ut occurremus quo minus aliqua in re ventriculi lædat, vel aliud quodpiam viscus. Vnde pro diuersis his scopis, varia quoque his medicamentis commiscemus. Sed ut à cassia incipiamus: si ponamus nos operæpretium esse facturos, si ea vsi fuerimus, & illius sententiæ simus ut illam demus, primum illud erit perpendendum, quæ nam apta & commoda futura sit eius dosis: hoc verò quo pacto sit existimandum satis superque fuit supra declaratum. Deinde considerandum, an tantum sit, quantum optamus purgatū: nam si illa sola non videatur esse satisfactum, tunc ulterius progredientes, examinabimus

bimus vnde futurum fit, ne illa quantum opus sit purgare nequeat: id autem accidit aut quia euacuandus humor & crassior & magis lētus est, aut quia locus ille à ventriculo remotior est, quā vt eius vis eò possit peruenire. Ecce enim in affectibus pectoris ea vtimur: pectori enim dulcedine illa sua & lenitate satis commoda est & utilis. commodus item est eius vsus, in virium affectibus. Quamobrē si difficulter possit, eò quò cupimus peruenire, necesse est, vt alterum medicamento mixtione iuuetur. Si ergo mixtione adiuuanda propter humoris inepti crassitiem & lentorem, & affectus quo tētatur ægrotus, ad renes pertineat, accommodatissimum medicamentum hysopum erit: attenuat enim, dissecat, flatus discutit & detergit: vnde in prouerbio ferè est, quòd syrupus ex hysopo bonus est absterfor. qui quidem non tantum in renum, sed & in affectibus pectoris & pulmonis maximè conducit: & cum etiam ipsum aliquid ad purgandā pituitam faciat, hac quoque ratione capiti proderit. Sed si non tanta caliditate vel attenuatione esset opus, radix dulcis, vel liquiritia, vt nostri dicunt, esset utilis. At si cuperemus eius vim ad renes vsque & vias vrinæ peruenire, eas nempe ab eo crasso viscidoque excremento, quòd acre non esset, purgaturi, quæ verò diuretica dicuntur misceremus, quæ & calida sunt, & habent partes tenuiores, & subinde attenuant, vt pote

quæ ad renes & vrinarias vias secum cafsiæ vim  
 facilius ducant, ficuti funt femina anifi vel fœni  
 culi, quæ flatum qui à cafsia sæpe folet excitari  
 difcutiendi vim etiam habent. fi autem nitrofus  
 & acris effet is humor, tunc liquiritia, vel recens  
 capillus Veneris, vel aliquid huiusmodi immi-  
 fcédum effet: fed fi nullum horum particulatim  
 quæreremus, fed aliquid tantùm nobis effet ex-  
 quirendum, quo magis & facilius fumpta cafsia  
 expurgaret, neq; tamen crafsitiem crederemus  
 obftare, aut multum lentorem, tunc, vt Arabes  
 docent, ferum lactis, præfertim in calidis morbis  
 atq; calidioribus temporibus illi additum, eius  
 operationem mirum in modum iuaret. quod fi  
 maiori auxilio cafsia videretur egere, quia aut  
 longè liberaliorem vacationem, aut ex remo-  
 tioribus partibus cuperemus, vel etiam fi expe-  
 dire puraremus, vt ea alium præterea humorem  
 educeret, quem educere fola nequiret, aliud for-  
 tius medicamētum effet illi addendum, illudq;  
 magis & minus forte, vt & res ipfa, & scopi no-  
 bis propofiti ratio, & humoris extrahendi natu-  
 ra videretur exigere. Nam fi pituita effet detrahē-  
 da, agaricum adderemus: fi melancholicum hu-  
 morem, vbi exuftus effet is humor, epithimum,  
 vel fenam: fi bilem, aliquid scamonei, vel alterius  
 medicamenti quod eiusdem facultatis effet. In-  
 terdū verò non fimplicia addimus medica-  
 ta, fed compofita, feruata tamen prioris fcopi-  
 tione.

tionē. sæpe enim aliquid illius medicamenti ad-  
 dimus (quod Diaphinicon, id est, ex palmulis,  
 & Græci & Arabes appellant) cum crassos hu-  
 mores purgare volumus, aut id quod confectio-  
 nem Hamee appellauit Mesue, quando exustos  
 & melancholicos humores: aut ea quæ à rosarū  
 succo nomen habuere, si bilis sit educēda. Sunt  
 præterea alia multa, quæ in his recenseri possent  
 quæ in præsentia omittenda esse putamus. Nam  
 & horum tantum exempli gratia meminimus.  
 Hoc tamen nullo modo prætereundū putamus,  
 quod cum cassiæ aliquid addendum est, (quod  
 etiam de alijs huiusmodi medicamentis dictum  
 esse volo) nempe cum primum & præcipuum  
 opus ex cassia vel ex alio leui medicamento quæ-  
 rimus, cuius quidē natura huic quem nobis pri-  
 mō proposuimus scopo, sit maximē apta & ac-  
 commodata, hoc nobis in primis est seruādum,  
 ne alterius illius medicamenti quod addendum  
 est, eam quantitatem adiiciamus, quæ cassiam  
 ipsam superare possit: tunc enim prima & præci-  
 pua operatio addito medicamento attingeret, nō  
 cassiæ vel id genus alijs, vnde cassia magis mate-  
 riæ rationem seruaret, quàm eius quod præci-  
 puum esset, vt superius diximus. Ea igitur quā-  
 titas est addenda, quæ cassiam sollicitare & adiu-  
 uare possit. Vnde nunquam id addemus quod  
 iustē & integrē (vt nunc dicūt) dosis modum &  
 rationem possit habere. Quare Agarici, vel Dia-



phinicon, vel alterius, dragmam ad summū vñ-  
 ciæ cassiæ addemus. Ne videamur autem obli-  
 uioni tradidisse postremam illam causam qua  
 aliquid leuioribus medicamentis addimus, nō-  
 nulla etiam de ea dicamus. Ea erat, vt alicui no-  
 xæ occurramus, quam posset medicamentum  
 afferre. Et quia hætenus de Cassia locuti sumus,  
 de ea quoque prosequamur. Hoc tantū itaque  
 cassia habet incommodi, quòd tormina aliquan-  
 do mouet, in his præcipuè qui leuia & humidio-  
 ra intestina, & qui viscera debilia habēt, vt Me-  
 sues dicit. Istiusmodi autem suspitio tollitur, si  
 aliqua addantur, quæ viscera modesta aliqua ad-  
 strictione roborent, vnde inter simplicia masti-  
 cis, Mirobalanorum, Rhabarbari, & Spicæ idem  
 Mesue meminit: nos possumus, & Aloen, & ci-  
 tri semen addere. Inter composita verò hiera ex  
 Aloe optimum, & commodissimum est medica-  
 mentum. Interdum verò & eo medicamento,  
 quod Diacatholicon Mesues appellat, ego vtor:  
 sed horum aliqua possunt duobus scopis satisfac-  
 cere. Nam & vt læsio emendetur, quam ob tormi-  
 na, & dolores timemus, & præterea in purgãdo  
 non parum conducunt. huius verò sunt Rhabar-  
 barum, Mirobalanum, Aloe, & illa composita.  
 Mastix verò & spica hanc solū vtilitatem præ-  
 stant, quòd efficiunt ne viscera lædantur, astrin-  
 gendo, roborando, & flatus discutiendo. Quan-  
 tum verò ad eorum delectum spectat, quãdo  
 nobis

nobis videtur cassiam solam posse purgationi satisfacere, utemur mastice & spica, sed si opere pretium esse putauerimus, ut præter id quoque evis quæ soluit, iuuetur, aut rhabbaro aut mirobalanis: mirobalanis quidem vbi maiori astrictione & refrigeratione, & præterea aliqua alterius humoris detractio sit opus: chebulis, si pituita: citrinis si bilis: Indis si melancholicus humor sit educendus: Rhabbaro verò vbi magis calefacere expediat, & præter astrictionem, & obstructions sint aperiendæ. Aloe etiã idem præstabit, siue lota, siue illota ea vfi fuerimus, ut tamen sciamus quòd lota minus purgat, minusque calefacit, illota & magis calefacit, & purgat magis. De copia autem exhibenda satis superque diximus. Ex his quoque facile quisque percipere poterit, quomodo se medicus in vsu manzæ gerat, cum similem ferè duo hæc medicamenta naturam & vires habent: aliquanto enim imbecillior est mãna, vnde & eius copia, vel (ut aiunt) dosis maior esse debet: accedit enim interdum ad tertiam vnciam. Neque de tamarindis item longiorem nos sermonem habebimus. Tantum dicemus quæ sunt medicamenta acutis febribus, temporibus & temperaturis calidis maxime commoda: nam & bilem tenuem, calidamque facillimè, & sine vlla agitatione, & turbatione educunt, & extinguunt præterea ardorem, & sitim reprimunt, quæ earum febrium molestus, & moro-

sus comes esse solet, vnde illis rarò hyeme uti-  
 mur, & in his, qui ventriculum habent frigidio-  
 rem ab eis abstinemus. Plurimum enim frigi-  
 diores vètricos lædit, & ideo è re esse videtur,  
 vt huius incòmodo aliqua ratione occurramus,  
 sicuti si ea miscuerimus quæ ventriculum robo-  
 rant, & aliquantisper calefaciunt, vt est mastix,  
 spica, macis, absynthium, & alia huiusmodi. Sed  
 etiam docuit Mesue ab his tamarindis nocumẽ-  
 tum tolli, si cum appio, fœniculo, & endiuia, &  
 cicorio infundantur vel coquantur. quia verò &  
 tardè, & languidè soluit, serum lactis, præsertim  
 capræ, quòd magnam habet cum eis familiari-  
 tatem, eos facillimè iuuare ad purgandum pote-  
 rit. Sæpe & eos cum cassia, manna & rhabarba-  
 ro feliciter miscere consueuimus. Electio verò  
 horum potest facilè percipi, ex his quæ paulò an-  
 tè de cassia diximus. De sero autem lactis satis  
 abūdè à Mesue & reliquis, tam Arabibus, quàm  
 Græcis scriptum est, & aliqua etiam sunt à nobis  
 superius dicta. Vnde in his exponendis tempus  
 non teremus. Solis etiam prunis, rosis aut violis  
 rarò ad purgandum utimur, atque id ideo, quia  
 vim purgandi leuissimam habent, si solis illis uti-  
 tamur. nam cõponimus syrupos ex rosis, & vio-  
 lis, in quibus nostro hoc æuo omnes ferè medi-  
 ci, & in Italia & in alijs regionibus quæ cum Ita-  
 lia consuetudinem habent vtuntur: sed postea  
 cum de compositis agemus, de his quoq; loque-  
 mur.

mur. De Aloe autem ferè quæcunque ad nostrum institutum facere videbantur superius exposita sunt, præterquam quòd quamuis Mesue ab ea in hyeme cauendum esse dixerit, quia orificia venarum aperiatur, non minus tamen ab ea cauendum est æstate, præsertim æstuosa & sicca, cum sit factis calida & magis etiam sicca, & tutus nõ admodum sit eius frequens vsus in calida præsertim & sicca temperatura: quanquam si lauetur & endiuizæ succo, vel cicorei, vel rosarum, vel aqua, minus obesse possit: non parum enim de calefaciendi potestate detrahitur, imò de ea qua exiccat, non ob id quòd herbæ hæ exiccant, sed quia per loturam aufertur bona illius substantiæ pars, quæ magis est medicamentosa, & subinde, quæ maiorem vim calefaciendi, & exiccandi habet. A iunioribus præterea quibusdam Mesue damnatur quòd hoc vitium Aloe inesse dixerit, quòd orificia venarum aperiatur, & ea ratione illis esse nocuam, qui sanguinis fluxui per hæmorrhoidas & earum doloribus sunt obnoxij, in utroque verò reprehenditur: Primum quidem quia antiquiores, præsertim Dioscorides, cui & alij astipulantur, dixit: Aloem sanguinis sputum reprimere; hoc verò rationi cõsonum esse non potest, quòd ora venarum aperiatur, & sputum sanguinis tollat: quòd verò hæmorrhoidas irriter, aiunt, id quidem interdum fieri, neque id tamen in Aloem esse referendum, sed in accriores humores, qui dñ

ex Aloe educuntur, sedis venas pungant & irritant, quæ hac de causa deinde aperiuntur. Mihi sanè Mesue videtur, si rectè intelligatur, & eius dicta cum alijs autoribus, à quibus ea descripsit conferantur, & ad eorū præscriptū explanentur posse à tanta calumnia defendi: neque enim id in vniuersum accipiendum est, quòd orificia vel ora venarum aperiat, sed duntaxat ad venas sedis vel ani est referendum; hoc enim ex Serapione depròptum est, vbi de Aloe agit: citato enim prius Paulo, addit, aperit orificia venarum que sunt in ano, vt fortasse vitio librariorum, vel eorum à quibus translatus est, ea verba sint prætermissa. Hæc quantum ad Mesuem. Quamuis autem quòd refert serapio, nunquam in Paulo me legisse meminerim, hoc tamen ad rem facere nõ admodum videtur, modò vera sit istiusmodi sententia, vt tamen non sit id prætermittendum, quòd ex his patet, nullam contra hanc sententiam facere rationem, qua Mesuem nituntur improbare Iuniores: nimirum quòd si sanguinè sistit cum expuitur, non potest ora venarum aperire: nam fieri potest, vt sanguinè, qui expuitur, reprimat, ora tamè venarum sedis aperiat, quòd ea ratione fit, quia partes adstringentes, quæ frigida & terrestri substantia constat, facilius ad spirituales (vt ita dicā) partes perueniant à tonuoribus ex quibus pèdet amaritudo deductæ, quæ fortasse non ita facile vsque ad venas ani peruenire

nire possunt, ad quas ijs partibus, quæ amaritudinis causa sunt, facilius est aditus. In tenui enim substantia amaritudo sita est. & ipsemet Mesues difficultatem hanc in capitulo de Centauro vidit, & eam nixus est dissoluere; sed quia est in hac re suspecta, imò nulli<sup>9</sup> ferè momenti Mesues autoritas, ideo ex Galeni decretis ratione à simili deprompta Mesuè tueri conabimur. Galenus 70. de simplicibus medic. facul. vbi de Centaurij maioris radice loquitur, dicit, quòd sanguinè expuentibus est vtilis, cùm tamen magnam in aperiendis vteri venis vim habeat, ita vt possit, & abortum facere & fœtum mortuum deijcere: vbi Galenus dicit, quòd non est mirum, effectus ferè oppositos ab ijs medicamentis prodire, quæ etiam diuersis constant partibus, & his facultatibus, quæ sibi inuicem aduersantur. Sed hæc omnia omittamus, & autoritatib. ne innitatur, sed rem ipsam diligentius consideremus. Reuera enim negare hoc non possumus, quod experientia etiam patet, quin Aloe priuato hoc vitio sit præditum, vt nempe præ alijs ferè medicamentis, eos lædat, qui dolori vel fluxui hæmorrhoidali sunt obnoxij, & id non tantùm, vt periparetici loquuntur, per accidens, id est, ob id quia acres & biliosos purgat humores, sed sua etiam naturali facultate. Nam ego pluribus annis quibus medicinam Venetijs exercui, & experientia obseruaui, quòd illos curaturus qui hoc incommo-

do tentari solent, dum varijs medicamētis quibus illos purgarem vterer ab alijs non adeò facile, & promptè hæmorroides irritabantur, quamuis illa etiam acriora essent, atque ea quæ copiosa excrementa biliosa educerent. Neq; enim senæ, neque Rhabarbarum, sed neque agaricum tantam molestiam afferebant. non negauerim tamē quin & alia etiam medicamenta id præstare possint, sed & hoc addiderim, quòd plus minusue pro ratione aut acrimoniæ medicamenti, aut eorum humorum qui excernuntur natura, aut copię. Nam & sine vilo medicamēto in alijs fluxionibus eas excitari vidi, vel quidem aptitudinis, & propensionis gratia, vel ratione acrimoniæ humorum. Sed vtcumque res se habeat, priuata quadam ratione ac proprietate, hoc magis ab Aloe fieri, quàm ab alijs medicamentis dubitandum nõ est. quòd si dicant aduersarij hoc ab Antiquioribus medicis nõquam memoriæ fuisse proditum, ego eadem ratione aduersus illos dicam, qua ipsi dum de rhabarbaro loquuntur, hoc argumentum ista responsione effugiunt, nepe, quòd primi illi authores, & si plura reperierint & nouerint, non tamē omnes vires eorum simplicium medicamentorum, quæ ab illis reperta sunt cognouerunt: nam eorum nullus purgatoriam facultatē in rhabarbaro inesse cognouit. licet enim alijs rationibus id in vfu haberent nunquam tamen eo veluti purgatorio medicamento

mento vfi sunt, quæ vis postea percepta est, tam in eo quod ex Ponto, vt idem Manardus dicit, quàm in eo quod ex India defertur. Quidam tamen mercator, qui diu in Persia versatus est, qui quidem erat aromatarius, & horum omniũ medicamentorum peritissimus: & is vir vt eius verbis maxima esset adhibenda fides, mihi retulit, rhabarbarum in montosis Persiæ locis nasci, colligi, siccarique, & in Ægyptũ, vel Syriam à Persis negotiatoribus ferri, vnde ad nos deinde defertur. Sed de ijs satis. Hoc autem incõmodum (sicuti à posterioribus fuit obseruatum) bdelij vel mastice admixtione facile mitigari potest. Sed iam derhabarbaro pauca quædam dicamus: de eo enim nonnulla etiã suprâ relata sunt quibus tamen hoc addamus: quòd nullum autorem ante Mesuem me legisse memini, qui de duplici hac ratione qua eo vtimur vnquã egerit. Cùm enim minorem ex eo restrictionem requirunt medici, id macerant per octo, vel decem horas vel plus aliquo decocto, aut aliquo liquore occasione, & scopo quem tunc spectant accommodato. Vnde æstate plerunque eo liquore macerant, quò illius caliditas, siccitas, & asperitas remitti possit: Hyeme verò eo quod humores attenuet, & illud in aperiendo adiuet. At cùm maiorem adstrictionem, vt in alui fluxionibus & sanguinis sputo & profluuiis quærunt, eo toto vtuntur, & vt iuniores dicunt, in substantia,



Sed & illud est etiam animaduertendum, quòd cum toto eo, vel in substantia (vt aiunt) vtimur non minus aperit, quanuis adstringat magis. Antiqui enim, vt ex eorum libris possumus obseruare, etiam cum obstructiones erant aperiendæ, toto illo utebantur, neque, vt docuit Galenus de Facul. simp. med. in his medicamentis quæ constant diuersis & inter se aduerserijis partibus, hoc est absurdum: non enim ille quæ adstringunt obstat quo minus aliæ aperiennes suo fungantur officio, immo quoquo modo potius iuuant: nam cum à natiuo calore ad actum deductæ dissoluantur, quæ aperiunt, vtpotè, quæ tenuioris sint substantiæ, præeunt: quas deinde adstringentes sequuntur, & quasi exprimentes eas vterius impellunt, & adigunt. & inde fortasse etiam magis & valentius purgat Rhabarbarum cum totum accipitur (id enim experientia sæpe perceptum fuit) quàm quãdo solus liquor in quo fuerit maceratum: quanuis, & hoc potest accidere ex eo, quòd totum magis resistit ne à calore natiuo magis dissoluatur, & digeratur, & ideo diutius potest vim suam seruare. neque ijs quæ de illo à Galeno, Discoride & ab Arabibus dicta sunt habeo quod addam, nisi quòd rarò in eo exhibèdo vidi his temporibus medicos vltra drachmam terciã fuisse progressos: quòd si Mesue longè maiorem copiam permittere videatur non quidem ego crederem eam Mesues esse sententiam

tentiam, sed magis in libris latinis esse mendum qui multis etiam alijs scatent erroribus, præsertimque in vocis mensuras & pondera referentibus. Vnde nunquam est his libris fidendum, quin & medicus semper consultans rationem & experientiam ex frequenti vsu obseruaram, suum etiam ipse iudicium apponit. De Mirobalanis etiam ipsis nihil quòd dicam habeo, præter ea quæ ab Arabibus scribuntur, qui earum fuisse inuentores (quòd ego quidem nouerim) & fostasse ea ratione, quia ab Indis, cum quibus in exercenda mercatura commercium habuere, & apud quos hæc nascuntur, fuerunt edocti. Vnde ad composita medicamenta, quæ cum his simplicibus in eodem ordine sunt, quod ad soluendi rationem pertinet accedamus. Sed nec de his omnibus etiam, ne prolixiores simus, sermonem habere volumus. Satis enim fore puto, si ea quæ sunt in vsu comuniori & frequentiori à me exponantur. In his itaque nostris proximis regionibus vt puta Venetijs, Patauij, & in reliquis huiusmodi ciuitatibus passim & frequentissimè in vsu est medicamentum id, quod vulgo Electuarium lenitiuum appellant, & illud quod recentiores medici nostri, qui paulo ante hanc nostram ætatè claruere, Diasebesten nuncuparunt, cuius author Bartholomeus Montagnana fuit. Et duplici modo in vsum solet venire: interdum enim non addito scamonio, co-

tantur & tunc aut simplex Diasebeste n, aut incompletum appellant: interdum verò & scamonium addunt, & vel completum, vel compositum vocant. Singulæ autem istius medicamenti vnciæ scamonij ex cotoneo, quod deinde diagridion nuncupant, parati, quinque grana accipiunt, in copia tamen vel pondere scamonij indendi solét apothecarij variare. Lōgè autem facilius est medicamentum & id quod magis inter lenientia sit recensendum, illud quod simplex est, & citra scamonium, quamuis & illud quod Scamonium admittit, possit in hunc ordinem à nobis referri: adeò enim exiguam scamonij accipit portionem, vt illud non sit id quod primum purgat, sed quod alia medicamenta iuuat & excitat, vt superius in multis alijs explanauimus. Vnde sæpe si solo hoc electuario, vt dici solet, vtantur, integram vnciam exhibent, quæ dosis non videtur valentiora medicamenta spectare, sed potius lenientia & facilia, verum etiam quantum ad rationem compositionis pertinet, idem de eo medicamento césendum est. quod Diaprunon ideo iuniores vocauerunt, quod magna ex parte ex prunorū succo cōficiatur: nam & sine scamonio id cōficiunt, atque Diaprunon non solutiuum dicunt. Aliquando verò scamonio addito, solutiuum dicunt, sed quia lōgè maior est copia scamonij quam accipit eiusmodi cōfectio si componatur, vt à Nicolao describitur,  
 ideo

ideo tunc non inter lenientia, sed inter verè soluentia collocandum erit. Præstans præterea est & id medicamentum, quod à Mesue describitur, & Diacatholicon, quasi omnes in vniuersum respiciat humores, ab eo appellatur, quod & ipsum est in hoc ordine, à quo neque procul abest Diasennæ à Mesue item descriptum. Sed de his omnibus id item dicendum est, quod supra de simplicibus diximus, nimirum quod interdum illis tanquam materia aliorum fortium vtimur, vt quando illis fortiora immiscemus, quantum ad horum ferè dosin accedat, interdum tãquam eo quod præcipuum sit futurum in euacuando, vt quãdovel solis vtimur, vel si aliquid addimus, id tantum addimus, quod hæc iuuare possit, vel accelerare. Hæc de his electuarijs lenioribus dicenda sufficiant, satis putans fuisse, autores qui exactè ea exposuerint significasse. Hoc tantum in præsentia restat dicendum, quod eorum alia quidem bilem purgant tenuem, præsertim vt sunt Diasebesten, & Diaprunon citra scamoneũ & eadem calidioribus temporibus sunt accommodata. Alia verò pluribus humoribus præsertim exustis purgandis vtilia sunt, & hæc sunt Diacatholicon, Diasena, & Electuarium lenitiuum. Sed ne quis putet sola ea medicamenta, quæ vulgo electuaria vocant, ad hunc primum medicamentorum ordinem pertinere, huic etiam sermoni addendum est, quod & syrappi

## 80 DE COMP: MEDIC.

reperiuntur, & pillule, & pulueres, & decocta, ad hunc eundem ordinem pertinentia. Et Syruporum duæ præcipuè differentiæ, quæ quidem solvunt, nobis in usu sunt: quarum alteram nos Syrupum rosarum solutivum appellamus: quidam autem Mucharum solutivum magis barbaro vocabulo nuncupant, & hoc quidam Apothecariorum ex nouem, alij verò ex duodecim rosarum infusionibus parant. Syrupum autem rosaceum ideo appellamus, quia aqua ex multiplici maceratione expressa, & ex saccharo decocta in formam vel modum Syrupi redigitur. Alteram autem syrupperi differentiam, Violaceum solutivum appellant, quæ quidem ex violarum infusione eodem modo ante aliquot annos fieri cæpit: id tamen inter has differentias interest, quod frigidior, & humidior est violaceus, & ideo maiorem calorem extinguendi, & somnum conciliandi vim habet, maiorem etiam leniendi. Unde etiam inflammationibus est accomodatior, & reliquis calidis & siccis pectoris, & pulmonum affectibus: sitim etiam magis extinguit. Rosaceus verò magis detergit, aperit & roborat, & ideo est in iecinoris, & cerebri calidis præsertim affectibus præstantior. Quatenus autem ad eorum dosim pertinet, hæc sunt consideranda, ut maiorem vim solvendi habet rosaceus violaceo, ita violaceo possumus uti copiosiore: sed & præterea quod cum recentes sunt, magis solvunt:  
dum

dum veterascunt autem purgatoria eorum vis  
 resoluitur: quapropter mense Maio & Iunio Iu-  
 lioque interdum tres vnciæ satis sunt, Martio &  
 Aprili vix quatuor vel interdum etiam quinque  
 possunt liberaliter aluum ciere. Possemus quidē  
 hīc, & de syrups de fumo terræ, vel fumarīā, qui  
 compositus nūcupatur agere, & de eo etiam qui  
 ex pomis compositum dicitur, sed illis vtimur  
 non soluendi, sed præparādi gratiā, quamuis &  
 ipsi aliqua accipiunt, quæ purgatoria aliqua fa-  
 cultate sunt prædita, leuissimā tum vim habent  
 nisi ab alio adiuuētur medicamento. Sed & quia  
 decocta plurimum cum syrups conueniunt, de  
 ipsis quoque paucula quædam dicemus. Duo  
 autem sunt quæ in frequentiori sunt vsu: Aiterū  
 quod dicitur fructuum decoctum, quod si, vt de-  
 scribitur à Mesue, conficiatur, vim quidem me-  
 diocrem, facilem & sine molestia purgandi ha-  
 bet: prunis enim addit & cassiam, & mannam,  
 & tamarindos, sebesten & zingiffis. Sed his tem-  
 porib⁹ varius est eius vsus, aliquādo enim fit ex  
 prunis, sebesten, & zingiffis, quibus addunt flo-  
 res quos cordiales appellāt, videlicet Boraginis,  
 Buglossæ & violarum. Interdum verò sine his  
 cōficiunt. his nonnunquam Tamarindos, quo-  
 que addunt, aliquando verò non addunt, addūt  
 que quando maiore caloris extinctione seruen-  
 tis bilis est opus, & maiore item euacuatione: cū  
 verò ventriculus debiliior & frigidior, cui videa-

## 82 DE COMP. MEDIC.

tur timendum esse, eos adimunt, & est istiusmodi decoctio veluti materia, qua est uosis & calidis temporibus omnia ferè purgantia medicamenta dissoluuntur. Nam prætermissa cassia, quandoque etiam & Manna, si macerandum est rhabbarū hoc decocto infusum, hoc tempore macerant, sed & si aliud purgans medicamentum sit diluendum, hoc itidem decocto diluunt: nam lenit, humectat & refrigerat: præter hoc autem & id decoctum in usu est, quod ex Epithimo dicitur humori melancholico purgatio aptissimum: cuius inter alias duplex in usu reperitur confectio. Altera ex Rasi desumpta, altera ex Mesue, quæ item hic in maiori est usu. At istud non huic medicamentorum ordini est adscribendum, cum & turbith accipiat, & agaricum, & nigrum etiam veratrum, ideo posterius forsitan de eo sermonem habebimus. Id verò quod à Rasi refertur omnia facilia habet præter Turbith, quod quidem cum non in multa copia iniiciatur, potest aliquo modo in hoc ordine censerì, cum sit facilis sanè medicina, quæ ad humorem melancholicum facile purgandum sit apta, siue aliquem syrupum huc pertinentem addamus illi, siue eo tanquam materia, qua alia medicamenta sint diluenda utamur. Solent autem Apothecarij huius decocta diutius parata non seruare, sed ea cum illis opus est, conficere, quia calidioribus temporibus facile putrescunt. De decocto autem sensè quod &  
ipsam

ipsam in multo est usu, multus non ero, cum varie & multipliciter conficiatur: nam tum ex ratione eorum quæ senz adduntur, tum verò ex illis, quæ de senz paulò ante sunt dicenda facile omnia quæ ad ipsum pertinent, poterit quispiã vel leuiter instructum assequi. Syrupi autem si probè cocti fuerint integri diutissimè seruatur. Pillulæ verò vel catapotia, quæ in hùc ordinem referri possunt, ex his quibus nunc vtimur, sunt Pillulæ ex hierra, quam Galenus Dialoes appellat. Item & pillulæ quas tertio can. Assaieret vocauit Auicenna, has verò & priores addito Agarico quandoque conficiuntur, vt à remotioribus partibus, præsertim verò à capite vim maiorem habeant attrahendi, quarum hæc est differentia, quòd ille quæ ex hierra conficiuntur, calidiores sunt, vnde frigidioribus affectibus multò sunt oportuniores, quàm calidis: at Assaieret non ita sunt calidæ: additis enim mirobalanis aliorum medicamentorum caliditas temperatur. Elefantina verò ab eodem Mesue descriptæ, insigniter calidæ etiam ipsæ sunt, imò & illis ex hierra confectis calidiores: & præter id quod nõ minorem vim purgandi habent quàm hierra habeat, calefaciunt etiam, statusque dissolunt & discutiunt, crassamque & lentam materiam attenuant, vnde ad dolores ex materia pituitosa flatulenta coactatos, præsertim in ventriculo & intestinis admodum præstantes sunt. In hoc eodem ordine



sunt Mastichinæ, quæ etiam laboranti ventriculo, & crassiores humores, tum biliosos, tum pituitosos congerenti prodesse maximè possunt, & ratione Agarici earum vis ad caput etiam pertingit, & ad oculos. vnde earum vsus affectibus oculorum, & capitis utilis est, tum illis qui earum partium primarij sunt, tum vel maximè his quæ ex ventriculi consensu oriuntur. In hoc eodem etiam ordine sunt pilulæ, quæ de Tribus cum rhabarbaro vulgò appellantur, quia scilicet ex tribus medicamentis simplicibus confectæ sint, Aloe scilicet, Agarico, & Rhabarbaro pari singulorum pondere, quæ mirum immodum obstructions aperiunt, bilemque natham præsertim, & pituitam educunt. Vnde in febris diuturnis, earum vsus præcipuè conducit, quæ à multis viscerum obstructionibus fouentur, sed & doloribus tam vetriculi quàm iecinoris ab eisdem humoribus excitatis cõferunt. Dicuntur autem cum rhabarbaro, vt eas discernamus ab illis, quæ interdum pilulæ communes, interdum de Tribus dicuntur, & ab Arabibus tanquam medicamentum describuntur, quod in pestilentiâ sit maximè salutare, easq; in Ruffum autorem referunt, quamuis si Græcos legerimus alio modo medicamentum Ruffi se habeat, quàm Arabes retulerint. Hi enim ex Aloe, croco & mirrha eas conficiunt. Ruffus verò croci non meminit, sed Ammoniacum pro croco imponit, neque pillulas conficit

conficit, sed puluerem componit. neq; est idem horum pondus Ruffo & Arabibus, vt si Paulum legere voluerimus Aetium & Orib. cap. de pestilentia, & Arabes vbi idem argumētum tractant, perspiciemus: sed siue hoc siue illo modo composuerimus, mirum est medicamentum, & à posterioribus omnibus probatū, & multis elatum laudibus: quod tamen mea quidem sententia, magis accommodatum esset homini à pestilentia custodiendo & defendendo, quàm iam lapsò in pestilentiam curando, exiccando enim quod insigniter præstat, & faciliè sine agitatione purgando à pestilenti putredine defendere potest; tutior tamen est eius vsus quando nulla, aut modica febris est accensa, quia cum febris acuta est, sicuti sæpe febres pestilentes sunt (nam et si exterius non videantur ardentes, interius tamen vrunt) calefacientia & exiccantia, vt Hippocrates & Galenus sæpe testātur, maximè illi aduersantur. Harum omnium dosis eadem ferè est, Communis enim vsus est, vt vsque ad sesquidragmam vel ad summum ad dragmas duas accedamus, Pulueres autem quibus non modò medici, sed interdum etiam mulieres ad purgationes vtuntur, sunt primùm pulueres hyeræ, & senæ puluis, quem apothecarij, & vulgares apud nos senæ præparatum appellant: facile sanè medicamentum, & primum quod ego nouerim à Bartholomæo Montagnana descriptum, exustis

præsertim humoribus crassisque & pituitosis  
 deducendis aptum. Conficitur autem accepta  
 senæ ad sesquiunciam, additis deinde macere &  
 zingibere vtriusque dragmis tribus, & deinde  
 fæcis vini albi, quam vulgares Tartarum appel-  
 lant sesquidrachma, Hoc medicamento nostræ  
 obstetrices in ciendo aluo, si quando in puerpe-  
 ris supprimatur, vtuntur: dant enim drachmam  
 vnam aut alteram ex iure gallinaceo, quod sæ-  
 pissimè citra vllam noxam aluum mouet. Ali-  
 qui tamen & sal itidem iniiciunt, & scamonium:  
 sed cum hæc adduntur, iam medicamentum hoc  
 hunc ordinem medicamentorum excedit. Sca-  
 monium enim & sal illud acriora sunt medica-  
 menta, etiam si cum leuioribus aliqua copia cõ-  
 misceantur, quàm vt possit ad hunc ordinem ad-  
 mitti. De pulueribus autem Hieræ, licet illæ ita  
 in vsu antiquis fuerint, tamen ob aloes amaritu-  
 dinem, pauci sunt qui illas absque aliorum mix-  
 tura possint admittere, ideo nõ multa præterea  
 de his dicemus. Sed ad aliud medicamen-  
 torum ordinem nostrum sermo-  
 nem iam conuertemus.

De

*De ratione usus & compositionis medicamentorum,  
que Soluentia potius quàm lenien-  
tia dicuntur.*

Caput XIII

**S**eruantes in his eundem quem in superiori-  
bus seruauius ordinem, primò de simpli-  
cioribus medicamentis tum de compositis  
agemus. Quamuis quantum ad institutum no-  
strum pertinet, in his res secus se habeat, ac in a-  
lijs de quibus hæcenus loquuti sumus. quia illis  
non modò interdum, sed frequentissimè, vt su-  
perius diximus, simplicibus vtuntur medici, sæ-  
pe verò paucissimis additis: his verò rarissimè  
solis, sæpius verò compositis. Vt autem compo-  
sitorum vires cognoscamus, & illis congruè vt-  
mur, necesse est prius de simplicibus ad hoc ge-  
nus pertinētibus agere, cum illa ab his vires suas  
fortiantur. Non omnia autem quorum autores  
meminere persequemur, sed ea tantum quæ pas-  
sim in vñ sunt frequentiori, & quæ inter com-  
posita recipiuntur, quibus frequenter ad purgā-  
dum ægrotum corpus medici vbique ferè vtun-  
tur. Itaque valentissima sunt, Scamonium, Co-  
lochintis, Elateriū, Veratrum nigrum, albi nāq;  
veratri vsus postquam Arabum doctrina in has  
regiones, & in nostra studia irrepfit, intermissus  
est. Arabes enim ab illo tanta incommoda affer-

ri-testantur, atque tot malis ab illo ægrotos affici affirmant, vt omnes medici, aut maxima eorū pars, illorum maledictis perterrefacti, illud in vsum reuocare timuerint. Sed neque de eo in presentia agendum est: cū enim de his quibus vomitus excitatur agemus, de illo sermonem habebimus. Polypodium, Epytimum, Turbith, Agaricum, & Cnicus quem Arabes Cartamum appellant, vim mitiorem aliquantò habent; de quibus illud in memoriam est reuocandum, quod superius diximus, nimirum, nos sæpe his vti, vt illorū mixtione imbecillium medicamentorum vires adiuuemus & excitemus, atque ea quæ tardiora sunt acceleremus, quo tamen casu eorum modicam portionem alijs addimus, non autem ea quæ ad id pondus prope accedat, sed quod exhibere solemus, cū solis vtimur, vt eis mediocriter purgemus: tunc enim imbecillium vires superarant & ipsa, non autem leuiora vacarent purgarentque: sed de hoc abundè supradictum est. De ijs ergo quantum ad id caput attinet quò soluunt, & in purgâdo præcipua sunt, nunc tractandum nobis est. Et quamuis, vt paulò antè dixi, rarò his solis medicamentis medici vti soleant, plerumque autem in compositionibus, veluti in appellatis Electuarijs, aut catapotijs, aut id genus alijs in vsum veniant, quia tamen aliquando etiam eis solis vtimur, & sæpius etiam antiqui vtebantur, nos etiam primò de illis

lis solis simplicibusque, postea de eisdem compositis in usum deducendis exactius loquemur. Neque tamen cum illa in usum sola deduci dicimus, intelligi volumus ea omnino simplicia & sola, atque sine vlllo apparatu & correctione, vel vlla materia exhiberi: nam si vel ex iure, vel ex mulsâ, vel ex aliquo alio decocto accommodato accipiantur, non ideò tolli credimus, quin dicere possimus, quòd illis solis & tanquam simplicibus vtamur, sicuti cum mulierem illam nobilem, quæ Herpete laborabat, & omnia medicamenta renuebat, Galenus Scamonio, sero lactis addito decepit. Et quia, vt iam sæpe dixi, vel nūquam, vel quamrarissimè medici, qui ex ratione medentur, hæc absque vlllo apparatu ægrotis afferunt, propterea quod nullum est horum medicamentorum, cui insignis aliqua malignitas, ac praua non insit qualitas, qua iecur, ventriculū, cor & reliqua viscera reliquasque præcipuas ac digniores corporis partes plurimùm possint lædere: Ideo primùm de ratione qua ea paramus, deinde verò paratis illis & correctis, quomodo vti possimus, sermonem faciemus, & postremò de illis compositis, quibus hæc purgandi facultate afferunt, agemus. Primùm autem quædam tractemus, quæ in vniuersum ad hoc negotium attingere arbitror.

Tria sunt quæ communi quadam ratione in his medicamentis corrigendis, & ita parandis

ne noceant, medici diligentiam maximam postulant. Primum est quod omnia istiusmodi medicamenta qualitate quadam prædita sunt, quæ naturam veneni sapit, & naturæ nostræ inimica sunt: neque ab his quæ verè & exquisitè venena sunt, ut in commentario quinto in sextum Epidem. Galenus docuit, alia ratione differunt, nisi quod venena verè & propriè illa dicenda sunt, quæ suapte natura eam vim & facultatem habent, ut eorum usu humano generi mors, & perniciës paretur: quæ quidem licet quando in exigua admodum copia exhibètur, illum cui oblata sunt non interficiant, nunquam tamen in aliquod humani corporis commodum, aut utilitatem verti possunt: nihil mirum autem est, si exigua admodum copia exhibita non interficiant: & si enim qualitate agant & forma, certa tamen quantitas exigitur: quod non in his solùm sed in cæteris omnibus rebus naturalibus locum habet. Ecce enim neque minima ignis fauilla comburet, cum tamen ignis sua natura comburendi facultatem habeat. Medicamenta verò quæ purgandi vim habent, & quæ propria sua natura ventrem solvunt, sicuti hæc, exempli gratia, de quibus præsens sermo est institutus, in multa quidem copia perinde atque venenum interficit, in certa autem & difinita quantitate, quantum nempe natura possit eam rectè administrare, & regere, & oportune illi oblata plurimum conferre

ferre possunt, & vtilia sunt: ad purgandum enim corpus ab his excrementis, quæ illi sunt molesta, illis tanquam instrumētis naturæ vitur: nam facultatem eam habent qua certos humores ad vētriculum, & intestina dum in illis horum vis manet attrahunt, quos deinde expultrix facultas ad exteriores partes expellit. Quod si maiori copia hæc medicamenta exhibentur, perinde vt venena necant, vnde Theriaca quæ vim habet reprimendi, & venenorum omnium perniciosam facultatem abolendi, si homini exhibeatur, qui pharmacum purgatoriū acceperit, quavis iam purgatio inceperit, aluum sistit vi medicamenti repressa & superata, sicut alia quoque venena ab ipsa superantur. Imò hoc maximè argumento an rectè parata sit Theriaca cognoscimus. Alterum verò cuius in horum medicamentorum vsu maximam rationem habere oportet, est, quod propria sua natura ventriculo, præcipuè verò orieius aduersantur, vt eodem secundo de Ratione victus in a. m. & viij. de Compositione medicamentorum sec. loca, capite tertio, monet Galenus. Cùm enim alicuius acrimoniæ non sint expertia, hæc ratione lædent: ob exitium enim istius particulæ sensum, plurimam ex eorum vsu molestiam percipit. Huc accedit id quod nobis ob oculos versari semper debet, nempe quod plurimùm viscerum robur & substantia exoluitur, laxiorque redditur,



## 92 DE COMP. MEDIC.

nisi illis aliquo modo consulamus. Tertium deinde considerandum est, quòd adeo ingrati & molesti saporis & odoris sunt dum deuorantur, vt cum primùm à gustu percipiuntur stomachum subuertant, & fastidium moueant: sed non tantùm dum sumuntur sunt molesta, sed postea etiam molestas & ingratisimas eructationes excitant: quæ, vt idem Galenus primo de Comp. med. per loca, cap. iij. ait, totum hominem turbant, & cogunt vt medicamentum euomat: atque deinde ita sollicitum reddunt, vt quiescere nequeat. Sæpe enim humores mouent, neq; tamen educere possunt. Sed agamus modò quomodo etiam in vniuersum his tribus incommodis occurrere possimus. Quantum ad primum pertinet, vt suprâ dixi ex Gal. lib. de Temper. & in vj. Epid. Com. v. si sint in ea quantitate exhibita, qua vires naturæ vincant, & ab ea superari, aut rectè administrari nequeant, nocent: sed si modicè oblata fuerint, & quantum à natura regi possint, quasi eius accommodata & vtilia instrumenta fiunt, adeo in hoc consistit ratio occurrendi huic primo incommodo, vt cuiusque medicamento eam mensuram inueniamus, quam natura facile & citrà insignem molestiam ferre & regere possit. Et hoc est quod Arabes, Latini, & multi etiã ex Græcis, Dosis appellat. Neque tamen negare volo, quin etiam multum quandoque expediat, aliqua his commiscere,

miscere, quæ venenosam eorum naturam vim habeant reprimendi: sed de hoc postea particulatim magis agemus. Alteri verò incommodo mixtura succurimus. Aliquid enim cum eis miscemus, quod tum horum medicamentorum acrimoniam obrundat ac leniat, tum verò substantiam ventriculi & aliorum viscerum colligendo illis robur addat, & obsistat, quo minus à medicamentosa pharmaci qualitate dissolui aut lassari possint. Vnde medici ferè omnes præsertim Mesue, eos summopere laudat, qui cum purgatorijs medicamentis lenientia cõmiserunt. ait enim, quòd illa horum operationem beatificent. Sed & alia ratione præterea occurimus si, post assumptum pharmacum, aliquid soluendum demus, quod detergendi vim habeat, vt siquid aut substantiæ, aut qualitatis medicamentosæ sit relictum, quod ori ventriculi hæreat, ad fundum detrahatur: quemadmodum esset mulsæ. Sed & syrupus rosaceus ex rosarum succo, vel infusione (vt aiunt) factus, posset huic rationi satisfacere. Hipp. verò eodẽ quo de Rat. vict. loco utroque nomine ptisanam, vel hordei cremorem laudat, si post acceptum pharmacum forbeatur, quia & leniendi, & detergendi vim habeat: quidam verò ad substantiam & partes oris ventriculi colligendas & roborandas, malum cotoneum, vel aliud quod sit adstrictionis particeps, mandant, vel pirum, aut succum deuorat.

94 DE. COMP. MEDIC.

Tertio autem incommodo occurrendum esse, docuere Hipp. & Galen. rebus quæ bene oleant, vt grato & aromatico odore, insuauitatem & abominationem (vt ita dicam) quam secum medicamentum affert, mitigent aut reprimant, & ventriculo gratiam concilient. Vt enim fetida & quæ tetrum spirant odorem, & quæ horribili sepe gustum afficiunt, fastidium & tandem vomitum cient, ita quæ bene olent, & quæ grato sunt sapore prædita, vt sunt grata ventriculo, imò & cæteris visceribus, ita facile ab eo detinentur, & rectè administrantur. Vnde postea excogitatum est, vt Gal. sæpe dicit, vt ex melle medicamenta conficiantur, vel saccharo, illisque aut aromata, aut semina bene odorata addantur, vt semina feniculi, anisi, cimini, ameos, & huiusmodi alia, quæ quidem preterea attenuando & aperiendo faciliorem pharmaci operationem reddunt, ita vt minori molestia egrum afficiat. Hæc sunt præcepta communi quadam ratione exposita: sed antequam res particularius à nobis tractetur, de Dosi prius adhuc quædam in vniuersum quæ cognita necessaria sunt, exponamus.

*De dosi in vniuersum purgatoriorum medicamentorum.*

*Caput XIII.*

**N**illum fortasse caput aut tam necessarium aut tam utile est, quàm illud, in quo medici agunt de inuenienda mensura, vel quantitate

titate medicamento, quæ ita congruè exhiberi possit, ut iuuet plurimum, obesse verò vel nihil vel minimum queat: atque hoc nò modò in his medicamentis medicum sollicitum reddit, sed in omnibus alijs ferè medicinæ instrumētis. Nam, ut in libro de Cur. ratione per venæ sect. dicit Galenus, sepius non tantùm medicis euenit sed etiam popularibus hominibus, ut pro comperto habeant, quid in morbo curando sit agendum. Cum enim natura morbi cognita fuerit, inde euentissima ratione perspicitur, an sanguinem detrahere expediat, vel magis calefaciendum refrigerandumue sit. quæ verò sanguinis copia sit detrahenda, aut quâ tum calefacere, aut refrigerare oporteat, non certa quadam, aut præfinita ratione possumus cognoscere, sed quâ tantùm coniectura suspicari. Quod Galenus in commentario in secundum de Rat. vict. comm. 37. testatur, ubi dicit: Singulorum præsidiorum quantitatem, artificiosa coniectura egere. Vnde postea in libro de Cur. ratione, per sect. venæ, ad dir: nihil esse quod in agendo medicinam, artem æquè faciat coniecturalem, ac cuiusque remedij quantitas. Quam autem hæc artificiosa cōiectura sit difficilis, idem ille, eodem secundo de Rat. vict. cum hæc protulit, ostendit. Artificiosè conijcere viri est, quo vires omnium, quæ ad eam artem pertinent didicerit, memoriæque mandauerit, & in artis operibus diligētia adhibita se exer-

cuerit. Vnde etiam in huiusmodi dosi purgatorij medicamento discernenda, sæpe medici in diuersas abeant sententias, præsertim verò cum particulatim res hæc tractatur. Nam minor sententiarum diuersitas oritur, cum generalim & in vniuersum huiusce rei consideratio proponitur, nimirum scilicet, quando quærimus, quæ homini laboranti, alicuius medicamento quantitas dari tutò possit, vt natura facile deinde euacuationẽ illam ferat, nulla tamen particulatim relatione facta ad hunc vel illum: quo quidem casu, maxima ex temperata ætate, viribus, tempore anni, regione, artibus, diuersitatis ratio potest oriri. Nam generalis illa consideratio latior est, & amplioribus finibus comprehenditur, longè verò angustiores proponuntur, cum generales rationes contrahere, & eas particulatim huic vel illi ægrotanti accommodare necesse est. Cum autem medico vtrunque sit necessarium, ideo de vtraque ratione agemus. Primũ in vniuersum negotiũ hoc tractãtes, mox verò, quo magis per artem fieri potest, præcepta hæc ad rationẽ vsus & operationis particulatim cõtrahentes. Quicumq; ergo rectè rationẽ eam tenere & addiscere voluerit, qua medicamenta, siue illa simplicia fuerint, siue composita per suas congruas doses metiri ex arte possit, oportet vt hoc primũ tanquam fundamentũ iaciat, nempe vt omnia medicamenta simplicia primũ per-  
 specta

specta ac cognita habeat, quantum ad facultates  
 eorum & vires pertinet. His enim optimè co-  
 gnitis, facilè deinde erit, illis ex quibus compo-  
 situm medicamentum est confectū, mutuò col-  
 latis, & compositorum vires facultatesq; cogno-  
 scere. Nec solūm ex Galen. passim satis est, si cō-  
 munes eorū rationes tenuerit, sed vt eas in suos  
 gradus digerat necesse est: neque de illis ordini-  
 bus vel gradibus nunc loquor, qui primas qua-  
 litates respiciunt, quamuis & illi sint necessarij,  
 sed de illis loquor nunc, qui naturam eam respi-  
 ciunt, qua medicamenta vim purgatoriam ha-  
 bent: quia non omnia eandem, aut æqualem  
 vim habent: imò alia alijs valentiora, aut imbe-  
 cilliora sunt. & sicut differentes sunt vires & ro-  
 bur, ita & differentem habent mensuræ, quanti-  
 tatis, vel copię ad purgationem offerendæ ratio-  
 nem. Hęc enim in ordines & gradus distinctio,  
 nō minus necessaria est illa, qua vt calefaciamus  
 vel refrigeraciamus, vel humedtemus, vel sicce-  
 mus, vtimur. Sed exemplis rem illustremus. In  
 his medicinis, quæ nunc in maiori vsu sunt, su-  
 premum ferè ordinem, & vt Galenus loqui so-  
 let, quartum ordinem tenet Scamonium, Elate-  
 rium, Colochyntis & Euphorbium. Horum e-  
 nim rari sunt medici, qui dum purgare velint,  
 nostris præferim his temporibus, audeant ad  
 pondus semidrachmæ accedere: plerique verò  
 neque ad scrupulum. Tertij ordinis sunt, Vera

## 98 DE COMP. MEDIC.

trum nigrum, flores geniftæ, quibus mulierculæ multum vtuntur, Turbith, agaricum, farcolla, ferapinum, opopanax, & huiusmodi: in quorum vsum non timemus etiam drachmam excedere. Vt tamen inter hæc sint alia alijs vehementiora, vltra tamen pondus sesquidrachma rarò transcendimus.

In secūdo ordine sunt, polypodium, Cnici semina (carramum Arabes dicunt) centaurea hermodactili, Cianeus lapis, quem Lazulum Arabes dicunt, radix iridis vel eius succus, in quibus ad drachmam alteram & semissem aliquando progredimur.

Vltimus ordo & qui primus dicitur, si à leuioribus & facilioribus (vt Galenus solet) incipiamus, est eorum medicamentorum, quorum tractationem in prioribus capitibus expediuimus.

Sed hoc in primis in horum medicamentorum ratione considerandum est, qui purgantium medicamentorum facultates, atque eorundem robur & efficacia sola experiētia medicos edocuit, ita vt vel parum, vel fortasse nihil ratio contulerit (de simplicibus loquor) Inde quicquid de facultatibus vel dosibus horum medicamentorum dicendum est, id tum ab experientia & obseruatione petendum erit, & proinde qui in vfu horum simplicium medicamentorum peritior fieri voluerit, oportet illum, vt ea quæ à probatis autoribus de illis sunt prodita, diligenter legat, & de  
inde

inde artē hanc exercēdo diligēter & solicitē effectib. & operationib. quæ post exhibitū medicatū, sequi solēt, diligenter attendat, vel longē ante optimos secutus præceptores, obseruet, quid & quomodo res illis succedat. Nam si diligenter quis animaduertat, videbit quod qui volūt esse (vt de natura pronūciauit Hippocrates) *αὐτοδιδάκτοι* hoc est, ex se ipsis, & sine præceptore, quæ sequantur, artē medicinæ ediscere, si profiteres in innumeros inciderunt errores, qui non sine insigni ægrorum damno & periculo committuntur. Nec id mirum, nam fallax admodum est & periculosum, si lectis his, quæ ab antiquis & probatissimis medicis literarum monumentis circa dosim medicinarū sunt tradita, illis vsquequaque hæreamus, non adhibito prius diligenti examine & iudicio, non quod illi nō fuerint excellentissimi, & omni fide atq; autoritate digni: sed quia per tot annorum curricula, eorum libri in manibus tot ignorantium literas, & negligentiam librariorum versati sunt, vt in his quæ ad pondera & mensuras medicamentorum tum simplicium tum compositorum pertinet (vt sæpè etiam Galenus in libro de Compositione medicamentorum per genera & secundum loca animaduertit) tanta errorum congeries orta fuerit: vt nisi recto iudicio fuerint omnia extimata, facile possimus errare. Quod etsi ex multis locis possemus ostendere, vnus tamen nobis satis erit



ad rem hanc patefaciendam. De dosi enim Hierz, Dialoes semel vij. Methodi secundo, & bis vij. de Compositione medicamentorum secundū loca Galenus loquutus est. quæ tamen loca si quis conferat, facile errorem illorum locorum insoleuisse iudicabit. Nam aliquando dandam esse drachmam ad summū ait, alibi completam dosim esse tres dragmas. Sed quis est quæso qui ea quæ de his simplicibus medicamētis, de quibus nunc loquimur, legerit, non miretur? Sicuti etiam iure admiratus est Auicenna secundo Can. cap. de Scamonio, cum viderit quàm varij & diuersissimi fuerint antiquiores autores in eorum pondere limitando & definiendo, quo illa ad purganda corpora tutò dari possint. Nam ut à Scamonio quod in frequentiori vsu est incipiam, Dioscorides posse ad drachmam vsque tutò dari cēsuit, quamuis deinde dicat, posse interdum satis esse semidrachmā, ut liberalis fiat purgatio, duo verò oboli, hoc est scrupulus, potest commodè aluum ciere, & ita videtur sentire, dosim eius esse à scrupulo ad drachmā. Paulus verò septimo libro suæ medicinæ ait, dandos esse obolos quatuor qui pendent duos scrupulos, cū quo Aetius & Actuarius consentiunt. Mesue verò quem omnes fermè iuniores sequuti sunt, non audet scrupulum dare, imò consulit non esse excedenda grana duodecim, sicuti minimum quod dari potest, ut ventrem soluat voluit qua-

ruore esse grana. Quid de Elaterio dicam? de quo sensit Dioscorides non esse obolum excedendum qui semiscrupulam æquat, sicuti minimū quod dari adultis potest, ut commodè purget, satis esse dimidiū oboli, hoc est pondus granorū quinque. Paulus tamen tres obolos, hoc est semidrachmam dari posse dicit: itidem Aetius & Actuarius. Mesue verò cum Dioscoride sensisse visus est. ipse enim à granis decem vsque ad scrupulū progreditur. Sed & dosim Colochyntidis hinc esse ait, à granis sex vsque ad decem, cum Dioscorides triobolum det, quod ad drachmæ dimidiū accedit. Sed iam hæc exempla omittamus (essent enim innumerabilia recensenda) & ad alia utiliora procedamus. In hac tanta sententiarū diuersitate, siue illa ex erroribus orta sit, siue ex authorum proposito, ne relinquamus animos iuuenum & perplexos & suspensos, rem hanc diligentius examinemus. Hoc primum exposito, quòd longè cautiorem oportet esse medicum in his metiendis medicamentis, quando ipsi res est cum eo purgando corpore, cuius naturā non habet adhuc perspectam, quoniam scilicet pacto liberales purgationes ferat, quā facile sit medicamentis obediens: qui si naturam exploratam habeat, & nouerit, an leui medicamento facile soluatur, an verò aluum habeat astrictiorem, modo prudens sit medicus, res multi non erit negotij, ut dicit Galenus in secundo de Rat. victus in

morb. acut. com. xj. accommodatum pondus medicamento præscribere. Sed quando ignota sit purgandi corporis ratio, maior æstimatio & diligentior est adhibenda pensitatio. ita vt neque eorum sententia placeat nobis, qui amplam putant exhibendam esse copiam, suntq; in dandis medicamentis liberaliores: neque illos etiam sequamur, qui nimis timidi in exhibendis medicamentis esse videntur: sed eorum qui viam mediam tenuere, vestigijs insistamus, quòd eodem loco Galenus insinuasse visus est, cum dicit: In illis qui nobis noti non fuerint, tantum medicamento dandum esse, quantum pluribus datum, solet mediocriter purgare. Duo enim sunt extremi errores, qui quantum fieri potest, sunt à medico declinandi. Primus, ne immoderata fiat euacuatio. hoc enim corporis egri vires deijcere potest. Alter ne si iusto imbecillior sit medicina, ita vt nihil vacuet, plus calefacièdo noceat, quàm proffit, & interim morb. crescat, aut moueat quidem, nō vacuet tamen: aut longè minus vacuet, quàm mouerit: vnde postea humores vitiosi moti non educti, maiorem, vt sensit Galenus secundo de causis Sympt. capite quinto, molestiam afferant. Quòd si quis fortasse petat, vnde nam à iuniori medico, qui nondum medicinam faciendo, & per experimenta artem hanc ediscere potuerit, hæc sint petenda. Dicimus quòd vt Cytharedi cytharizando, non autem solum discipli  
na

na, vt docuit Aristoteles, fiunt, ita & omnes artes per exercitationem tandem & vsu absoluuntur: in illis tamen, quæ operæ manus, vel alioqui corporis ministerio vtuntur, nisi ipse artifex se exerceat, & manum vel aliam partem assuescat, nihil efficit: artes verò quarum peritia à corporea artificis exercitatione non pendent, sed ingenio potius & iudicio nituntur, non modò ex ipsius artificis vsu absolui possunt, sed etiam siquid alij periti agant, obseruauerint. Vnde iunior medicus, si aliquandiu in maiori aliqua ciuitate versetur, vbi multi sint medici, qui plurimùm sint exercitati, & eos sequatur & obseruet, facillè hæc omnia percipiet, quoniam pacto scilicet, medicamenta metientes illis vtatur, multis inter se collatis quæ soleat esse communis eorum dosis, qua frequentius mediocriter homines in ea regione soleant purgari. Neque minus etiam illi proderit, si diligenter libros Apothecariorum legerit, vbi illi ex suorum medicorum præscripto medicamenta describunt: ita enim non multo tempore si diligentes fuerint, saltem eorum qui in maiori vsu sunt, si non omnium peritiam assequatur. Sed & hoc sciendum est, quòd non pauci est momenti, nimirum quòd quoties iuuenis aliquis circa dosim alicuius medicamenti præscribendi dubius erit, potius parcior esse debet, quàm liberalis. Hoc enim Auicenna Quarta Fen. primi Can. monet, cum dicit, Melius esse in purgâ-

do infra subsistere, quàm exquisitissimè vacua-  
 re. Cui sententiæ consentit Hippocrates & Ga-  
 lenus primo Aphor. Com. iij. qui præcipiunt va-  
 cuationes immodicas esse fugiendas, vt pote quæ  
 periculosæ admodum sint. Nam facilius deinde  
 est repetita vacuatione per alterum medicamē-  
 tū, addere id quod in priori defuerit, vel aliquo  
 clystere leuius medicamentum adiuuare, & de-  
 trahere id quod motum neque tamen eductum  
 fuit, quàm immodicam vacuationē reprimere,  
 & corpus post factas imbecilliores vires, ex ni-  
 mia vacuatione reficere. Nec minori diligentia  
 vti medicum oportet circa medicamenta, quib.  
 vsurus est, vt perspectum sanè habeat, quomodo  
 illa medicamenta se habeant: id est, an pharma-  
 copola apud quem diuertit sit vir bonus, & in e-  
 ligendis & emendis optimis quibusque medica-  
 mentis peritus, atque in illis rectè seruandis sol-  
 licitus: num item medicamenta sint noua, vel ià  
 inueterata. Noua enim plerunque fortiora sunt  
 Verùm & loci in quo medicamenta nata sunt, &  
 vnde allata, nobis est habenda ratio: nam locus  
 multum virium medicamento addit, aut de illis  
 detrahit. ac fortasse id in causa fuit, vt tanta inter  
 probatioris medicæ artis authores, in pondere  
 & quantitate simplicium medicamētorum præ-  
 scribenda varietas exorta fuerit, quanta supra  
 ostendimus. Nam vt à scamonio exemplum pe-  
 tamus: Dioscorides illud alijs præfert, quod in  
 Mysia

Myſia Aſiæ prouincia oritur, vnde triobolum dari, id eſt ſemidrachmâ cenſet. Credo enim magis huius ſententiæ fuiſſe Dioſcoridē, quàm qui integram drachmam auſus ſit concedere: & arbitror mendum eſſe in libris etiam Græcis, & ita puto tum Paulum, tum Aetium voluiſſe: Arabes verò & præfertim Meſue, illud quod in Anthiochia colligitur anteponunt. & Plinius Colophoniam, mox Pirenenſe: crediderimq; fortè quòd mitius erat ſcamonium ex Myſia allatum, vnde & liberalius etiam concedi poterat: acrius verò id quod ex Anthiochia, quo Meſue & alij quos ille ſequutus eſt, utebantur, & ideo timidioreſ fuere. Et hoc non noſtrum eſt commentum, ſed primus quem ego legerim Auicēna fuit, qui hoc capite de ſcamonio animaduertit.

Quod autem ex loco & regionibus medicamentorum vires mutantur, nullus ſanus medicus vnquam ignorauit: poſſumus autem nos id exemplo à iunioribus accepto demonſtrare. Nā Rha, ſi ad antiquos reſpiciamus, qui de eo ſcripſere, Græcos inquam, Ponticum tantùm nuncupatur, quod ad nos nunc vel ex Perſia, vel ex India fertur. Et vt doctiſſimus Manardus ſcripſit, qui vtrunque vidit, & illud ex Ponto à Sarmatis allatum, & hoc noſtrum quo vtimur, videtur ad vnā ſpeciem vtrunque pertinere. noſtrum tamen eſt odoratiſſimum, cum illud in ſignis o-

doris sit expers: quod ut idē retulit, & si purget, longē tamen minus efficax est quā nostrum. Vnde antiqui nunquam illud inter ea medicamenta recensuerunt, quæ aluum quoquo modo cieant, nostrum verò vim eam ciendi habet insignem satis: quę diversitas non nisi à loco vel regione oritur. Sed de his satis.

Porro nec minus à medico considerandus est modus vel ratio qua uti his medicamentis vult, nempe an crudis vel coctis: præterea solis ne, an alijs additis, præsertim verò illis, quibus si quid malitiæ est in medicamento, corrigatur. Nam si de eis medicamentis loquamur, quibus decoctis uti solemus, sicuti sæpe scamoneo, aliquādo colochyntide, sæpius polypodio, Epyrhimo, quandoque veratro nigro, vel semine cnicī, vel turbiti: item semine & flore genistæ utimur, cum per decoctionem acrimonia eorum mitescat, & malitia obtundatur. liberatiores in eorum usu esse possumus. Per decoctionem enim partes acriores & ingratae, partim vi coctionis digeruntur, partim cum alijs magis mixtae temperatiores fiunt: deinde verò solent plerunq; ex alia re coqui, qua aut caliditas, aut acrimonia, aut tandem quicquid in ea sit, de quo timemus, ne ventriculi vel aliorum viscerum vires lædat, obtruditur. Nam ut scamoneum primum, tanquam in exemplum proponamus, id cum parari vario modo soleat, modus is maximè ab omnib. probatur

batur, vt ex malis aut communib. aut cotoneis, id fiat, per coctionem autem paretur. Ex malis quidem communibus ita, vt accepta olla aut testaceo & mundo vase, malis primum fundus ad certam crassitiem, verbi gratia, digitalem, sternatur, mox item tantumdem malorum superponatur, & sic subinde donec vas plenum fuerit, mox autem carbonibus accensis, aut in camino posito vase, atque eo optimè triticea massa operito, quantum satis sit coquatur. Satis autem coqui dicimus, cū mala induruerint. In cotoneis etiam ita coquunt: illis acceptis & extracta duriori illa parte media in qua continentur semina, recisa tamen superiori quasi lamina, in excavatâ partē scamonium indūr: mox lamina quæ prius fuerat recisa pro cooperulo addita cooperiunt, triticeamq; pastam circumquaque malo cotoneo obducunt, ac ita coquendum apponunt. Quosdam tamen vidi, qui succo ex cotoneis expresso, eo scamonium macerantes parant. Sed omnibus in cōperto esse potest, per coctionem longè magis scamonium mitescere: nam vt rectè saltem hac parte videtur mihi Mesue monuisse, per decoctionem acrior eius pars & ferocior digeritur & absumitur. Sed & id quod à calore ventriculi inflatum digeritur, qui ventriculum distendere & subuertere solet, per coctionem etiam discutitur: per quâ item quasi maturescens leniens & minus nocuum euadit. Ex cotoneis



verò quæ moderatè astringunt, purgatoria eius vis fit moderatior, seu hebetior: vnde & tutius & cum minori molestia fit purgatio. Insuper verò liberaliores esse in eius vsu possumus, cum Diagridio vtimur. Sic enim scamonium ex cotoneis per coctionem paratum appellant, quàm cum crudo vtimur, licet sit ex eo succo per macerationem paratum. & mea quidem sententia, is cotoneorum succus, astringendo ventriculo & alijs visceribus maius robur, quàm alia communia mala, afferre possit, & magis vim solutiua obtundere: tamen cum ex alijs malis scamoniũ coquitur, plus ad temperandã, & moderandam, eius violētiam, motionem & acrem qualitatem coctura potest, quàm extinguens & refrigerans magis succi illius cruda natura. Quare & amplior eius dosis comedi potest, quando ex malo cotoneo, quàm quãdo ex alijs malis cocta est. item magis cum ex his, quàm quando ex maceratione in succo citoniorum, & magis ad purgationem videtur facere, cum ex hoc succo paratũ est, quàm si sine hoc detur. Quod de coquendo scamonio diximus, illud idem alijs aptari potest nempe vt semper & cocturæ rationē habeamus, & eorũ in quib. vel cum quibus coquenda sunt. His etenim bene perpenſis, nõ solũ quatenus ad eorum qualitatem pertinet, sed etiam ad quantitatem, sicuti exemplis etiam agemus. Diximus superius fuisse antiquos solitos, medicamenta  
 purgantia

purgantia cibis incoquere, præsertim verò ptisanæ, quia nullus fortasse cibus est huic negotio aptior: nam potest refrigerando humectando que, siccitatem & calorem eorum remittere, lenitate acrimoniâ & exasperationem, lubrica eius natura & sua deterfione id efficere, vt citissimè vis medicamentosa, ab ore ventriculi, cui est maximè noxia descendat. Vnde tantam vim habet hæc coctura, vt quemadmodum prius admonui, ideo medicamentū potius cibus sit medicamentofus, quàm simpliciter & absolute medicamentum, vel saltem ad ordinem mitissimorum medicamentorum deduci possit: ita vt antiqui sint ausi, in viscerum inflammationibus & acutis morbis, illis vti. Prope ptisanam est ius pulli gallinacei, quod facultatem habet, vt Gal. & Auicenna testati sunt, omnem succorum acrimoniam temperandi. Proximè ad hæc ferculum ex farre accedit. Neque etiam panis ex iure vel aqua coctus ab hoc negotio alienus esse videtur, præsertim si panis lotus sit prius. Item & ius album antiquis in maximo fuit vſu, & alia multa ferculorum genera, quæ ad hunc vſum transferri possunt, sicuti ex lente & id genus alijs vt Discor. etiam docuit. Sed si quis, iure lentiū vſus fuerit, id etiam illi cōsiderandum est, multum referre, an primum illud ius sit: prima nēpe aqua non abiecta, in qua primum ferbuerit, ac altera addita, in qua postea plenè coquatur.

Nam nisi mutetur aqua dum lens coquitur, ius illud aliquid vitiosi à cortice lentis contractum retinet, quod alui deiectionem facit, & calidius aliquanto est: alterū verò ex priori abiectò, & altera superinfusa potius, fluentē aluū supprimit, quam cicat, astringit siquidem, quo fit vt hoc ius magis purgatoriam medicamēti vim reprimat. Vnde magis ventriculi robur tutum ab ea noxa seruabit, quam illa medicamenta soleat afferre. Primū verò & si communi ratione cum in cicada aluo imbecillius sit alijs purgatorijs medicamentis, eorum quoquo modo vires possit remittere, minus tamen quàm alterum reprimet cum non sit adeo astringens, sed potius illa aliquo modo iuuet. Vnde in secundo purgatorio medicamentū liberalius inspergi poterit, quàm in primo. Sed & copia consideranda est tum iuris, tum aliorum fercolorum, vel decoctorum vel aliorum alioquin liquorum, in quibus purgatorium medicamentum inspersum, vel maceratum & dilutum, vel etiam decoctum exhibeamus: quia sicuti vinum quo magis aqua diluitur magis vires amittit, nam si ciatò vini ciatum aquæ addideris, minus potens erit, quàm si tantū semiciatum, quamuis totum bibatur, ita si semisrupulum scamonijs vel veratri in vncijs tribus decocti alicuis, vel alterius liquoris incoxeris, aut insperferis, vel maceraueris, valentius omnino medicamentum erit, quā si sex  
vncijs

vacijs indideris. & hoc in vniuersum est intelligendum, quòd quoties cunque purgatorio medicamento ea addiderimus, quæ eius aut vim, aut acrimoniam, aut aliud incommodum in eo timendum corrigendi facultatem habent, quo ea maiori addiderimus copia, eo etiam tutius illis possumus tâquam facilioribus vti, nec non id in simplicibus, sed in compositis etiam vt inferius dicemus intelligi volo, nisi ea sint addita quæ exacuent, & vim medicamenti maiorem reddant. Particulatim autem quæ sint, quibus soleant vel possint vti medici in corrigendis, aut temperandis, aut reprimendis purgatorijs medicamentis, nolo in præsentia exponere: quia etiam libellus hîc nimis excreferet, & de his diffuse ab antiquioribus medicis, vt Paulo, Aetio, Actuario, Mesue, Serapione actum est. Iam ergo de compositorum medicamentorum vsu agamus, quibus in purgandis ægris, frequentissimè his nostris temporibus vtimur. Istitis enim bene perceptis, facile deinde poterunt & alia, de quibus authores diffuse agunt, cum his collatis intelligi.

*De compositis medicamentis, quibus solent medici  
in purgandis corporibus uti.*

*Caput. XV.*

**D**E compositis quidem medicamentis fecus ac de simplicibus censendum credimus. Nam quamuis illa ex his conficiantur.

tur, & vires suas ab his mutuuntur, & hæc quantum ad vires & ad corrigendi rationem, & ad dosim pertinent, omnia sunt penitus experientia percepta. Composita tamen primum, neque rectè confici, neque confecta iudicari, neque in usum tutò deduci possunt, nisi rationali methodo innixi fuerimus, ita tamen vt experientia sit perquam necessaria. hoc enim Gal. dicit tum a libi sæpe, tum iij. de Comp. med. per genera, vbi dicit, Medicamenta citra rationalem methodum componi non possunt, ita neque citra experientiã nemo vim eorum certò & accuratè scire poterit: quia vt idem v. de Sanitate tuenda cap. secundo dicit, experientiã fidè inuenti medicamento comprobat. Vnde & id medico iuniori presertim cõsuluerim, vt omni sua ope ijs cõpositis medicamentis vtatur, quæ sint in vsu frequentiori, & sæpius fuerit experta, atque probatissimorũ medicorũ & iuniorum & antiquiorũ experientiam sequatur. neque ex vsu nouorum medicamentorũ sub quodam secretorũ prætextu fauorè & auram popularè affectet. nouissimum ille debet quòd omnes antiqui in hoc consentiunt, medicamentum id quod plures experti sunt, illi esse longo interuallo præferendum, quod non est experientia cõprobatũ. Vnde Galenus v. de Comp. med. per loca cap. primo, hoc institutum sequutus ait, Quæ ex consentiente experimento sunt iudicata, ea stabiliora sunt, &  
ob id

ob id etiam vj. de Tuenda san. cap. xiiij. semper in vsu medicamentorum experientiam, qua illa comprobata sunt pro norma esse habendam consulit, & eousque progressus est, vt neque aliqua medicamenta tanquam vtilia conscribenda & publicanda esse censuerit, nisi prius probata fuerint experientia. vtrisque ergo tanquam instrumentis sunt purgatoria medicamenta examinada & æstimada: ratione nempe præcedente tum subsequente experientia. Hoc quasi fundamento iacto, particulatim magis hoc negotiũ tractemus. Etiam cum medicamenta aluum soluentia, si formam & consistentiã respiciamus partiri in duplicem differentiam possint: in ea quæ electuaria dicuntur à iunioribus & Arabibus, & in carapotia. quamuis enim & ex saccharo parentur medicamẽta, & ita parẽtur, vt in quãdam veluti placentulas ex solidiori forma redigantur, que vulgo confectiones, vt alia dulcioria dicuntur: sicut etiam & pastilli, & trocisci qui vim habent purgandi, vt qui à violis nomen habuere: præterea & pulueres, sicutq; etiã syrupi, omnia tamen possunt tandem ad has referri differentias. neq; enim pastillis nisi in carapotia aut puluerẽ redactis in purgãdo vtimur: pulueres verò aut à liquore dilutas bibendas damus, aut melle vel syrupo assumptas, & ad modum electuarij diductas exhibemus. Syrupi verò nomen potionem significat, dilutis verò electuarijs

fiunt etiam potiones. Sed de his primò agemus, mox de Catapotijs, vt tamen istius meminerimus, quòd non parum ad breuiorem doctrinam faciet, nempe quòd còposita medicamenta purgatoria, si ea ex quibus còficiuntur excepto melle contusa possunt in puluerem redigi. In quemcumque modum & formam voluerimus, parari possunt. Nam assumptis puluerib. ex melle vel aliquo syrupo, fiet quod vulgo electuarium appellamus: sin autem dissoluto saccharo ex aliqua aqua vel aliquo decocto decoquatur ad absorptionem ferè liquoris, quo fuerit dissolutum, moxque vase ab igne detracto puluerem inspergantur, fieri possunt placentulæ, quæ confectio-nes ab Apothecarijs dicuntur. Nemo autem nõ videt, ex ijsdem pulueribus posse & pilulas fieri, si tantillum alicuius liquoris superinfundatur, quanto possint assumpti pulueres colligi & consistere. Et cum purgatoria medicamenti vis ex pulueribus pendeat, vnusquisque videre potest quòd maiorem vim habet pillularum drachma quàm semiuncia medicamèti alio modo parati: quia solent pharmacopolæ dum medicamenta alio modo parant vt parari solent: quæ confectio-nes vel electuaria appellari diximus, ad libram mellis vel sacchari tres specierum vncias iniicere. Quibus & id accedit, quòd vt supra fuit dictum quòd maior est copia materiæ, qua ea miscentur, quæ vim purgandi habent, eò robur in purgan-  
do

do remissius & mitius fit, Sed de his satis. Agamus tandem particulatim de his medicamentis quæ electuaria in præsentia appellant: in qua tractatione quæ de ijs dicemus, ad ea etiam erunt referenda, quæ vulgo confectiones nuncupari diximus. Neque tamen omnem siliam compositorum purgantium hoc capite complecti volo, quorum descriptionem ab authoribus multis peti possunt: sed tantum eas descriptiones spectabimus, quæ in usu maiori & frequentiori sunt. Porro cum præsens institutum circa ea composita medicamenta versetur, quæ purgando corpori sunt apta, purgatio verò tantum necessaria est, ubi copia est vitiosorum humorum, ex Galeno & Hippocrate. Quando enim affectus est citra materiam, corpusque mundum fuerit, vacuatio non habet locum: unde Hippocrates etiam dixit, quòd corpora sana ex usu medicamentorum exoluuntur: & ideo primum superuacuis & vitiosus humor purgandum esse indicat. In purgatione verò præterea ratio habenda est nature, corporis purgandi, ætatis, temporis, & regionis ubi fit purgatio, quando in medicamentorum compositione electione & usu, hæc quoque omnia erunt spectanda. Nam cum omnium simplicium medicamentorum, si verè purgatoria sunt, vis calefaciat & exiccet, corpus turbet, vires laxet, & dissoluat: quæ omnia nobis in causa sunt, ut supra diximus, cur potius compo-



## 116 DE COMP. MEDIC.

quàm simplicibus vtamur medicamentis in purgando, & quamuis primùm & præcipuè fit considerandum, vt id medicamentũ eligamus, quod eum humorem vim detrahendi habet, quem vel putamus in præsentia ægroti negocium faceſſere, vel ne in poſterum faceſſat dubitamus: quia tamen medicamentum correctione eget, neque ſemper expedit vt eiſdem corrigatur, quia alia corrigentia in alijs morbis ſunt oportuniora, vt in calidioribus vel frigidioribus, alia in alijs ætatibus, vt iuuenili & ſenili: alia in alijs temporibus, vt æſtate vel hyeme: alia in alijs temperaturis & & naturis corporum: alia in laxiori & imbecilliori ventriculo: alia in vniuerſo corporis habitu ſolidiori vel infirmiori. Ideo pro horũ omnium ratione diuerſis & varijs opus erit medicamentis, vt morbos curare cõmodè medicus & citra noxam poſſit. Vnde cum prima & præcipua fit indicatio, quæ ab affectu vel eius cauſis accipitur, ideo baſis in componendis medicamentis inde eſt accipienda, reliquorum verò quæ illi addenda ſunt ratio ab alijs poſtea quæ præterea expoſuimus petenda erit. Primò ergo medicamenta de quibus loquuturi ſumus diſtinguemus ſecundum eorum humorũ rationes, ad quos purgandos exhibentur: & cùm tres ſint humorum differentia, tres quoq; erunt ordines vel potius quatuor medicamentorum de quibus agemus. Nam aut ſimplices ſunt humores, aut mixti: ſimplices

plices, vt bilis vtraque & pituita. Primò ergo de his quæ purgandæ bili potius accommodata sunt tractabimus, mox de his quæ pituitam purgandi vim habent. Tertiò de ijs quæ atram bilem purgant. Postremò ea subiungemus quæ plures & diuersos humores mixtim purgant.

*De usu & compositione medicamentorum, quæ flauam bilem uacuant, quæ pituitam, & quæ plures humores.*

Caput XVI.

**M**edicamenta composita quæ electuaria dicuntur, teneram verò substantiam & quasi eorum medicamentorum consistentiam habent, quæ Elegmata à Græcis, Loch ab Arabib. dicuntur, ab aliquibus autem posterioribus medicis anthidotorum nomine appellantur, & quæ sunt bilioso humori purgando apta, non omnia hîc congeremus, sed ea tantùm quæ his temporibus in Europa ybique ferè in frequenti vîsu sunt, & apud omnes Pharmacopolas conficiuntur. Hæc ergo in maiori vîsu habentur: Diaprunon vel Diadamascenon, quod à prunis vel præsertim damascenis ideo vocatur, quia medicamenti huius (non dico vt iuniores basis & præcipuum) sed in hac compositione potius materia sunt. De eo autem nunc lo-

quor, quod solutiuum appellant, addito videlicet scamonio: nam quando citra id fit in lenientibus ponere possimus. Alter est quod ex succo rosarum fit, & ab eo etiam nominatur, & vtriusque autor aut saltem expositor fuit Nicolaus. Huic autem negotio accommodata iterum sunt duo ex Mesue descripta: alterum quod rosatum Mesue vulgo dicitur, diuersum ab eo Nicolai: præterea id quod ex psilio, id est, ex succo vel mucore ex semine psilij. per eius conuassationem, & ex aqua extracto conficitur, à quo & nomen habuit. Hæc si in examen aliqua adhibita diligentia reuocauerimus, satis fore putamus. Nam etsi aliqua præterea reperiri possint medicamenta, quæ huic præsentis instituto essent accommodata, si illa cum his conferantur, & cum horum examine, facilis quoque eorum ratio cognita erit. Sed primò aliqua pro dicendis fundamenta iaciamus. Bilis intus detrahendæ hæc medicamenta vim habent. Humor est, substantia tenuis qualitatibus calidissimis siccissimisque aliorum omnium, acris & mordax, sapore amarus. Vnde omnes morbi ab hoc humore excitati, ardentes & ignei ferè sunt & acuti, qui præter dolores & incommoda quæ afferunt, hoc præsertim mali habent, quòd corpora accendunt & quasi vrunt. argumèto sunt febres ardètes, quæ Causi Græcè dicuntur. Tertianæ Erisipelata, Herpetes. Pleuritides, Phrenitides, ophthalmiæ, & huiusmodi morbi.

morbi. His addo ex Galeno & Hippocrate in libro de Natura hominis, quod ut bilis copia, & suis qualitatibus, in regionibus, tempestatibus temperaturis, temporibus, maximè viget & dominatur: ita licet in omnibus temporibus, regionibus, tempestatibus, naturis, ætatibus, omnia morborum genera possunt pro varia occasione excitari: frequentius tamen excitantur morbi, qui conformes naturæ sunt, temporibus, ætatibus, & nuper expositis reliquis conditionibus. Vnde istiusmodi morbi, quos ex bile oriri dixi, frequentissimè in iuuentibus & natura calidioribus corporibus, atque locis, & temporibus calidioribus, ut ætate, medicis negotium faciessere solent. At verò cum & ea simplicia medicamenta quæ bilem detrahere possunt (loquor de verè purgatorijs) insigniter calida & sicca sint & acria præter id quod aucta intemperie, à calido & sicciori humore impressa, non parum obesse possunt, humoris quoque calorem & acrimoniam, tum calida & sicca sua temperatura, tum etiam motu, cum motus calefacit, exacuunt: quo fit præterea, ut viscera laxata eneruentur. Vnde neque administrari tutò medicamenta possunt, nisi hi incommodis omnibus perspiciamus. Quatenus enim ad acutos morbos pertinet, quàm cautum in vsu soluentium medicamentorum medicum esse oporteat, docet vbique Galenus & Hippocrates. præsertim verò Aph. primo. Sod

& quantum horum medicamentorum usus noxius esse possit æstuosis temporibus. & locis, cum quibus etiam ætas & naturalis temperies corporis calidior consentit; ostendunt iidem quarto Aph. com. v. quo loco & robur corporis à vi medicamentorum exolui aperte pronunciauit Galenus. Vnde cauti & periti medici hæc omnia prospicientes; compositiones medicamentorum excogitarunt, quibus possent omnibus his obstantibus, tuto cum opus fuerit, illis uti; quia soluentium quidem vim purgatoriam moderatam retinent si quis modeste & oportune utatur, adeo autem vis calefaciendi & exiccandi temperatur, & ipsorum acrimonia obtunditur, roburque visceribus additur, ut insignem aliquam noxam afferre non possint, imò ex eorum usu id nobis contingit, quod eodem primo Aph. in purgationibus monebat Galenus, attendendum esse, nimirum maiorem noxijs humoribus vacuatis ex purgatione sequi utilitatem, quam id fit quod ex his medicamentis necessario sequitur, detrimentum. Sed rem hanc iam particularius agamus, eo medicamento in exemplum proposito, quod Diadamasenon dicitur. Hoc tamen primò consideremus, quod istius compositionis duplex est modus. Nam primum citra scamonium fit, & vulgo dicitur, non Solutium, quod ad præsentem tractationem non pertinet. Conficitur autem ex prunis, quæ ubi exquisitè

ex aqua cocta sunt, extrahuntur, atque cribro fricata supposito terreo vase, donec per foramina vniuersus succus relictis duntaxat nucleis excipiat. Sed prius in ea aqua ex qua fuerant decocta pruna, inspergantur violarum recetium, aut aridarum flores pondere sesquiunciae, qui vbi paulisper incocti fuerint percolandi, facta expressione, extrahedi atque abijciendi, sunt. Postea vero illud prunorum & violarum decoctum accipe, & libris duabus saccari additis ad consistentiam syrupi coquatur, addito succo prunorum qui cribro fuerat collectus ad pondus librae. vbi autem spissior fieri per decoctionem coepit, accipere oportet tamarindos, quos oxiphænicas, ac si acidas palmulas dicas, iuniores Medici Græcè appellant, & interiorem cassiæ Ægyptiæ medullam, singulorum vnciam vnam. vtraque autem ex eodem decocto dissoluantur, & colata medicamento indantur, & ad congruam spissitudinem coquantur. Semper cum spatula, vt aiunt, miscendo & agitando. Postremo vero inspergatur & immisceatur is puluis: vt Recipe Sandalorum rubeorum & alborum, spodium, rhabarbarum, cinamomum. sing. drachm. tres: rosarum aridarum, violarum, seminis portulacæ, scariolæ, berberis, succi liquiritiæ, dragacanti, singul. dragmas duas. Seminum citrulli vel cucumeris, melonis, cucurbitæ mundatorum, sing. dragmam, omnia contusa, & cribrata in tenuem puluerem deducantur.

tur. Simplex hæc compositio quæ & non solutiua dicitur, ita se habet: in qua si rectè volumus considerare præcipuum medicamentum, & id quod confectionis huius est basis, sunt pruna, quæ ut Galenus secundo de Alim. fac. capite trigesimo primo dicit: Sua humiditate etiam lento re, aluum leniendo subducunt. Arabes verò illis vim aliquam detrahendæ bilis concedunt: refrigerat verò modicè. Cætera propter aliquam comoditatem adduntur: quia enim modicam vim pruna habent, addit auctor huic compositioni Tamarindos, & Cassiâ, quæ etsi ferè ad idem genus medicamenti, tam ratione purgandi humoris, quàm modi quo aluum cient pertineant, omnino tamen maiorem vim habent subducendi, præter id quod Tamarindi magis refrigerant magisq; feruorè bilis extinguunt. augent ergo vim prunorum, eaque non parum iuuant. At verò quia ille qui medicamentum hoc composuit, scopum talem habuit, vt commodè in biliosis & acutis morbis & calidioribus tēporibus eo possemus vtī, ideo nondum ex ijs videbatur compositio vim tantam habere refrigerandi, quantum ad id satis esset, ob hoc viotas addit, quæ magis refrigerant & leniunt, fructus autem berberorū (quos idē esse volunt quod oxiacanta apud Dioscoridē) semina Scarioles vel feridos, cucumeris, melonis, portulacæ & cucurbitæ, quæ refrigerat & aperiant, ex quo præter refrigerationē eâ præstare

præstare possint vtilitatem, vt vias aperiant, & humori educendo faciliorem transitum parent. Succus verò liquiritiæ & tragacantum lenire & remittere acrem & mordacem bilis naturâ possunt, ne dum transit per partes sentientes, molestiam vellicando & mordendo corpori afferat. Quia tamen eiusmodi omnia partim refrigerantia, partim humectantia ventris & aliorum viscerû substantiâ laxam & languidam possunt reddere, idè vt & huic incommodo occurreret, cogitauit rectè expedire, si Rhabarbarum adderet, quòd omnia viscera colligendo laxam eorum substantiam roborat, & quòd ad primum scopû non parum facit, cum potius deductionem bilis adiuuet, quàm eam possit impedire. Sed & Cinamomum addit, quia & ipsum robur addit, & ventriculum mirificè roborat, & grato odore gratiam illi conciliat, & cordi amicum est, quòd vitæ nostræ est fundamentum. Meritò ergo laudatur vulgo hoc medicamentum, tanquam morbis & temporibus calidioribus accommodatissimum. Si modo velimus nos, vt addit Nicolaus ex lenituo medicamentum hoc laxatiuum reddere, cuique huius compositi medicamenti libræ, septem diagridij drachmas, hoc est scamoniij in malis cocti immisce. Sed hic parumper est consistendum & considerandum, quòd additû scamoneum, medicamenti ordinem & naturam mutat: non enim amplius inter lenientia poni-



tur, sed inter verè purgatoria, & ea quæ soluen-  
do, bilem quæ attrahendo liberaliter corpus va-  
cuant. neque tum amplius eius medicamenti  
præcipuum fundamentum, & basis sunt pruna:  
sed tota ea compositio tanquam apta & commo-  
da istius medicamēti materia facta est. Primum  
autem & præcipuum eius fundamentum, & ba-  
sis est scamonium. nam quòd validè bilem attra-  
hat, scamonio acceptum refert, reliqua verò in  
compositione posita, ad id faciunt, vt facilius &  
minori agitatione, atque minori noxa fiat bilis  
purgatio, dum prior compositio corpus lenien-  
do iuxta Hippocratis præceptum, fluidum il-  
lud efficit, acrimoniam scamonij reprimat, refri-  
gerando calorem eius temperat modica astrictio-  
ne Rhabarbari & cinamomi, berberorum laxita-  
tem quam afferre solent laxantia hæc medicamē-  
ta, corrigit. Vnde medicamērum istud adeò mo-  
destum & tutum redditur, vt eo facile & sine ti-  
more vti possimus, in temporibus, ætatibus, re-  
gionibus, atque constitutionibus calidioribus:  
ac item in acutis morbis, quando oportuna pur-  
gandi occasio fuerit. Sed nonnulla prius consi-  
deranda sunt, quàm ad alia transeamus. Primum  
enim scamonium post absolutam medicamenti  
coctionem adijcit Nicolaus, quia cum iam prius  
seorsum coctum in malo cotoneo fuerit, opus il-  
li non est vt iterum coquatur: minus enim eius  
vis dissolueret, quòd in alijs etiam compositi-  
onibus

tionibus est aduertendum, nempe vt cum diagridij fit mentio, id non indatur nisi post eorum coctionem quæ coquenda sunt. Deinde verò quatenus ad eius dosim metuendam pertinet, hoc ignorandum non est, quòd semuncia, vt quotidie ostendit experintia, ea eius est portio, quæ plures liberaliter quidem, sed citra noxam purgare solet. dū enim ego Venetijs medicinam facerem, animaduerti vulgares & artifices sponte sua absque medicorum consilio cum purgari volebant, ad farmacopolas accedere, & petere vt semuncia succi prunorum sibi traderetur. ita enim ipsi hoc medicamentum appellabant, & medicamento accepto facilè & sine vlla molestia æstate præsertim, liberali fruebantur purgatione. Neque tamen hoc ita exquisitè in omnibus seruandum est adeo, vt putemus nunquam id pondus esse variandum; rarissimè etiam id excedendum: interdum etiam minus dandum pro ratione roboris corporis, ætatis, facilitatis, & lubricitatis ratione, vt & in leuioribus medicamētis superius exposuimus. Tertiò & illud est aduertendum, quòd hæc quæ nuper exposuimus ita sunt intelligenda, vt locum habeât quando solo hoc medicamento vtemur: quia si eo tanquam calcari & stimulo aliorum medicamentorū vteremur, sicuti si calsiæ addere vellemus aut lenitiuo appellato electuario, vel alteri medicamentorum, non erit integra hæc dosis

seruanda sed minor. Nam tantum addendum erit quatum alterius medicamenti infirmitas & purgandi corporis ratio videntur requirere, interdum verò paulo plus. Quarto id etiam est considerandum, quod iunioribus medicis fortasse dubitationē afferet, quia ea nimia videtur esse medicamenti istius copia, quam nos diximus pro eius dosi habenda esse: quæ communi ratione pluribus potest esse satis: nam semiunciæ scrupulum, hoc est viginti grana comprehendit, cum tamen Mesue ad grana duodecim vltimum terminum præscripserit. Huic obiectioni ex superioribus dictis facile respondeo, quod inde alii non minoris authoritatis Medici quam Mesue, secus sensere, & ampliores terminos huic dosi constituere. Sed seruata etiam Mesue authoritate, dico quod alia est scamoniæ ratio quando in diagridium est mutatum, idem quando solo eo utimur, & quando in compositionibus: dum enim aliis miscetur vis eius remittitur vt supra dictum est. Sed & huic rationi mox & experientia adstipulatur. Sed iam ad alterum medicamentum ex succo rosarum confectum trāseamus. in his enim dictis fuerimus longiores, quia accommodari etiam sequentibus poterunt, vt nunc videbimus. Componitur ergo hoc medicamentum sic: accipient saccharum & succum rosarum singul. vncias sexdecim, atq; illis simul coctis syrupum faciunt eo modo quo syrupi rectè parantur, cui

syrupo

Syrupo hos pulueres addunt. R. trium sandalorum differentias, id est albi, rubri & citrini singulorum ʒ. vj.

Spodij. ʒ. iij.

Diagridij ʒ. xij.

Camphoræ ʒ. j. Omnia contusa & in puluerem redacta inspergantur: & ita diligenter sunt immiscenda, vt ad consistentiam & formam electuarij, deducatur. Quod si cum Diadamaſceno conferatur, primo quatenus ad primum & præcipuum scopum pertinet, similem ambo ferè rationem habent si ad vim purgatoriâ respiciamus: primum enim & præcipuum medicamentum simplex, quod bases à nostris recentioribus dicitur, vtroque est scamoneum, cuius primaria facultas est bilem euacuare, reliqua verò tanquam adiuuantia apponuntur, vt faciliorem minoriq̃ue molestia & noxa reddant operationem, quàm Scamonium redderet, quod alioquin violentum medicamentum est. Nam præcipuum omnia refrigerant, quâuis enim rosarum succum Mesue dixerit esse calidum, & ferè ad primum vsque calefacientium ordinem redegerit. Gal. tamen in refrigerantibus primo met. cap. nono illū ponit: & tertio de Simpl. medic. fac. cap. xij. Si Græca & manuscripta exemplaria sequamur, ventriculo item & cordi & omnibus visceribus amicus est, tū modicè astringendo, tum verò grato odore, quasdâ tamen partes

calidas immixtas habet quibus detergere, digerere & aperire potest, in quibus amaritudo & aromaticus etiam odor fundatur. Sandali etiam refrigerant & adstringunt: vnde & languenti & æstuanti ventriculo, cordique ex calidiori aliquo affectu laboranti opem ferunt, mirificeque succurrere creduntur. De Spodio non habeo quid dicam, nempe an credam spodium hoc cuius Arabes & Nicolaus meminere, esse rem nostris incognita: neque de camphora etiam sermo nē habebō: creditur tamen refrigerare, quamuis acrem & quasi grauem spiret odorem. In purgandi itaque facultate, simile ferè medicamentū hoc priori est, nisi quod vt nūc dicemus, mea quidem sententia, prius aliquantisper potentius est quàm hoc: aliis verò facultatibus hoc magis refrigerat: nā prius recipit Rhabbarū & cinnomū, in hoc autem præter scamoniū omnia refrigerant. Sed & illud ex prunis leniendi & humectandi vim maiorem habet: nam & prunorū succus & cassia leniunt & humectāt, & violæ & liquiritiæ succus: & tragacantum rosæ: hoc autem magis deficcet. omnia enim in eo siccant. Vnde & maior in hoc est laxiorum viscerum astrictio & roboratio, & ideo accommodatius est hoc medicamentū illis affectibus curandis, quia à calida fluxione sunt excitati, vt sunt podagræ, chyragræ, & tandem dolores articulares ex tenuioribus & biliosioribus humoribus ortum habentes

habentes: nam præter id quod vitiosos detrahit succos fluxionemque deprimit, & membra astringendo roborat, & tertianas quidem febres curare potest. Sed quotidianas quomodo (id quod Nicolaus vult) non video, cum calidos & vitiosos succos purgandi vim habeat præcipuam, & refrigeret etiam, at quotidiana pituitæ vacationem, attenuationem, & detersionem, præsertim in inclinatione insignem requireret. nam et si scamonium pituitam quoque detrahere possit, primum tamen bilem purgat, & alia quæ addita sunt, potius bili quam pituitæ temperandæ sunt accommodata. Tandem ergo ubi viscerum & particularum maior sit laxitas & imbecillitas, hoc ex succo rosarum paratum medicamentum alteri est præferendum. Vbi verò morbus siccior sit, & sitis vehemētior, aluiusque magis astricta, mihi magis Diparunō probaretur. Vnde & in tertianis & in febre ardēte, Nicolaus laudat Diadamascenon. Sed quātum ad dosim pertinet, cum in priori voluerit libræ medicamenti scamoniij drachmas septem addendas esse cum solutiuum facere volumus: huic autem toti compositioni quam ad duarum librarum pondus contraxit: ita enim dixit, quod tertia pars totius compositionis, quam suo maiori antidotario descripserat ut ipse inscripserat, sunt libræ duæ, habēt autem drachmas duodecim scamoniij: vnde sesquidrachmam libra quæque accipiet: maior ergo sca-

## 130 DE COMP. MEDIC.

monij copia in hoc erit, quàm in priori. Præter  
 quam quòd & minor est in hoc quàm in priori  
 astrictio, & fortiora sunt alia lenientia: cassia ni-  
 mirum & tamarindi in medicamêto ex prunis.  
 Vnde si solùm demus hoc ex rosis, vel tantun-  
 dem, vel etiam paulo plus quàm prius dare pos-  
 sumus. Tertium verò medicamêtum cuius me-  
 minimus, est, quòd iridem ex succo rosarum con-  
 ficitur: describitur autem à Mesue, & appellatur  
 propterea Electuarium rosarum Mesues, quòd  
 & virib. & compositione priori Nicolai simile  
 admodum est, & quatenus ad scamonij copiam  
 nullam ferè differentiam habet. Nam licet medi-  
 camentum Nicolai Diagridium accipiat, quòd  
 non habet râtam vim sicuti scamoneum crudû,  
 & in hoc à Mesue scamonij Antiocheni fit men-  
 tio, quòd refertur ad id quòd crudum est, quia ta-  
 men Nicolaus post cocturam addendum præce-  
 pit, Mesue verò noltit ex saccharo & rosacco suc-  
 co diutius coqui, res tandem eadem euadit, & in-  
 idem tendit. Temperatius autem hoc esse vide-  
 tur, si pulueres qui inspergendi sunt post conse-  
 ctum syrupum ex libris quatuor succi, & sesqui-  
 libra sacchari, vncijs sex mannæ & sesquiuncia sca-  
 monij inspissentur. Pulueres verò oportet ex pa-  
 stillis, ex podio, qui ad æstam ventriculi extin-  
 guendum vel remittendum in calidis & æstuo-  
 sis febribus plurimum valêt, accepta ex illis vnci-  
 a, & ex pastillis ex berberis dragmas quatuor  
 qui

qui item refrigerat, galliæ verò & croci sing. drachmas duas. Gallia autem ab ipso Mesue descripta est, quæ vim habet insignem, grato præsertim suaviq̃ odore, omnia præcipua roborare potest, maximè verò cor & cerebrum. Et quamuis si rationem scamonij quod recipit habuerimus, paria ferè sint duo hæc medicamenta, quatenus ad purgatoriz̃ facultatem pertinet, & eisdem affectibus pariter possunt conducere, hoc tamè Mesue præstantius aliquantisper videtur: nam & facilius purgat, minusq̃ue corpus conturbat, quod experientia sæpius docti sumus, cui & ratio attestatur: quia vt idem Mesue in suo libro de Consolatione medicinarum exponit, Feliciorem & faciliorem euacuationem purgantia medicamenta præstant, si mixta exhibeantur, cum his quæ facultate leniendi sunt prædita. Hoc autem manna accipit, cum alterum nihil ferè præter succum rosarum accipiat. Huius dosis dum solum accipitur, vsque ad vnciam tutò ascendere posset, vel paulominus. Ferè enim vncia medicamenti, scamonij grana circiter duodecim vel paulominus continet. Nam vt testantur qui cõponunt, si hoc medicamentum tum postquam coctum est, pendatur, tum vt describitur à Mesue conficiatur, libras duas & vncias octo ponderet. Quartum medicamentum, in his quorum meminimus est, quod ex succo vel mucore extracto ex semine psilij macerato ex qua tâquam



ex materia medicamento fit, à qua etiam nomen est consequutum. Huius verò duæ compositiones sunt in vsu in his locis, præsertim Venetijs Parauij que. Altera Mef. altera Barthol. Montagnanz. De vtraq; nos aliqua dicemus, & primū de ea quam scriptis mādauit Mef. paratur ea sic: Acceptis succi boraginis & nostri buglossi vulgaris, endiuizæ que & Apij sing. lib. duabus: postquam cocti & despumati fuerint, in his macerentur per diem & noctem hæc infra scripta.

Culcitræ ab Arabibus appellatum Anisum.

Sene folliculi, cuiusque femiuncia.

Capillorum Veneris manij. j.

Succi fumi terræ vncias tres.

Quatuor assari,

Spicæ nardi duæ: mox coquenda, vt tamen semel tantum bulliant, nec diutius, atque post vnam ebullitionem indatur illis violarum vnciæ tres, duæ autem epythimi, ac iterum parumper bulliant: deinde colentur succi, & commodè exprimentur, ac illis abiectis ex succo maceretur iterum per diem & noctem vnciæ quatuor feminum psilij, vel pulicariæ herbæ, postea mucilaginosus succus illis conuassatis extrahatur. His rectè factis, accipiendæ sunt quatuor istius mucilaginosi succi libræ, quibus saccari duæ libræ & semis sunt immiscendæ. Scamonij item in pomo cocti, vnciæ tres & semis, atque facili coctura omnia mox coquenda: cui postea hi sunt

insper

inspergendi pulueres, vt accipiantur Trociscorū Diarodon, ex podio, ex rhabarbaro, sing. vncia, ex berberis semuncia, etiam omnia contusa in puluerem redigantur. Hic tamen primò illud est animaduertendum, quòd licet in hoc medicamento copiosum ingrediatur scamonitum, quia tamen duplici afficitur coctura, primum nempe ex pomo, mox iterum ex succis & saccharo quasi syrupus sit: & propterea adeò vis scamonij remissa mitescit, vt facile, neque plurimum soluens fiat medicamentum, ita vt tutò cum solo eo vsurifumus, semunciam etiam excedere possimus. Sed quatenus ad eius vires & facultates spectat, morbis quidem biliosis & id genus febribus cōfert. Sed vt & Mesue testatur, ijs etiam quæ curatu difficiliore sunt, nimirum cum bilis exulta iam est, & per assationē crassior facta, vt iam in humoris melancholici naturā vergat, id enim folliculorum senę & epythimi, & succi fumarie vel fami terræ admistio facit. neque ab hoc scopo alieni sunt succi vtriusq; vt ipse ait, buglossi. Vnde quia calidus humor & asper est, ideo mucilaginem psilij vel pulicariæ accipit, quæ lenire & refrigerare potest: sicuti & succus endiuie, & pastilli ex spodio, & berberis. Crassior autem factus humor, requirit attenuationem & apertionem, quod quidem præstare possunt succus apij, & pastilli Diarodon, & qui ex rhabarbaro dicuntur. Hi enim attenuant & aperinnt, & iecur

ventriculumque & viscera omnia roborant. Vnde  
 de diuturnis febribus, quæ hominem ad aquam  
 intercutem solent perducere, tollendis, summo-  
 pere conducere creditur. Bartholomei autem  
 Montagnanæ descriptio ab hac non parum dif-  
 fert, neque cum ea conuenit, nisi in mucillagino-  
 so psilij succo, scamonio & sēna. Nam primū  
 Sebesten, tamarindos, senam, violas & passulas  
 accipit, sing. vncias quatuor. Polypodij verò li-  
 bram vnam, eaque immersa libris decem aqua  
 dulcis, per diem ac noctem macerat, mox ad me-  
 dietatem decoquit, decoctumque percolatum,  
 & expressum accipit & calefacit, illique imponit  
 feminum psilij libram: ita tamen vt ex ipsis iti-  
 dem per diem & noctē maceratis & agitatis muc-  
 cosus succus extrahatur. Cui deinde sacchari li-  
 bras quatuor immiscet, additis liquore cassiæ &  
 Tamarindis prius ex decocto dissolutis. Post de-  
 coctionem congruam pēdere semilibrē, præter-  
 ea verò & infra scripto puluere facto, ex Diagri-  
 dij vncijs quatuor, Spodij, Rhabbarbari, sandalo-  
 rum amborum, rosarum, violarum, seminis pa-  
 paueris albi, portulacæ, endiuie, scariolæ, lactucæ,  
 fœniculi, anisi, dragacanthi, amili, gummi arabi-  
 ci, rasuræ eboris, fumariz, liquiritiæ sing. vncijs  
 tribus. Mirobalanorum Indarū & Emblicarum  
 sing. drachmis quinque & semis: ex quibus om-  
 nibus tandem conficiendum est medicamentum  
 quod si ad dosim respiciamus, eadem potest esse  
 qua

quæ & priorum. Nam quantum ad scamonium pertinet, ferè quælibet istius medicamenti vncia, diagridij paulo plus scrupulo accipit. Quod si vires respiciamus, satis potens est medicamentum ad varios humores vacuandos, præsertim verò pituitam crassam, & bilem, quia præcipuè aluum cient polypodium, cuius copia insignis accipitur & scamonium. Nam ramarindi & cassia adhibetur potius vt leniãt, & aluum fluidum efficiãt, & vt reliqua facilius & cum minori molestia purgent. Sed ob eandem lenitatem, Gumi Amitũ, violæque & liquiritia additur: Rhabarbarum verò & vtrique mirobalani, tum vt substantiam viscerum roborent & colligant, quæ vi purgantium dissolui & laxari solet, tum & senam iuuant, & polypodium in vacuandis pituita & humoribus aliquibus exustis & melancholicis, cætera verò sunt apposita ad temperandum purgantium medicamentorum calorem: præter anisum, fœniculum & fumaria, quæ crassos humores attenuare possunt, & flatum discutere. Valet ergo in febribus tertianis nothiis, & alijs effectibus, qui ortum ab alijs humoribus, tum biliosis tum pituitosis habuere. Sed & de medicamento ex palmulis vel dactylis, vt Iuniores loquuntur, quod & Græco vocabulo Diaphinicon appellauit Mesue, cuius descriptionem & compositionem omnes ferè his temporib. sequuntur, aliquid dicamus. Conficitur hoc modo: vt palmu-

larum quæ per triduum fuerint in aceto macerata, dragmæ centum accipiantur.

Penidiorum dragmæ quinquaginta.

Amigdalarum dulcium optimè purgarum dragmæ triginta.

Turbith, dragmæ triginta.

Scamonij, quinq; zingiberis, duodecim, piperis longi, foliorum aridorum rute, cinamomi, maceris, ligni aloes, seminū anisi, fœniculi, dauci, galangæ, singulorum ʒ. ij. & s. deinde omnia exquisitè trita cum melle cocto & despumato, quantum satis est, commisceantur. Huius medicamenti compositio, siue à filio Zesar, vt Mesue refert in suo Antidotario, fuerit excogitata, siue, vt alibi dicere videtur, à Iohānitio, ad exemplum Aetij sermone tertio, & Pauli libro septimo, compositū est: præterquā quod illi Turbith non apponunt, vtuntur tamen palmulis, sed ex aceto coquunt, non autem macerant: sed illa misceamus: de hoc quod à Mesue relatum est dicemus. Præcipuum medicamentum, & quod compositionis basis dici potest, est Turbith, de quo quid antiqui senserint, & quo nomine Greci id appellauerint prætermitemus nunc ne iusto simus longiores: hoc saltem mihi videtur esse manifestum satis, id quod nos vtimur ex aliqua harum plantarum, quæ succum lacti simile habent, & ideo lactariæ herbæ vel lacticina appellatur, fuisse acceptum, eius autem facultas est

est, vt crassam pituitam cum rectè paratum est, purget, eamque à remotioribus etiam partibus trahat, reliqua verò huic medicamento, præsertim ob paratum turbith, indütur, vt illius (si qua est) malitiam corrigant. Cum enim hæc incommoda, quòd per se, nisi iuuetur, debile est medicamentum, parumque & tardè purgat: præterea quod flatulentum est, & qui excitato flatu ventrem subuertit, & fastidium illi adfert, & subinde ledit: item est calidum & siccum insigniter. Experientia autem docuit roborari illud addito zinzibere, vt testatur Mes. acceleratur verò eius operatio addito scamonio. neque putandü propterea apponi vt ipsum sit quod euacuet, nam tota compositio pondus quinque librarum circiter æquat, in qua dragmæ duodecim scamonij apponuntur, vt vnaquæq; vncia duodecim grana habeat, semidraginam autem Turbith, & præterea circiter grana quinque. Portio autem scamonij ad turbith, ostendit scamonium esse additum, vt turbith operationem acceleret, & iuuet, quamuis ab eo tolli non possit, quin bilem & ipsum purget. In ea enim portione est, vt in ea sit dosi quam Mesue præcipit, quo fit, vt possit bilis aliquid detrahere. Sed penidiæ leniendi causa apponütur, & vt vim calefaciendi remittant & siccandi turbith, ita & dulces amigdalæ: palmulæ verò & ipsæ præsertim si dulces fuerint: id enim significare puto cheyron, Arabicum vo-

cabulum quod Cariolæ Græcum: ita enim quæ teneræ & dulces sunt, Græcè dicebantur, quam autem in tollendo vetriculi fastidio vim palmulæ habeant, quod soluentia medicamenta concitant, & eorum abominabilem adeo saporem obscurando, ut possit gustum fallere, testis est Galenus tertio de Facult. simpl. med. Vti autem aceto in coquendis vel macerandis palmulis, solebant Antiqui, ut legitur apud Aetium sermone tertio, & Paulū libro septimo. Propterea forsitan quia aliquam vim ex aceto cōtrahant, quæ præterquam quod adstringendo cōfirmant ventriculum, possunt etiam crassiores humores vacuando attenuare. reliqua verò aromata duplici ratione accipiunt, prima communis est, nempe propter odorem gratum quo ventriculo gratia conciliatur & robur membris præcipuis additur: Altera verò flatus discutiendi vim habet, ex quibus facile quisque percipere potest, medicamentum esse maximè opportunum febribus diuturnis, à crassis humoribus accensis, in quibus multa læta & crassa pituita mixta est, sicuti solet in autumnalibus febribus cōtingere; item & affectibus qui frequentius solent, hyemalibus & frigidioribus temporibus oriri, & qui ex flatuosa materia excitari, ut colica & id genus alijs. Sed si etiam medicamentorum simplicium quæ in hac compositione accipiuntur, copia sit extimanda, nempe scamoniæ & turbith cum solo vsuri sumus

mus, possumus accedere ad dosim à quatuor usque ad sex dragmas, & ultra etiam quandoque: accipit enim vncia huius medicamēti scamonij circiter semiscrupulum, Turbith verò ferè semidragmam, vt tamen ratio sit habēda naturæ corporis purgandi, quatenus ad facilitatem & difficultatem purgationis pertinet: item ad ætatem & vires & alia huiusmodi. Indum rarò in vsu est quod Maius à Mesue nuncupatur.

Accipit Cinamomi.

gariofilorum,

Spice nardi,

Rosarum,

Cassie,

Maceris.

Ciperi,

Singulorum dragmas quatuor.

Sandalorum citrinorum. ʒ ij. s.

Ligni aloë.

Nucis muscatæ.

Singulorum dragmas duas.

Turbith optimi, dragm. L.

Saccari & penidiarum.

Singulorum ʒ. xx.

Galangæ.

Cardamomi vtriusque.

Affari.

Masticis.

Singulorum ʒ j. s.



Scamonij cocti ex pomo. 3 xij.  
 Hæc omnia prius sunt ex oleo amigdalino fri-  
 canda, deinde accipiuntur succi cotoneorū malo-  
 rum, item & punicorum, præterea Apij, singulo-  
 rum semilibra, qui addito melle optimo quantū  
 fatis fit, coquendi sunt ad congruentem spissita-  
 dinem, ac postea pulueres inspergendi & com-  
 miscendi. Si eorum quæ de præcedenti medica-  
 mēto dicta sunt, memores sumus, facile omnia  
 quæ ad Indum attrinent percipiemus. Nam si  
 turbith pondus cum scamonij pondere confera-  
 mus, quadrupla proportio turbith, & aliquanto  
 etiam maior erit ad scamonium: quare præfer-  
 tim & primum & maximè pituitam crassam &  
 lentam purgare medicamentum poterit, licet &  
 aliquid bilis, magis tamen in eo scamonium iu-  
 uat & accelerat operationē turbith, quàm quod  
 ipsum præsertim cum coctū accipitur insignem  
 possit vim purgādi bilem habere. Sed saccharum  
 & penidiæ leniendi causa apponuntur, reliqua  
 verò tanquam consolantia, sicuti aromata quæ  
 possunt flatum discutere, quem suapte natura  
 turbith excitat, & id attenuando & calefaciendo.  
 Aromatico verò & suavi odore vires reficere vi-  
 scerum, quæ sedes sunt præcipuarum facultatū.  
 Sed spica, rosæ, sandali, cinamomum, cassia, ma-  
 stiche, & succus cotoneorum & punicorum, qui  
 quamuis & calorem aromaticum, & aliorum me-  
 dicamentorum cum rosis & sandalis temperent  
 cum

sum astringentia sint, ventriculo succurrunt, ne ab exoluentibus medicamentis, quæ maximè illi aduersantur, eius natura dissoluatur. Aromata verò omnia tenuitate partiū, crassam & lētam pituitam attenuando & siccando, iuuant vacationem, quæ adiuuant & succi fœniculi & Apij. Erit ergo accommodatum admodum medicamentum purgando corpori, quod tali crassa pituita referuntur sit, & curandis morbis ex ea excitatis. Dosis verò ea, qua Mesue præscribit, si extimare voluerimus, quod tota compositio accedit ad libras sex & vncias quatuor, vel circiter, vt attestantur qui componendi periti sunt: vnde integra medicamenti vncia cōtinet scrupulos duos turbith, aut paulo minus, scamoniij verò paulò mitius decem granis, quod coctum mitius & facilius euadit: est satis exigua, nec video cur cum solo sumus vsuri, non possimus & quinque dragmas & sex etiam dare, si quidem liberaliori euacuatione opus fuerit. Sunt autem facultatibus admodum similia duo hæc medicamenta. Medicamentum verò quod in Hamech Arabem autorem refertur, his constat, vt accipiantur,

Mirobalanorum citrinorum,  $\text{ʒ}$  quatuor,

Kebulorum,

Indorum,

Rhabarbari, Singulorum  $\text{ʒ}$  duas.

Agarici.

Colochintia.

DE COMP. MEDIC.

Polypodij, Singulorum dragmas xvij.  
Absynthij,  
Thimi.

Senæ, Singulorum vnciam vnam.  
Succi fumarizæ, libram vnam.

Pruna sexaginta.

Passularum exacinatorum ꝑ vj. ac infusa  
in sero lactis maceratur in vase quod strictum os  
habeat, vsque ad quintum diem, mox parumper  
simul bulliant, postea colentur, & ex eo decocto  
dissoluantur.

Cassizæ Ægyptizæ ꝑ.iiij.

Tamarindorum, ꝑ v.

Mannæ ꝑ ij. ac omnia manibus fricata ite-  
rum colentur, & post colaturam addantur.

Saccari fessquilibra,

Scamonij, fessquiuncia,

iterumque coquantur ad mellis consistentiam:  
postremo additis his pulueribus omnia miscen-  
da sunt, nimirum vt accipiamus trium generum

Mirobalanorum singulorum semiunciam:

Bellericorum.

Emblicorum.

Rhabarbari.

Seminis fumarizæ.

Singulorum ꝑ iiij.

Spice nardi.

Seminis anisi.

Singulorum dragmas duas; contendantur &  
mis

omnia & cribrentur in exquisitū puluerem. Hęc  
 medicamenti confectio vim habet si ad simpli-  
 cia ex quibus componitur respiciamus, vt mul-  
 tiplices & ferè, cuiusque generis humores pur-  
 get, præsertim verò si addantur &

Violarum ʒ xv.

Epithimi ij.

Anisorum,

Rosarum,

Fœniculi.

Singulorum dragmas sex, vt aliquando addi so-  
 lere ait Mesue. Ex Agarico enim & colocinti-  
 de præcipuè habet vt pituitā detrahat, ad quod  
 faciunt etiam myrobalani chæbuli, quæ quam-  
 uis cæteris omnibus sint infirmiores, dum ta-  
 men ab alijs valentioribus iuuantur, aliquid o-  
 mnino & ipsi possunt. Nam de his quæ in pul-  
 uerem redactæ postremò insperguntur in hoc  
 nõ plurimam vim fecero, quia mea quidem sen-  
 tentia addita ea sunt potius ad cæterorum corre-  
 ctionē, quàm quod ea vim alicuius momenti in  
 vacuando habere possint. Mirobalani quidem,  
 Rhabarbarum, semina fumariz, & spica, & rosiz  
 propterea, vt colligendo & astringendo robur  
 viscerum, quod plurimum dissoluūt purgantia  
 medicamenta seruare possunt, anisum vt flatu,  
 qui cum mouentur succi excitari solent & con-  
 turbant, atque ventriculorum reddunt nauseaban-  
 dum, discutiant, id ipsum & fœniculi semina

addatur efficit, polypodium verò vel, vt Latini appellant, Filicula commodè quidem pituitam purgat, nihilo tamen minus & melancholicum humorem, quem & Thymus & Epythimum si addantur, vacuât, quamuis hoc quod modicum imponitur, vim multam habere non possit. Sed & Indi Mirobalani huc spectant. Sæne verò vftos & affatos humores detrahit, & hæc omnia aqua casei non nihil iuuat, & fumarizæ succus, ex quibus fit maceratio & decoctio. Citrini autem mirobalani, rhabarbarum & scamoneum præsertim bilem purgant, quæ deinde cassia, Manna & Tamarindi iuuant, quamuis maior ex ipsis fit vtilitas quod acrimoniam leniunt, & obtundunt, caloremque soluentium medicamentorum remittunt, sicuti & passulæ, & prunæ, & violæ cum imponuntur. Vnde quamuis ex vehementibus admodum & virosis medicamentis simplicibus hoc confectum sit, adeò tamen eorum virosa vis corrigitur & temperatur, vt facillimè deinde tutoque, & citra vllam ferè molestiam & conturbationem ventriculi, vel aliorum viscerum purgare soleat. Valet autem ad tollendas diuturnas & autumnales difficilesque febres ex coluutione omnium ferè humorum excitaras, ex æstare enim præcedenti multa cõgesta est bilis & ea affata, ex vsu autem plurimorum pituitosorum cibariorum, vt sunt fructus, radices, & olea, & ex imbecillitate cõtentricis facultatis, tum

ex resolutione caloris naturalis ex priori æstu, tum ex inæqualitate constitutionis temporis multa pituita: sed incineratis ex putredine humoribus, ex febribus longioribus plurimus eo tempore gignitur melancholicus humor. inde Autumno multis est quartanarum proventus. Autumnalibus ergo febribus curâdis optimum est medicamentum & alijs quoque morbis, ex vitiosis humoribus ortis, præsertim crassis, vt elefantiafi, vitiliginibus, ceterisque difficilioribus cutis affectionibus. Eius dosis ad quatuor & quinque dragmas accedere potest, & ultra etiâ cum solo eo vtimur. Nam cum tota compositio resoluat tandem in libras circiter sex & semissem, vnâq; vncia colochintidis, agarici, & polypodij, habebit grana quatuordecim, vel paulo plus, scamonij verò grana nouem, paulo uè plus, reliquæ potius vim horum reprimunt & temperât, quàm augeant. Postremò de eo quoque medicamento aliquid dicendum est, quòd Diaturbith appellatur, cum rhabbarbo, & est Bartholomei Montagnanz inuentum, alicubi verò in multo usu est. Solet fieri ex saccharo probè cocto, adeò vt in placentulas vel rotulas concrefcere possit. Cuius compositio ita se habet.

Recipe Sandalorù alborum & rubeorù, violarumq; & zinziberis. Singulorù dragm. vnâ

Seminis anisorum,

Cinamomi,

Croci.

Mastichis, Singulorum ʒ. s.

Turbith,

Hermodaëtilorum, Singulorum ʒ. j.

Rhabarb. electi. ʒ. x.

Diagridij. ʒ. quatuor.

Saccari optimi, lib. ij. Decocto sacca-

ro ex aqua, reliqua trita & in puluerem redacta, inspergantur, & fiat solida confectio in placentalis vel rotulis. Talis compositio potest pituitam & bilem purgare: præsertim verò crassam, ratione tam turbith quàm hermodaëtilorum: vtriusque enim vis est vt crassam educant pituitam, cum adiuuantur à rebus quæ proprietate quadam naturæ & suis etiam qualitatib. naturalibus, iuuare possunt, vt potest zinziber, semina anisi, & cinamomum eam extenuando. Sed & scamoniũ eorum viribus quippiam addit. Rhabarbarũ verò illi præstat cum scamonio, vt bilem possit detrahere. In morbis ergo ex miscella horum humerum excitatis, succurrere laborantibus poterit, præsertim verò articularibus podagricisquæ & chyrargricis doloribus & coxendicæ, quòd turbith & hermodaëtilus pituita à remotis partibus trahunt. Potest etiam esse utilis febribus diurnis, vt sunt tertianæ non exquisitæ, & est medicamentum facile satis questum. Quamvis enim & turbith & hermodaëtilus in his sint quæ non parum turbat, Præsertim

ventricu-

ventriculum, tamen tum ex cinamomo & zinzibere, tum ex semine aniforum, præterea rhabarbari multam copiam admodum correcta: nam status crassiores quos hæc medicamenta alioquin concitare solent, & à quibus subvertitur ventriculus, zinziber, cinamomū & anisum potenter discutunt. Rhabarbarum viscera omnia laxata astringēdo roborat: de eo enim prædicat Auer. quòd ipsum, vt nulla eget correctione, ita alias omnes medicinas corrigit. Quamuis autē author præscripserit ei dosim à dragmis duabus vsque ad sex, cur tamen dari non possit integra vncia non video, si conficiatur sicut passim cōficitur: ita enim pulueres distribuūt, vt quota cunque vncia saccari, draginam spicierum, vel puluerum vnam accipiat. Accipiet ergo vncia diagridij circiter grana sex, turbith autem & hermodactilorum grana circiter duodecim & dimidium singulorum: rhabarbari circiter sexdecim. Ex superius autem explanatis, nemo est qui nō percipiat sandalos & violas cæterorum medicamentorum calorem temperare, sed violas præterea addere lenitatem. Hoc tamen circa vsum huius medicamenti notandū, quòd medici pueris etiam hoc exhibent. Quamuis enim ea accipiat medicamenta quæ laboriosè soluunt, adeò tamen omnia rectè castigata sunt, vt vel etiā tenera ætas hoc ferre possit, & proinde ita ab exigua dosi eius terminos sumpsit, à duabus nimis



rum dragmis. Nam rarò cum pueris dandū est, duas vel tres ad summum dragmas excedunt. Facilius autem sæpe hoc medicamentum accipiūt ex ratione modi ac formæ compositionis. Idem nim sub prætextu dulciarij cuiusdam admittūt, & in febribus & vermibus satis opportunum est medicamentum. Sed nunc si aliqua de hieris maioribus huic sermoni addiderimus, satis superque de his medicamentis dictum esse putabo, atque deinde ad pilularum tractationem orationem nostram conuertemus. neque in ipsis erimus admodum longi, cum neque nostris his temporibus sint in frequenti vsu, nisi quòd in clysterijs sæpius accipiuntur. Cœpimus tamen Venetijs vti hiera, quam Scribonius Largus in suo libello summis effert laudibus, & in Pachium autorem refert: de quo præter alia multa hæc etiam ab eo literis tradita fuere, quòd quamuis viderosum admodum medicamentum esse videatur, tamen non modò non lædit vètriculum, verum supra quàm quis credere possit, ipsum cõfirmat. Diacolocynthidos autem appellatur. Multæ tamen reperiuntur confectiões sub hoc nomine descriptæ. Sed ea quam retulit Scribonius, eadē ferè est cum ea, quam Mesue, Paulus & Actius describere, non tamen eam in Pachium, sed in Ruffum Ephesum referunt, & si in re aliqua errant, id potius librariorum culpa cõtingit, si quis rectè rem examinet. Eandem verò compositionem

nem reperimus in exemplari antiquo manuscripto, quod erat in bibliotheca excellentissimi ducis Vrbinatis, nisi quod erat in ponderibus diuersitas aliqua, in simplicibus autem nulla aut modica. Cuius descriptionem hâc particulatim non refero, utpote quæ passim reperiatur. Facultas verò ex Galeno primo de Comp. medic. secundum loca. & in libro de Facile parab. med. est ut pituitosos humores vacuet, quamuis & alios etiam aliquantisper purget, Nam in colochintide, & sagapeno, & opoponace vis est purgandi pituitam primùm, quamuis non eâ solam purgât: sed & idem facere posse agaricum nemo non nouit, omnesque ferè conueniunt circiter quatuor dragmis dosim eius comprehēdi. Quia verò dixi varias eius confectiões antiquitus in vsu fuisse, id & Scribonij testimonio, & Galeni possumus ostēdere, Scribonius enim interdum huic compositioni ut valentiosem redderet, duplum prioris ponderis colochintidis addebat: opoponacis autē & sagapeni dragmas tres, qua compositionis ratione vrendum audacter esse dixit, vbi diuturniores & rebelles magis morbi facti sunt, Galenus verò secūdo de Ratione vict. in ac. variè medicamentum hoc parari solitum esse ait, neque esse medicamentum qui plurimū periculum habeat, cum pleuriticis, si illos acuta febris non angit, tutò dari posse autumet. Ad-  
dit tamen compositionem illis esse congruam,

cum accipit veratrum nigrum, non autem scamoniū. ex quibus verbis facile percipitur, quòd interdum hæc hiera ita in vsum deducebatur, vt fuit primūm descripta: quæ cum vim purgandi maiorem ex colochyntide habeat, deinde ex opoponace & sagapeno, ideo licet possit & alios humores purgare, maximè tamen pituitam purgat: cum verò illi aliorum etiam purgandi vim addere volebant, si melancholicum humorem, nigrum veratrum vel epithimum, vt secundo de Comp. med. secundum loca docuit Galenus. Si bilem, scamonium: vnde alterum addebant, interdum vtrumque, interdum neutrum, & id pro ratione naturæ morbi, naturæ corporis ægrotatis, & virium ipsius. De Benedicta verò nuncupato medicamento, & de eo quod Elefio à Mes. ab Auicena verò Epistropi dictum est, nolimus sermonem longiorem habere: neque enim ita in frequenti vsum sunt, sicut hæc alia, atque benedictæ vsus frequentior est in clysterijs. adde quòd ex his quæ de alijs diximus horum etiam inirationem quiuis poterit. Sed antequam etiam ad pilulas me conuertam, id pro iunioribus medicis addendum puto, quòd nos aliquando fortioribus his medicamentis latiores terminos & ampliorem dosim præscripsimus, non vt hortemur medicos iuuenes, vt in eorum vsum sint audaciores, & plus etiam iusto interdū, sed vt sciat, quòd aliqua sunt corpora, quæ & robustiora sunt.

sunt, & astrictiora, in quibus aliquando nisi liberaliores fuerimus, nihil efficiemus. Semper tamen tutius est modestos esse, & circa medias doses potius, quàm circa extremas versari, Id etiam notandum, quòd cum hæc valentia medicinalia lenientibus & alijs leuioribus immiscemus, & sit eorum copia quanta possit commodè aluum ciere, non sunt hæc maiora medicamenta in multa copia iniicienda, vt accedant ad maiores limites præscriptos in his, sed si horum aliquid, verbi gratia, vncie cassiæ, aut electuarij lenitiui aut diascæne, aut huiusmodi addideris, satis tibi erit duas aut tres dragmas addidisse, & aliquando vnã tantùm pro ratione roboris medicamenti, & naturæ corporis expurgandi,

*De pilulis, Caput XVII.*

**P**ilulas nunc medici medicamenta in globulos efformata appellant, quæ catapotia, eoque quòd integra deuorantur, Græcè dicuntur & aliquando à similitudine Coccia. Duæ autem commoditates eos impulere vt pilulas conficerent: vna in accipiendo, altera in operando, quæ in accipiendo est, duplex est: nam & minus euadit medicamētum cum in pilulas redigitur. Cōtusis enim medicamentis simplicibus, vt ex eis puluis fiat, & adiecto melle modico, quanto assumi possint, vt cohereant, & non dispergantur,

K 4

BIBLIOTECA  
HISTORIA

fiunt pilulæ raroque dosis earum sesquidragmam excedit. Deinde verò cum solida & integra denorantur, & sepe ex aliquo liquore vt aqua, vel aliquo syrupo accommodato cito descendentes vniuersumque os non inficientes, non ita ingrato tum sapore tum odore offendunt. Aliqui etiã aliqua re inuoluunt; nam aut inaurant, aut illis quas nebulas vulgo appellant inuoluunt, vt nullam ex ipsis molestiam percipiant. In operando autem commodus est istius medicamenti vsus, quod cum solida sint, non ita facile à calore ventriculi dissoluuntur, neque ita cito inde diffuunt. Vnde longiorem moram ibi trahentia à remotioribus partibus, sicuti sunt articuli & caput, valentius trahere possunt. Quare earum frequentior vsus est in capitis & articulorum doloribus. De his ergo dicentes, eas etiam tantum (vt de alijs medicamentis fecimus) exponemus, quæ in frequentiori sunt vsu, loquendo semper de ijs quæ in purgatorijs valētibus poni possunt: nam de facilioribus & leuioribus quantum satis fore duximus supra actum est.

Incipiemus autem à Cochijs appellatis, quas Rasis descripsit nono libro ad Almanforem, in hunc modum:

**Recipe** pulueris hycæ, quæ simplex à iuniorib.

Amara dialoes à Galeno dicitur, ʒ x.

Colochintidis ʒ iij. & ʒ j.

Scamonij ʒ ij. s.

Turbith.

## Turbith,

Stæcadis, Singulorum 3 quinq;. Ex his omnibus in puluerem redactis, & ex aliquo liquore assumptis, fiant pilulæ. Ipsa autem compositio ostendit quòd purgare præsertim possunt crassa & pituitosa excrementa. Ferè enim basis sunt turbith, & colocynthidis: Duplũ enim est pondus turbith ad scamonium, sed & colocynthidis superat scamonium: nam quoraquæque dragma accipit circiter grana octo, vel paulo minus colocynthidis, minus enim aliquanto sed parum. Turbith autè grana circiter vndecim, vel paulo plus. Scamonij verò circiter grana quinque: quia tamen scamonij ea esse copia, vt possit & ipsam solum purgare, ideo & mediocrem vim bilem detrahendi medicamentum habebit: quòd insinuare videtur autor, crudum id esse apponendum, quod & hoc modo acrius est: reliqua verò tanquam ea quæ vim corrigendi habent, qualitates ventriculo & cæteris visceribus noxias in hoc medicamento accipiuntur: sicut hiera quæ roborat & firmat ventriculum, & alia viscera, si quod aliud medicamentum, sed & stæcas ab omnibus prædicatur, tanquam id quod vim magnam habet roborandi omnia viscera, & tandem vniuersum corpus, vt Galenus octauo de Simp. med. fac. Arabes verò præterea dicunt esse purgatorium medicamentum, quod tamen non nouisse in eo antiqui videntur, qui præterea capiti

plurimum utile esse aiunt, & hac ratione puto Rasim his pilulis addidisse, quibus in omnibus ferè capitis affectibus utitur. Confert tamen & ob id, quia obstructas vias aperire potest per quas purgatio ducenda est, & purgandos humores crassos extenuare. Ex quo patet quàm hallucinentur iuniores, qui in expositione noni libri ad Almanforem, inuehuntur contra has pilulas, eas nimis fortes appellantes, in quibus accerrima accipiuntur medicamenta, & ea non correcta. Quis enim non videt, ex hiera tum ratione aloes, tum aromatum optimè, & turbith & colocintim corrigi? Sed stęcadis etiam naturam & facultates si existimauerimus, cum duplum accipiatur hierę ad turbith, triplum ferè ad colocintim, par autem portio cum colocintide stęcadis accipitur, non video cur non possint haberi tanquam correcta & temperata, quantumlibet acra & ventriculo visceribusque noxia hæc simplicia alioquin sũnt: nam Galenus tanquam correctas habet suas ex colocintide pilulas, quarum & primo de Composit. secundũ loca capite secundo, & med. lib. de Facil. parab. capite quinto, & in decimoquarto meth. capite octauo meminit. Cum tamen essent cõfectę ex colocintidis parte vna, aloes verò & scamonij pari pondere; duabus nempe partibus, quibus ipse & partem vnã absinthij addit, quę postea assumuntur succo brassicę, & in pilulas fiunt;

daatur

dantur verò vndecim, eas autem videntur in frequentissimo vsu habuisse, in quibus nihil est aliud, nisi aloë. Vnde hæ longe videntur esse correctiores, in quibus illi tantum momentum & difficultatem ponunt. Imò cum iam pluribus annis vbique ferè sint in maximo vsu, facile purgant, neque cum multa molestia, pro ratione tamen istius ordinis compositorum medicamentorum, modò quis rectè eis vtatur & ex ratione. Vnum duntaxat notandum, quòd Mesue vbi de cura doloris capitis ex frigido & pituitoso humore agit, meminit harum pilularum, atq; injiciendum scamonium paratum & coctum ex malo cotoneo. Rasis tamen huius non facit mentionem: sed si ita fiat, etiam faciliores erunt & tutiores, vt superius fuit expositum. Quatenus autem ad earum dosim pertinet, quæ res est maioris considerationis, notandum, quòd Rasis dosim earum integram esse dicit, vt dentur decem pilulæ, cuius tamen ponderis illæ sint, non exponit. At Mesue pondus præscribit. Dicit enim dosim earum esse ʒ ij. s. quæ copia considerato robore harum pilularum in purgando, maior fortasse iusto est. Vnde facile credo esse mendum in numeris, & existimo legendum ʒ j. s. ea ratione adductus, quòd si hæ pilulæ rectè sint confectæ, quotidie videmus quòd plurimi vnica dragma accepta facile purgantur, & satis etiam liberaliter, accepta verò sexquidragma liberalissimè.



Imò si cōsideremus modum quo vtitur in expen-  
 nenda harum pilularum dosi, videbimus Rasiū  
 huc spectasse, cū enim ait, dandas esse decem,  
 ad consuetudinem omnium ferè antiquorum  
 respicit, qui cum catapotia formabant ad magni-  
 tudinem, aut erui aut ciceris; ita enim Galenus  
 in libro de Facil. parab. capite de Marantibus vi-  
 ceribus capitis loquitur, ita & in lib. de Comp.  
 med. per loca, sæpissimè nunc erui, nunc ciceris  
 instar, vel magnitudine consiciendas esse pilu-  
 las ait. Itidem & Nicolaus ferè loquitur: quæ sit  
 ita, id est, ciceris magnitudine formentur, decem  
 circiter sexquidragmā pendent: si erui, etiam mi-  
 nus. Vnde Galenus suas illas ex aloe, scamonea  
 & colochintide confici voluit magnitudine erui  
 atque dandas decem & septem, Aureas verò pi-  
 lulas Nicolaus ciceris magnitudine efformatas,  
 aut nouē, aut vndecim dari voluit, quasi eodem  
 spectans quò Rasis. Vnde modesta Dosis Coc-  
 chiarum erit dragma, liberalior verò sexquidra-  
 gma, quamuis interdum viderim duas etiā dra-  
 gmas datas feliciter; præsertim verò in graui so-  
 pore, vel valida apoplexia, cū adeò attoniti &  
 sopiti sunt ægroti, vt violenter cum illis agere sit  
 necesse. Nam aliqua aqua, duæ dragmæ dissoluū-  
 tur, & vi aperto ore, cocleari traduntur bibende.  
 Nam tunc quia natura sopita est & stupida, nisi  
 valentius irritetur, nō excitatur ad excretionem:  
 tum etiam quia liquida, quæ facilius de ventricu-  
 lo &

lo & citius diffluunt, non ita vacuant copioſe.  
Sed de his ſatis.

De pilulis Aureis, quę facultate & robore purgandi his Cocchijs ferè pares ſunt, agamus.

Conficiuntur ſic:

Recipe Aloes & diagridij, ſing. ʒ v.

Rofarum,

Seminum apij, ſing. ʒ ij. s.

Seminum aniſi,

Fœniculi, ſing. ʒ j. s.

Croci,

Maffichis,

Colochintidis interioris, ſingulorum dra-

mam vnam.

Hęc omnia trita aſſumantur aqua, in qua mace-  
rarum fuerit tragacantũ: deinde formandę ſunt  
pilulę magnitudine ciceris. In his baſis & mo-  
mentum eſt in ſcamonio præparato. Nam etſi  
addat colochintidis, aliarum tamen rerum com-  
paratione non poteſt vim inſignẽ habere. Aloes  
autem & maſſix adduntur, vt ventriculo & reli-  
quis viſceribus ſuccurrant, ne à rabiditate & a-  
crimonia ſoluentium medicamentorum laxen-  
tur & diſſoluantur: quòd magnam autem utili-  
tatem ſemina illa odorata afferat, id eſt, aniſi, fœ-  
niculi & apij, iam ſatis ſuprà ex Galeno & Hip-  
pocrate expoſitum eſt. Crocus verò & cordi eſt  
amicus, & facile poteſt vim medicamenti ad ca-  
put ducere: facile enim caput petit, vt ſecundo

de Comp. med. secundum loca capite primo docuit. Ex multa itaque ratione confectum est hoc medicamentum, cuius vis prima & præcipua quatenus est soluens medicamentum ea est, ut valèter, & à remotioribus partibus possit bilem attractam purgare. Vnde doloribus capitis & articularum eius congruus vsus, valde utilis esse potest. potest tamè & aliquid pituitę detrahere, sed longè aptius est medicamentum purgandę bili. Ex seminibus præterea illis discutere flatus satis commodè poterit. & eius quidem dosis communis qua liberaliter purgatur, est ʒj. quamvis ubi astrictior sit alvus, accedant aliquando medici ad dragmam vnam, s. præsertim verè in robustioribus corporibus. Si enim rectè voluerimus supputare, dragma continet circiter grana quindecim diagridij, vel paulò minus: quæ copia, si velimus rationem præparationis habere, & existimare quantũ mitescit vis scamonij quando coquitur ex cotoneo, neque maior æ quo videbitur. Sunt autem hæc quidem Aureę biliosis affectibus accommodatiores, Cocchiæ verò, ut diximus, pituitosis. Tertio Nicolaus describit pilulas sine quibus, quasi nefas sit eas paratas non habere, ob earum summam utilitatem.

Accipiunt hæc Aloes lotæ, ʒ xiiij.

Mirobalanorum, ʒ v. sing.

Masticis, ʒj.

Absinthij,

Rosarum

Rosarum,

Violarum,

Agarici,

Sene,

Cuscutæ, sing. ʒj.

Scamonij, mox trite & ex ea copia succi fœnicu-  
 li dissoluti ac transmissi vel colati ex linteo, quã-  
 ta fatis sit ad absumendos hos pulveres, ita vt ex  
 eis possint pilulæ confici ʒvj. s. Si rectè com-  
 positionem hanc velimus extimare, primò qui-  
 dem bilem purgabit: nam aloes alia omnia co-  
 pia superat, mox scamoneum: hæc verò rhabar-  
 barum & citrini mirobalani aliquantulum ad-  
 iuuabunt, purgabunt tamen & pituitam: nam  
 aloes præsertim adiuta ab agarico, & mirobala-  
 nis chebulis, & emblicis, & bellericis potest &  
 pituitam detrahere: sed & scamonium dum col-  
 liquandi pituitam & attenuandi, detergendi que  
 cum calidum & amarum sit, vim habet, potest ad-  
 dere facultatem aloë, qua possit & pituitam de-  
 trahere. Sene verò & mirobalani Indi aliquid fa-  
 ciunt ad purgandos exustos & atros humores.  
 Cùm verò & rhabarbarum & mirobalani, & ma-  
 stix, & rosæ astringendo plurimum valeant, simul  
 cum aloë in roborando & purgando ventriculo  
 atque ascensum vaporem ad caput prohibendo:  
 ideo in affectibus oculorum, præsertim calidio-  
 ribus atque adeò etiam magis, si ex cõsensu ven-  
 triculi foueantur, non parum vtilis sunt. Sed &

laboranti quoque ventriculo, & multis vitiosis humoribus scatenti, præcipuè si astrictior sit aluius, vt facilioribus medicamentis non faciliè cedat, conducent. Neque etiam esset earum inutilis vsus in doloribus articularum vel calidis, vel ex mixta materia: sed & in febribus quoque biliosis vbi iam concocta esset materia, & obstructions apertæ. nam optimè correctum est medicamentum. Primum enim mirobalani & rosæ & rhabarbarum mastixque possunt, vt supra ostendi, omnium medicamentorum acrium violentiam reprimere, & ventriculo visceribusque, si timeamus aliquid, ex scamonio vel agarico robur conciliare. Præterea & qualitatibus satis est temperatum medicamentum, quia primò Aloem lotam accipit, quæ ex lotura plurimum fit minus calida, deinde sunt mirobalani, rosæ, violæ, quæ possunt aliorum medicamentorum calorè temperare. Sed si etiam (quod & his temporibus plerique facere solent) nõ crudum scamonium iniiciatur, sed paratum & coctum, id est, diagridion: eo etiam facilius & lenius erit medicamentum tutiusque: quamuis Nicolaus crudum scamoneum velle videatur. Dosis earum esse potest à dragma & sexquidragma, & erit etiam satis facilis & tuta operatio, quam possumus interdum excedere: præsertim si acceperit diagridium. Vnaqueque enim dragma accipit circiter granà vndecim, vel etiam paulò minus. Infirmiores enim

nim sunt hæ pilulæ prioribus duabus. Sunt præterea quibusdam in usu pilulæ Arabicæ dictæ, ab eodem Nicolao descriptæ, quæ præcipuè bilem & pituitam purgant. Nam eam vim habent Aloe, diagridium, & mirobalani citrini, admixto autem castoreo & assaro, quæ crassam pituitam extenuant. Aloe vim acquirit, ut pituitam detrahit. Sed & Brionia ex Diosc. & Arabibus pituitam purgat, atque eam ex capite detrahit. sed & bellericæ, chebulæque, & emblicæ mirobalani, præter id quod cum reliquis mirobalanorum differentijs corrigunt brionia & diagridij calorem, & acrimoniam, dissolutionemque viscerum, utpote qui refrigerant & astringunt, sicut & rosæ & mastix: faciunt quoque ad detractionem pituitæ. Inde verò licet præ alijs minorem vim habeant, possunt tamen aliquòd melancholiæ detrahere. multiplices ergo humores purgant, præsertim verò pituitam & bilem. affectibus verò capitis tollendis accommodatum est medicamentum, ut quod & purgare & roburare firmareque tum caput tum ventriculū possit: neque tamen plurimum violentum est, sed potius satis modestum. cum enim accipiat aloes uncias quatuor, mirobalanorum verò omnium, præterea masticis, diagridij, rosarum & radicum assari, singulorum dragmas quatuor, additis autem castorei dragmis tribus & vna croci, omnibusque assumptis, succo fœniculi vel absinthij,

fient catapotia. Vncia autem huius medicamenti continebit aliquanto minus viginti sex granis diagridij, vt quælibet dragma habeat paulò plus tribus diagridij granis. Alicubi tamen non semiunciam: sed integram vnciam diagridij ascriptâ reperi, quòd neque multa esset copia: nam dragma, grana circiter septem capiet: tutò ergo possent dari dragmæ duæ, & longè etiam plus, si nõ vncia integra, sed semiuncia apponatur. Author verò ait, quòd possunt curare dolorem capitis vel etiam diuturnissimum, id verò intelligendû est, frequenti & repetito earum vsu. neq; enim adeò validum est medicamentum, vt semel aut iterum assumptum eradicare possit morbos ex longo tempore difficiliore factos. Sunt etiam aliquibus in vsu pilulæ Arthiticæ, eo quòd morbis articularibus sint vtiles: nos tamè nolumus omnia sectari: ex his enim quæ nuper exposuimus, & earum quas non exponimus, has cum illis conferentes, poterit vnusquisq; ex se inire rationem. Ad eas autem orationem conuerto, quæ ex Mesue excerptæ, passim in vsum medicorum venerunt, neque tamen omnes descriptiones ad examen reuocaturus, sed earum tantû quæ magis celebres habentur. Nam his rectè examinatis, ex earû ratione aliæ quoque faciles perceptu erûnt, & quia Alefanginæ ad priorem ordinem medicamentorum potius pertinent, ideo illis prætermittis, de pilulis stomachicis sermonem primò habeamus.

habeamus, quæ possunt colluuiem omnium vitiosorum humorum è ventriculo, & alijs etiam remotioribus partibus sicuti è capite, & aliude detrahere, & utilis sanè eorum est confectio correctioque. Ea est huiusmodi.

Recipe Hieræ picræ, quam simplicem appellât, dragmas septem.

Mirobalanorum trium, id est, citrinorū, chebularum, Indarum.

Abinthij,

Scamonij, sing. dragmas tres.

Agarici,

Salis indi, sing. dragm. duas:

Epithymi Cretensis,

Anisorum, sing. 3. ij. s.

Turbith, dragmas decem.

Ex scamonio quidem & citrinis mirobalanis bilem flauam educunt, chebulis verò & agarico pituitam, vel etiam crassio rem: & præterea ex sale indo, ex hiera verò vtrunque humorem: ex epithymo autem bilé atram. Sed si vires & copiam medicamentorum consideremus, primò pituitam, deinde bilem flauam: minorem autem vim habet atram bilem educendi: calorem autem & acrimoniam medicamentorum contemperant mirobalani, & tres dragmæ penidiarum, & fucus scariolæ, quo assumendæ sunt pulueres, vt pilulæ fieri possint. lenitatem præterea aliquam penidiæ addunt medicamento. Dosis autem ea-



rum esse poterit à dragma vsque ad alteram, vt dragma modestè quidem sit purgatura, sexquidragma satis liberaliter, duæ verò dragmæ, vbi liberaliori sit purgatione opus. Facile enim, præsertim in corporibus fortioribus duæ dragmæ fieri possunt. Singula enim dragma ferè grana quatuordiagridij, turbith verò circiter tredecim, Agarici paulò minus tribus. Has sequuntur pilule Aggregatiue, iam diu ab omnibus celebratissimæ, quæ & ipsæ purgando aggregant varios, imò ferè omnes vitiosos humores. Componuntur autem ex his medicamentis simplicibus, quæ præter purgationem excrementorum quam expectare oportet, ex his medicamentis quæ vim purgandi habent, possunt viscerum obstructions aperire, & ea etiam roborare. Accipit enim succi absinthij & eupatorij, singulorum dragmatres. & quamuis Mesue aliud eupatorium nouerit, quàm Galenus & Dioscorides, tamen si etiã in his eupatorio uteremur, quod in præsentia acrimoniam appellant, non putarem deteriorem fore compositionem, & totidem etiam rhabarbari dragmæ, quæ ad aperiendas obstructions, & roboranda viscera non parum faciunt, sicut & anisum & zinziber, quorum sing. accipitur ʒ. j. quatenus verò ad purgandi rationem attinet, cum accipiat agarici, colochintidis, polypodij, & chebulatum mirobalanorum, sing. ʒ. ij. Salis autem gemmæ ʒ. j. turbith, ʒ. vj. insignem vim habebit

habetur pituitam crassam educendi. totidem vero dragmæ aloes, & præterea diagridij cum rhabarbaro, & pari pondere citrinorum mirobalanorum, non minus in purganda bile poterunt: quæ etiam iuuare poterit electuarium rosatum, de quo supra loquuti sumus: sed & aliquid præterea atri humoris, licet modicum, ex dragmis duabus Indarum mirobalanorum, & vna epithimi, quamuis & polypodium hæc non nihil iuuat. Zinziber vero & anisum ad extenuationem crassorum humorum proderit vna cum sale. Rosæ item aridæ cum mirobalanis & mastiche, cuius quoque dragmam accipit, poterunt calidiora medicamenta temperare & colligere, vniusque substantiam viscerum, ne violentia purgantium medicamentorum laxata dissoluantur. Correctum ergo est medicamentum & tutum, satis tamen efficax, quod plurimum potest ad diurnas & nocturnas febres, quales sunt autumnales, quæ varijs humoribus & pertinacibus putrescentibus solent excitari: ita etiam in alijs morbis ventriculi, capitis, instrumentorum sensuum, in obstructionibus lienis & iocinoris, quæcunq; purgationem liberalem requirere visa sint. Dosis eius est vsque ad sexquidragmam. Dragma enim satis copiose purgare potest, quia præter id quod habet & electuarium rosatum, quo reliqua assumuntur, singula dragma continet circiter grana septem scamonij, totidem turbitih. Agarici vero

& colochintidis paulo plus granis duobus: liberaliori autem purgatione si fuerit opus, potest & sexquidragma accipi. Pilulæ verò quæ ex rhabarbaro nomen habent, non illæ quæ ex Arabico vocabulo ex Rhaueth habēt appellationem, nullum accipiunt forte vel violentum medicamentum

Accipiuntur Rhabarb. ʒ. iij.

Succorum, Absinthij & liquiritiæ, ʒ. j.

Citrinorum mirobalanorum, ʒ. ij. s.

Hieræ picræ vel simplicis dictæ, ʒ. x.

Vnde neq; in hoc medicamétorum ordine sunt ponendæ, sed in primo. Dosis earū si etiam ʒ. ij. excederet, minimè obesse posset: sed vtilis admodum essent, vbi ex longioribus febribus & validis obstructionibus, adèd esset tum ventriculi robur, tum maximè iecinoris factum imbecillum, vt iam in hydropem & malum corporis habitum res procliuis esset, nec dū amplius validas purgationes viscera languétia possent perferre, vacuatione tamen egerent, verùm leui & facili. Pilulas indas in Haly authorem referunt Arabes. Conficiuntur acceptis mirobalanis indis & veratro nigro polypodioque, singulorum dragmas quinque.

Epythimi,

Stęcadis, dragmas sex.

Agarici,

lapi.

Lapidis cianei vel lazuli dicti ab Arabib.

& iunioribus, optime loti,

Colochintidis,

Salis indi, sing. dragm. quatuor.

Succi eupatorij,

Spicæ, sing. dragmas duas.

Gariofillorum, ʒ. j.

Hieræ picæ, ʒ. x. Hæc assumpta ex succo apij sunt pilulæ: quæ vtilis admodum sunt purgando humori melancholico. Nam Indi mirabolani, veratrum nigrum, polypodium & epythimum, lapisque lazulus, hoc præcipue faciunt. Ex colochintidi verò, agarico, & sale indo, aliquid etiam pituitæ purgare poterunt. Vnde commodum medicamentum his erit maxime, qui tentantur melancholicis affectibus, ut sunt quarantæ febres, & isterica nigra, quæ vitio lienis cõcitatur, & cancer & elephantiasis, & reliqui melancholici affectus. Harum dosis commoda erit à dragma vsque ad sexquidraginam vel paulò plus, quamuis ad tres vsque dragmas accesserit Mesue. Valentia enim satis simplicia accipit, essi scamonij sit expers. Nam & nigrum veratrum & colochintim, & lapidem lazulum, & sal accipit copiosè satis: quæq; enim dragma continet circiter quinque grana, tam veratri quam polypodij: agarici autem colochintidis, & lapis lazuli, circiter grana quatuor, itidem & salis. Sed in Fortidis pilulis, quas ideo fortidas dictas puto, quia

sagapenum & opopanacem, & castoreum, quæ  
 grauem spirant odorem copiosè accipiunt, & de  
 quibus nunc loqui volumus: amplior aliquan-  
 to mihi dosis illis præscripta à Mesue videtur,  
 quàm ratio requirat: mihi quæ videtur modesti  
 satis esse dosim, si dragma vel ad summum sex-  
 quidragma accipietur: nam multa accipiunt va-  
 lentia simplicia. Nam præter eas, quæ gumas  
 Arabes & iuniores appellant, accipit colochin-  
 tim, scamonium & turbith satis copiosè. Com-  
 ponuntur enim in hunc modum, vt accipiantur  
 singulorum horum dragm. quinque, id est,

Sagapeni,

Opopanacis,

Amoniaci,

Bdelij,

Colochintidis,

Siluestris rutæ,

Epitimi,

Aloes quæ. Duæ autem tum hermodacti-  
 lorum, tum eius quæ in vulgo Esulam vocant,

Scamoniij verò & turbith, ʒ. iij.

Cinamomi,

Spicæ,

Croci,

Castorei, sing. ʒ. j.

Zinziberis, ʒ. j. s.

Euforbij, ʒ. v. Compositio hæc his con-  
 stat, quæ crassos & crudos humores possunt eu-  
 cure.

quare, præter epythimum & scamoniũ, quorum alterum potius atram, alterum flauam potius bilem purgat: nã aromata vt zinziber, cinamomũ, spica, crocus & bdelium, & amoniacum etiam sunt tanquam corrigentia & reprimentia malitiam purgantium medicamentorum. Nam bdelium & amoniacum crassos & induratos humores, vel etiam in articulis emollire possunt, & digestionem iuuare: sed & potentia sunt omnia ferè ea medicamenta, vt vim habeant trahèdi pertinaces humores à partibus remotiorib. vt sunt articuli. Vnde in articulorum doloribus, qui à frigidiori humore excitantur, sunt in frequenti vsu: neque tamen his adeò valentibus medicamentis inter initia, antequam maturescat aliquãtis per crudus humor temerè vti oportet, quod & quidã iuniores monuere, sed prius materia cruda coquenda est. Accipit autem singula istius medicamenti dragma, circiter grana quinque scamonij, & turbitih circiter grana quatuor. Vnde potest sepiusimè dragma esse satis vel ad summum sexquidragma, quatenus ad dosim earũ pertinet. Pilulæ autem Lucis maiores, quæ & ipsæ sunt in frequenti vsu, præsertim verò in affectibus oculorum, sed & aliorum sensuum instrumentorum, faciles & leues satis sunt: nam quamuis habeant turbitih & colochintim, præterea verò & agaricum, dragma tamen vna huius medicamenti priorum duorum grana neq;

duo capit, agarici verò paulo plus tribus, vt præ-  
 termittam ſenam, rhabarbarum, epythimum, &  
 aloem, quæ que omnia ſunt facillima medicamē-  
 ta. Nam in primis aloes videtur tanquam baſis  
 huius medicamenti, deinde agaricum & ſane.  
 Vnde præcipuè purgandæ pituitę erunt accom-  
 modatæ. Agaricum enim colocintis iuuat &  
 turbiti, & mirobalani tres, chebulæ, emblicæ &  
 delericæ, vt prætermittam opopanaxem, & ſaga-  
 penum, quæ præter id quod & ipſa aliquid fa-  
 ciunt ad pituitam ducendam, addunt etiam vim  
 vt poſſint à remotioribus attrahere. Aromata  
 verò omnia & ſemina attenuâtia, vt de hiera ha-  
 beretur ſermo ex ſententia Galeni expoſuimus,  
 addita aloë & alijs medicamentis leuioribus, id  
 præſtant vt facilius & valentius poſſint craſſos  
 & pertinaces humores detrahere. Vnde illis ad-  
 ditis turbiti, rhabarbaro, & aloë, & ſane, id præ-  
 ſtare poterunt. Purgant tamen præterea hæc pi-  
 lulæ bilẽm flauam & exuſtam, quę iam in atram  
 vergat. Nam rhabarbarum & mirobalani citri-  
 næ, & aloë, flauę bilis purgandæ, inde verò ſene  
 & epythimum atrę bili vtilis ſunt: multiplices  
 ergo, præfertim verò pituitoſos humores pur-  
 gant, & earum modèſta doſis poteſt capere dra-  
 ginas duas, quamuis ad tres vſque Meſue conce-  
 ſerit. Sicut enim faciles & tutę: harum autem

Accipiunt Roſarum,

violarum

Violarum,  
Absinthij,  
Colochintidis,  
Turbith,  
Cubebeꝝ,  
Calami aromatici,  
Nucis muscatæ,  
Spicæ,  
Epithimi,  
Carpobalsami,  
Xilobalsami,  
Sisicleos,  
Seminis rutæ,  
Schinanti,  
Assari,  
Masticis,  
Gariofillorum,  
Cinamomi,  
Anisi,  
Fœniculi,  
Apij,  
Cassiaꝝ,  
Crocij,  
Masticis, singulorum ꝑ. duas.  
Mirobalanorum, quinque.  
Rhabbarbarum, singulorum dragmas iiij.  
Agarici,  
Sene, dragmas quinque.  
Eufragiæ, dragmas sex. Plurimum au-



tem valere aiunt eufragiam ad acuédum visum, sicut & fœniculū. Nonnullis deinde interpositis tandem describuntur à Mesue illæ pilulæ, quæ vbiq̃ de Agarico Mesue appellatur, quibus etiam frequentissimè & felici admodum successu vtimur in affectibus pectoris, & instrumentorum sensuum, cum obsidentur à crassa & lenta pituita, sicuti in asthmaticis & diuturna febre laborantibus.

Accipiunt Agarici dragmas tres.

Indis,

Marrubij, singulorum dragm. vnam.

Turbith, dragmas quinque.

Hyeræ picræ, dragmas quatuor.

Colochintidis,

Sarcocollæ, singulorum ʒ. ij.

Mirrhe, ʒ. j. Harum basis in purgā-

do est turbith, cætera verò partim adiuuant, vt colochyntis cum agarico, partim corrigunt, vt picra, partim detergunt & attenuant crassos & lentos humores, vt radix iridis, marrubium, & Mirra, vt facilius detrahi possint. Harum dosis ad sexquidragmā accedere potest, quamuis sæpe & dragma modestè purget: quæq; enim dragma totius medicamenti, continet turbith ferè grana sexdecim, agarici verò paulò minus nouem, & colochintidis circiter sex. Multis etiam locis sunt in vsu pilulæ quæ nomen habuere à lapide Cianeo vel Lazulo, nimirum ad purgandos

dos melancholicos humores exustosque, quarum confectio est, vt accipiatur:

Lapidis lazuli, dragm. sex.

Agarici,

Epithimi,

Polypodij, singulorum ʒ. viij.

Scamonijs

Veratri nigri,

Salis indi, sing. ʒ. ij. s.

Gariofil.

Anisi, sing. ʒ. iiij.

Hieræ picræ, ʒ. xiiij. Omnia autem assu-  
mantur in pilulas ex succo endiuizæ. Si rectè au-  
tem rem velimus existimare, puitam etiam præ-  
ter atram bilem, licet valentius atram bilem pur-  
gent, & sunt aliquanto Indis fortiores: vnde &  
aliquanto minor est eorum dosis: ad sexquidra-  
gram enim ferè potest accedere, quamuis etiã  
dragma possit modestè purgare. Sed & de pilu-  
larum ex hermodactilis vtrarumque tam maio-  
rum quam minorum ratione pauca quædam di-  
camus. Ad podagras & articulares dolores vtræ-  
que facere possunt, sed non eodem modo, nisi  
quòd sicuti ferè semper, hi dolores ex mixta ma-  
teria tum calida tum frigida excitantur, quam-  
uis interdum calida frigidam & copia & viribus  
superat, interdum verò è contrà: ita vtræque cõ-  
fectiones vtròsque humores purgant, maiores  
tamen magis frigidos, minores verò calidos ma-

gis. Accipiunt enim maiores:

Hermodactilorum,

Aloes,

Citrinorum Mirobalanorum,

Turbith,

Colochintidis,

Bdelij,

Sagapeni, sing. dragm. septem.

Castorei,

Sarcocollæ,

Euforbij,

Rutæ sylvestris,

Apij, singulorum dragm. tres

Croci, dragm. j. s. Sumantur ex succo

caulium. Vnde priorum medicinarum circiter  
 duodecimam partē, singulæ æquant totius me-  
 dicamenti, vel parum admodum plus. Singula  
 enim dragma continet vniuscuiusq; earum gra-  
 na ferè quinque, secundus verò ordo medicina-  
 rum vigesimam partem, Nemo autem est, qui nõ  
 percipiat maiorem vim habere purgandi pitui-  
 tam & frigidos humores quàm calidos. Harum  
 dosis potest extendi vsque ad sexquidragmam,  
 quamuis sæpius etiam dragma satis esse potest.  
 Minores verò conficiuntur ex dragm. quinque:

Hermodactilorum,

Scamonij, dragm. ij. s.

Mirobal. Citrinorum, 3. iij.

Rosarum, 3. ij.

Aloes,

Aloes, ʒ. decem. Quæ omnia exceptis hermodactilis bilem purgant. Capit autem singula dragma paulò minus septem granis scamonij hermodactilorum verò duplum. Sed & electuarium rosatum quo assumuntur, vt in priori capite ostendimus, aliquam vim purgandi bilem insignem habet. Vnde nunquam vel rarissimè excederem sexquidragmam. Sed sæpius satis mihi esset dragma.

*De trociscis insigniter purgantibus, & de puluerib.  
& qua ratione interdum sint mutuo pilulæ commiscendæ.*

Caput XVIII.

**Q**uædam etiam medicamenta sub trociscorum nomine in vsum frequenter medicis veniunt, quæ vim purgandi insignem habent. Sunt autem hæc præsertim tria, primùm pastilli vel trocisci ex violis, & à Mesue hîdescribuntur, vbi de asthmatis curatione agit. Horum confectio sic se habet, vt acceptis floribus violarum, qui neq; plenè virides & humidi sint neq; omnino aridi, sed medio modo se habeant ad ʒ. vj.

Turbith optimi ad ʒ. iij.

Succo liquiritiæ,

Manna, & scamonio. sing. ad ʒ. ij.

Ratio compositionis ostendit eos habere quod leniât partes in pectore cõtentas ex violis & succo liquiritiæ, & moderatè humectando possint facilem excretionem excrementorũ facere, quæ instrumenta spiritus obsident, ex turbith quod acuitur & iuuatur à scamonio, possunt crassam & pituitosam, vel in remotioribus partibus residentem materiam purgare. Accipit autem singula horum trociscorum dragma scamoniij, grana septem & ferè dimidiũ, turbith verò grana quindecim: vnde & dragma vna eius satis liberaliter purgare potest: plærunquetamen alijs medicamentis immiscemus & cassiæ sæpe, & potionibus quibus plus minusue, cùm his vti voluerimus, pro ratione medicamenti hos trociscos immiscemus. Nam cùm mannæ vncia vel similis facilis medicamenti commoda & liberalis purgatio sequetur. Sed cum alijs soluentibus & valentioribus medicamentis cautius erit agendum. Sed & id aduertere oportet, quod apud plures pharmacopolas dupliciter seruatur hoc medicamentum: nam & completum, vt nuper fuit expositũ, nempe cum scamonio, præterea & non completum sine scamonio, & tunc solum habet turbith, in quo propriè vis adsit purgatoria, atq; ita leuius longè medicamentum erit, minusque acre, ita vt sæpe vnciæ cassiæ vel alterius medicamenti, vel  
 alijs

alijs potionibus, æstate præsertim cum minus calefacere & excitare corpus volumus, duas etiã dragmas vel sexquidramam damus. Solent autẽ cauti medici, ne error committatur præscribere apothecarijs quosnam velint iniici vel cõmisceri medicamento quo vsuri sunt, atq; ita instituerẽ. Accipe trociscorum ex violis vel sine scamonio, vel cum scamonio: si hos dragmam exempli gratia vnam, illud tamen non ignorandũ quòd qui citra scamonium fiunt pituitæ purgandæ sunt accommodatiores. Nam in his præter turbith, nihil est quòd vim propriè purgandi habeat: reliquæ enim potius temperant & leniunt, qui verò scamoninm accipiunt, non minorem facultatem habent educendi bilem quàm pituitam. Duæ præterea sequentes pastillorum compositiones, Illi quippe qui ex agarico dicuntur, & illi qui Arabico nomine Alandahal, excogitati sunt propter correctionem colocintis, & agarici, vt hæc duo medicamẽta quæ antiquis medicis solita sunt esse in vsu frequentissimo, vbi esset purgatione pituitæ opus, præsertim si ea sit ex remotioribus particulis detrahenda, semper parata haberent, ne quo tempore eis vtendum esset parari statim cogerentur. partim ergo propter commoditatem parata ex arte haberi voluerẽ, partim verò propter vtilitatẽ: nam si diutius parata seruentur, atque composita cum illis simplicibus, quæ vim haberent, aut vires eorum au-

gere, aut malitiam corrigere, melius in vnionem quandam venientia, simul vnitis singulorum facultatibus, & mutua fermentatione, & correctio-  
ra fiant, & faciliora. Agaricum verò in his trociscis, illis quasi condiunt quæ vim maiorẽ in purgando addant accelerentque eius operationem: alioquin enim lentè vacuat, atque vt facilius à ventriculo, præsertim verò ab ore eius descēdat, cui molestiam afferre, fastidiumque solet, & sæpe vomitum etiam cōcitare præ leuitate sua. Sed colochintim potius illis parant, quæ vim eius & acrimoniam obtundant & deliniant, mitioremque in purgando reddant.

Trocisci verò ex agarico, quos & hoc nomine medici significant, interdum verò agaricum trociscatum appellant, ita paratur. Accipiunt electissimum agaricum: nihil enim maioris momenti est in pharmaceticæ medicinæ parte, & ea præsertim quæ versatur circa purgantia medicamēta, quàm vt ea eligatur quæ optima sint, alioquin omnia cedunt in ruinam vitæ ægrotantium & honoris medicorum. atque id in puluerem redigunt, demerguntque sæpius in vino in quo fuerit zinziber maceratum: aliqui addunt & spicam. deinde pastillos conficiunt, sæpissimè verò & sal gēma & oximel addunt, & tū vulgo Agaricū preparatum dicitur. ex mixtione salis gēmæ rediditur aliquanto acrius medicamentum & quod citius possit operari, mitius verò si citra id fiat.

Horum

Horum trociscorum aliquando sexquidramam  
 damus, interdum & ʒ.ij. vel seorsum citra aliam  
 mixturam, vel si lenibus & leuibus medicamen-  
 tis immixtos deuorandos offerimus. Sed si cum  
 alijs & valentioribus misceamus, pro ratione a-  
 liorum metimur copiam horum, ne totum po-  
 stea medicamentum compositum nimis acre &  
 potens euadat. Alandahal autem ita paratur, ac-  
 cepta nimirum colocintidis interiori parte, ab-  
 iectis autem seminibus incidatur quantum ars  
 requirit: mox maceretur & dissoluatur tragacan-  
 tum, gumi, & bdellium ex aqua rosacea. In his o-  
 nim facultas est qua possit mitescere & leniri o-  
 mnis acrimonia & calor réperari: quo pacto co-  
 locintis eo glutinoso humore perfusa & assum-  
 pta in pastillos formanda, qui in umbra deinde  
 ficcandi sunt, & postea iterum exquisitè terendi,  
 rursusque eodem humore aspergendi, iterumque  
 pastilli formandi, qui postea congruè seruandi  
 sunt. His medici in compositionib. vtuntur pro  
 colocintide, vtpote qui longè mitiores & ma-  
 gis tuti quàm colocynthidis sola. Ideoque præter-  
 ea de illis nihil dicendum est, cùm de colocin-  
 tide sit superius sermo habitus. Sed & pulue-  
 res etiam in vsu esse solēt ad corpora purganda:  
 nobis autem duorum meminisse satis erit. prior  
 autem est cuius superior facta est mētio, qui pul-  
 uis sene præparatæ dicitur, cuius duplex est ap-  
 paratus, primus & simplicior de quo suprâ locu-



ti fumus, & alter qui diagridium accipit ad sexquidragmam, salis indi ad semiunciam, sene ad ℥. viiij, fœcum vini ad ℥. iiij. maceris ad ℥. iij, cinamomi ad sexquidragmam. Eius facultas est, vt præsertim melancholicos & exustos purget humores, sed & aliquid pituitæ & flauæ bilis: additur enim sal indum, sene, & dragma pulueris accipitur paulò plus granis duobus, vncia vero paulò plus granis septem scamonij, varijs statimè in locis plus minusue scamonij addunt. Quatum verò ad medicamentum pertinet non est admodum acre, quinetiam dragmæ tres dari possint: nam capient sene dragmas duas, salis grana sex vel septem. Alter verò puluis hermodactilorum dicitur, qui etiam hermodactilatus vulgo dicitur. vtuntur eo etiam vulgares nullo medico instituyente, quando obnoxij sunt podagrico vel articularibus doloribus, & accepta semiuncia liberaliter sine multa molestia purgantur. Cuius compositio,

Accipit anisorum,

Zinziberis,

Cinamomi, ℥. xij.

Diagridij ℥. j.

Salis indi, ℥. 5. Semiuncia autem scrupulos octo hermodactilorum continet, diagridij verò supra grana duodecim. Vnde non ita temerè id pondus medicamenti dandum est omnibus, nisi sit robustū corpus, alioquin enim  
valens

valens adeò medicamentum, vt tres dragmæ & minus possint satis copiosam moliri euacuationem.

*De ratione mutuò commiscendi medicamenta composita, atq; composita cum simplicibus, & de potionibus.*

Caput XIX.

**Q**Uamuis de ratione componendorum & commiscendorum medicamentorum in primis huius libri capitib. in vniuersum aliunde satis egerimus, non solum autem simplicia mutuò componuntur, sed aliquando simplicia cum compositis, & cōposita cum compositis, vt istarum compositionum modus ex illis quæ in vniuersum exposita fuere antea, rectè perceptis, cognitu non sit difficilis, cum tamen medici nouitij soleant etiam nonnunquã in his quæ facilia sunt exhibitare, non ab re fore censemus, si particulatim etiam de hoc verba faciamus: vt tamen de his tantùm medicamentis nũc sermonem habeamus, quibus in purgando utimur, de alijs enim suo postea loco erit agendum. Sed hoc primùm tanquam istius negociij fundamentum ponamus, Medicos s. peritos cum medicamenta commiscant, & addunt aliqua simplicia illis quæ rectè fuerant composita, aut compo-

fita compositis, eos id ratione nō temerè agere.  
 Vnde & nos nunc id debemus agere vt rationes  
 explanemus, quas medici nouitij sequētes aptè  
 etiam ipsi has mixturas moliri discant. Vniuer-  
 sa autem huius rei ratio (vt suprā etiam dixi)  
 vel à natura medicamenti vel affectus, vel corpo-  
 ris purgandi petenda est: à natura quidem medi-  
 camenti, quia aliquando valentius est medica-  
 mentum aut infirmius, quàm ratio aut morbi,  
 aut roboris corporis, aut humorum purgando-  
 rum copia requirat: quare, vt id valētius aut in-  
 firmius reddamus, aliud tum simplex tum com-  
 positum addimus: sicuti, exempli gratia, Pona-  
 mus duos esse purgandos qui capitis dolore ab  
 eodem humore tententur, quorum alter iam se-  
 pius fuerit purgatus, supersint autem aliquæ re-  
 liquiæ, non multæ autem: alter verò nondum  
 fuerit purgatus, imò scateat excrementis, ita vt  
 copiosam requirat purgationem, velim autem  
 vti pilulis cocchijs, sed earum dragma alteri sit  
 minus, alteri parum: alterum duorum faciemus,  
 nam vel in altero de pondere detrahemus, dabi-  
 mus autem scrupulos duos tantum, in altero ve-  
 rò addemus semiscrupulum, aut scrupulum in-  
 tegrum: vel in priori miscebimus cocchias cum  
 alijs pilulis leuioribus, vt exempli gratia, sunt  
 quæ ex simplici hiera, aut quæ ex ea addito aga-  
 rico fiunt, singularum autem accipiemus semi-  
 dragmam: at verò quia ea omnia quæ in hiera ac-  
 cipiuntur

cipiuntur vim habent corrigendi acrimoniam  
 medicamentorum fortium quæ cocchiæ acci-  
 piunt. Ideo pilulæ factæ ex his duabus mixtis,  
 faciliorem purgationem & cum minori mole-  
 stia molieatur, quamuis pondere & copia alias  
 quæ solis constant cocchijs, superent. In altero  
 verò vel cochiarum pondus augebimus addito  
 præterea aut semisrupulo aut integro scrupulo,  
 aut simplex aliquid addemus quod eas axacuet,  
 & id simplex erit quod nobis ostēdet ratio eua-  
 cuandi humoris: nam aut diagridij duo vel tria  
 grana adijciemus, aut veratri aut colochintidis.  
 Sed interdum non tantum causa vacuandi plus  
 minusve addimus, sed ratione alicuius alterius  
 qualitatis, quam moderationem cuperemus,  
 quemadmodum si æstate nobis videretur esse dan-  
 das pilulas, timeremus autem calorem (plæreque  
 enim calefaciunt) aliquid miscemus, qui vim ha-  
 bebeat refrigerandi, sicuti si dragmæ pilularum  
 addemus aut mirobalanorum semisrupulum,  
 vel, ut aliqui, sandalos, aut ipsas reformari, ut di-  
 cunt, vel iterum assumi ex succo rosarum insti-  
 tueremus, vel violarum, vel cicorei, vel alicuius  
 alterius huiusmodi, vel saltem ex aliquo refrige-  
 rante syrappo: aut si consilio Auicennæ quarta  
 fen. primi can. pilulas ex aliquo decocto exhibē-  
 das curaremus, vel ut ipse ait, ex apocismate fa-  
 cto, ex rebus quæ aut refrigerent, aut lenitate fa-  
 ciliorem adiuuent purgationem, aut si refrena-

tionem aliquam pilularum in purgando desideraremus: fieret ex astringentibus, de quibus postea suo loco sermonem habebimus. Aliquando etiam componimus pilulas cum alijs simplicibus vel cum alijs pilulis alia planè ratione, quam insinuare noluisse videtur Gal. primo de Comp. Medic. secundum loca cap. secundo: nimirum medicamentum quod aliqua particulatim ratione nobis utile fore putamus, non tamen tanto in eo vis esset, humores aliquos noxios purgandi, quanta egeremus: quia illud alterius humoris, magis purgatoriū cognosceremus, quam illius quem nos esse purgandum censuimus, aliquod simplex immiscebimus, quod ipsum promptius ad hunc humorem vacuandum reddat. Exemplo ab eodem loco Galeni petito rem declaro: hiera quæ primū fuit medicamentum, quod hoc nomine fuit appellatum, ut primo eiusdem operis libro testatus est Galenus, erat tanquam sacra ancora ad quam prisci medici confugiebant in arduis & maximis morbis, cuius ut superius ostendimus, fundamentum est in colochintide. unde & diacolochintidos Græcè dicta est, postquam & alijs medicamentis nomen id inditum est, sicuti illi quæ dialoes nuncupata est distinctionis gratia. Unde hæc ita ut secundum primam compositionem se habet pituitam vacuat, sed interdum ut eodem primò de Comp. med. & secundo de Ratione vict. in ac. morbis, scam-

nium

nium addebant, interdum nigrum veratrum, & hoc cum erat vel flaua vel atra bilis educenda. Eodem modo nunc Parauij cœperūt hac eadem de causa cocchias pilulas habere paratas, in quibus pro colochintide, trociscos alandahal apponunt, atque longè minori pondere hoc ponunt, quàm colochintim imposuerint Rasis & Mesue, cum tamen Mesue cōsulat, vt cum pro colochintide Trociscis illis simus vsuri, pro duabus dragmis & scrupulo colochintidis, iniiciamus quatuor eorū trociscorum. Copiosum postea veratrum apponunt, nimirum dragmas duas, & minimam portionem diagridij: nam circiter semidragmam: vnde hę pilulę bilis quidem & pituitę aut parum aut nihil educent, primū autem atram bilem purgandam respicient. Alij verò pro suo arbitrio mutant tum veratri, tū aliorum simplicium portionem, de quibus non est cur hęc particulatim agamus, cūm hęc in exemplū sint proposita: quia tamen res hęc non modici momenti est, ideo non vnico exemplo aut altero contenti, alijs etiam vtamur. interdum ergo si nobis propositum fuerit, quosdam purgare humores sicut in aqua intercute. Mesue autem habet pilulas ex camelea quam Mezenon ipse vocat in suo Grabadin, & illas esse huic officio aptas ait. Nicolaus verò pilulas de Elatorio, sed adeò rarò in vsum veniunt, vt semper ferè adeò sint inueteratę, vt facilius existimare possimus

iam earum vim esse exoletam, aut si etiam recentes fuerint, timemus earum acrimoniam & agitationem: quare vt res magis tutè succedat, accipimus aliquas pilulas faciles, & quæ acrimonie sint expertes, imò sint potius sua natura tales, vt & roborare viscera ac defendere possint, & reprimere maliciam nocuorum medicamentorum, vt sunt pilulæ superius ex Mesue descriptæ, ex rhabarbaro appellatæ: hæ enim tutissimæ sunt, & scrupulo earum vni vel altero, iniiciemus granaria vel quatuor elaterij, eisdem etiam si crassior & pituitosus humor esset educendus, aut trochiscos alandahal, aut colochintim adderem ad id pòdus quod nobis fore videretur satis, vt quatuor vel quique vel sex grana, & vltterius quandoque. Sæpe verò eadem ratione pilulas cum pilulis miscemus, vt interdum cochias cum aureis & eas pari pondere. Nam cochias crassos & pituitosos magis, tenues verò & biliosos aureæ curant, nempe cum volumus pariter vtrosq; purgare. Sed si aliquanto plus videatur purganda pituita, aurearum vnum acciperemus, cochiam verò duos scrupulos, sicuti contrà cum plus bilis esset in capitis doloribus expurgandum. Ita in affectib. oculorù pilulæ sine quib. vtilis sunt, & eas aptiores esse diximus calidis & biliosis humoribus. Pituitosis autè frigidisque purgandis congruæ sunt quæ Lucis maiores dicuntur, vtrasque commiscemus aliquando pari pondere, aliquando

aliquando inæquali. Ita aliquando non modò duas sed & tres componimus ex eadem ratione. Quibus autem de causis, & quotuplex soleant pilularum fieri compositiones, vel plurium earum mutuò, vel vim simplicibus medicamentis eisdem etiam & totidem quotidie fiant diuersarum medicinarum, quæ teneriori substantia cōstant, quales sunt quæ ab Arabibus & nostris Iunioribus electuaria dicuntur. Nam & cassiæ sæpe alias addimus cōpositas, interdum diasebesten, interdum diafœnicon, diadamascenum, & alia quæcunque sunt suprâ exposita, secundum eandem rationem, secundum quam & pilulas misceri diximus. Interdum verò simplicia simplicibus immiscemus, sicuti agaricum cassiæ, præsertim in affectibus pectoris addere solemus. Tamarindos autem ubi sit opus maiori extinctione. ita Galenus cum vellet purgare bilem, immiscuit scamonium sero lactis. Sed & composita compositis, vt electuario lenitiuo, vel diacatholicon addimus, vel confectiōnem Hamec, vel indum electuarium, vel qui ex psillio fit, nempe vt hæc læuia exacuemus, & illis vim maiorem, vel alios humores purgandi addamus. Ita interdum diafœnicon cum rosaceo vel cum hamec, vel cum alijs. Nec quantum ad hoc pertinet aliã habemus rationem quam his addamus, præter eas quas de pilulis exposuimus, nisi hæc, quòd hæc tenuiora medicamenta diluendo, ad potionis formã, vel



consistentiam deducimus, quod etsi in pilulis etiam fieri possit, & ab aliquibus etiam fiat, raro tamen id accidit. Ideo de his vel de horum usu in hunc modum pauca quædam dicenda sunt, antequam hunc primum librum claudamus: & hinc accipiemus initiū, nempe quòd quatenus ad fundamentum medicamenti pertinet, pilulæ vel catapotia magis euacuare solent, quàm quæ electuaria vel boli dici solent, & boli quàm potiones: dixi quatenus ad fundamentum vel consistentiam pertinet, quia id intelligendum est seruata in cæteris paritate, nisi tamen interdum pilulæ exiccatæ induruerint, vt quasi lapis quidam superari, & ad actum deduci à vetriculo nequât, quod si acciderit, turbare quidem possunt, neq; tamen purgant: quare huic rei consulere volentes medici, iubent vt vel vomitu reijciantur, vel superbibito iure aliquo procurent vt humescât & molliantur. Vnde fortasse factum est, vt plerumque aut ex modica aqua, aut ex vino, aut ex iure accipiantur. Sæpissimè etiam medici quando exhibituri sunt pilulas, præcipiunt eas ex aliquo liquore (vt aiunt) reformari. Sed cum de ijs fatis esse possint, quæ hætenus exposuimus, pauca quædam præterea de illis dicamus, quæ pertinent ad rationem medicamentorum, quæ potanda quotidie dantur. Constat autem potiones fieri ex simplicibus aliquibus medicamentis decoctis ex aliqua aqua, & ea vel communi aut arte facta

facta, vt sunt stillatitę, vel iure aliquo, vel ex medicamentis demersis & maceratis ex aliquo liquore, vel aliquo decocto (Iuniores infusiones appellant) aut tertio ex medicamētis simplicib. vt sunt casia, māna, & tamarindi dilutis vel dissolutis ex aliquo humore, vt sunt aqua communis, vel stillatitia, vel decocta, vel ex infusionib. vulgo dictis. Sed & ex compositis, quę passim electuaria dicuntur, eodem modo quo ex simplicibus diximus potiones parari solent, ex cōmunitamen aqua quę ex puteo vel fonte hausta in potu aut cibus coquendis vtimur, nunquam aut saltem rarissimē primūm fiunt medicinales potiones, sed ea tanquam materia ad paranda decocta vtimur. Vnde neque de hac multa verba faciemus. Agamus ergo primūm de stillatitijs aquis, quę ex varijs herbis per destillationē extrahuntur. Neq; tamen volumus nunc quęstionem illam examinare, an possit in illis aquis aliqua vis remanere, qualis erat in herbis antequā fieret destillatio: vanus enim mihi videtur hic labor, cum experientia ipsa per tot annos attestetur aliquas seruari vires in istiusmodi aquis. Sēpissimē enim videmus puerperas quę parcē purgabantur vsu aquę ex capillis Veneris destillatę, liberales habuisse purgationes, & in alijs quoque affectibus idem accidisse animaduertimus. Neque mihi qui secus sentiunt rationē aliquam habere videntur, quę non lubrico fundamento

fundetur, dicunt enim quod neque odorem neque saporem seruant earum herbarum ex quibus stillantur: nos vero primo dicimus, quod si in uniuersum id loquamur, falsa dicunt. Nam ex herbis habentibus insignem aliquem odorem illum seruant, sæpe etiam saporem, sæpe & alias qualitates. aquam enim rosaceam quis negabit odorem rosæ seruare? item ex floribus citri, ex gelsaminis & alijs infinitis, aquæ non ne suarum herbarum odorem seruant? imò & multi etiam reperiuntur, qui in arte distillationum periti, aquas per distillationem eliciunt, quæ etiam saporem seruant, præsertim uero si in duplici id fiat vase: quis enim non nouit aquas ex cinamomo, & ceteris aromatibus extractas, seruare tum odoris tum saporis eandem acrimoniam? quod uero & ceteras qualitates seruet, quæ naturam & formam, & totam substantiam sequuntur, ipsa experientia demonstrat. Nam ex rhabarbaro distillatur aqua, si illi in distillando diligentia adhibetur, quæ pariter uel saltem paulo minus quam ipsum rhabarbarum ventrem purgat, & bilem flauam educit. Sed donemus illis tandem multas esse aquas, in quibus nihil remaneat quod uel odore uel sapore id referat unde distillarunt, quamuis multa etiam sint quæ referant, tamen propterea non efficiunt illas esse omnino inutiles. Nam quotidie multis utiliter utimur in conficiendis medicamentis, quæ dum seruantur aut alioquin parantur, odores eos mutantur

mutant, aut omnino amittūt quos prius habue-  
re. Nam quædam sunt quæ odorem, item & sa-  
porem fundatum in quadam tenui substātia di-  
spersa in summis partibus habent, quæ facillè dū  
res arefcunt, digesta à calore circumstantis aeris  
euaporant: quanta enim differentia est inter ro-  
sæ & violarum flores, postquam aruerint, v-  
trisque tamen aridis in medicina vtimur. Sed ad-  
damus vnum quod non est ab hoc instituto alie-  
nū. Amigdalæ quæ amaræ sunt, insignè & mani-  
festam habent amaritudinem, dum comedun-  
tur: oleum tamen ex eis expressum, si tantisper  
quiescat, donec residente face clarescat, aut nul-  
lum aut admodum obscurum feruat amarorem,  
ita vt à dulci sapore modicissimè differat. Atta-  
men qui non expertus est illud, nihilo secius esse  
quàm amigdarum efficax viribus. Sed de his  
fatis rem persequamur. Cum aquas vel decocta  
accipimus vt medicamenta bibēda dari possint,  
illis aquis vel decoctis diluenda sunt medicamē-  
ta, quæ præter id quod ab eis dilutiora euadunt,  
possint etiam aliquam vtilitatem præstare, & ad-  
iuuare medicamentum: vel etiam se alicui noxæ  
opponere, quam ex ipso medicamento timere-  
mus. Vtilitates autem has nobis ostendent, aut  
natura loci affecti, aut natura affectus, aut natura  
& facultas medicamenti. natura quidem loci af-  
fecti quia si particulatim morbus aliquā in cor-  
pore particulam tentet, nō sit autem qui totum

corpus affligat, aquam vel decocta parabimus, quæ præfertim fit illi particulæ commoda. Vnde in affectibus instrumentorū respirationis & pectoris ex illis simplicib. aquas vel decocta paramus, quæ præter id quòd sint apta scopis, quos nobis morbi natura indicat, familiaritatē quandam cum illis particulis habeant. Vnde si fit humor aliquis qui eas partes calefaciēdo & siccandō exasperet, utemur aquis violarum boraginis maluæ, althææ, capillorum Veneris, & similib. decoctis verò ex floribus item violarum, maluæ, boraginis, radice althææ, radice dulci, id est liquiritiæ: fructibus etiam quales sunt Iuiubæ vel zingiphæ dictæ, & mixæ vel ut nunc appellant, Sebestem. Si verò obsideantur partes à crasso humore, utemur hyfopo, betonica, marrhubio, addita radice dulci & sebestem: sed si aquis uti mallemus, aquis ex his eisdem herbis destillatis uteremur. In affectibus verò iecinoris, endiuia, cicorea que omnia, oxalisque, seu acetosa essent accommodata simplicia, ex quibus aut aquæ, aut decocta parentur quādo calidiores essent affectus. Absinthiū verò & eupatorium, quod nūc agrimoniam appellant, & marrhubium etiam iecur à frigido & crasso humore obsideretur & obstrueretur, ita etiā si ad renes illa essent accipiendæ, quæ renes sua natura respiciunt, ut tamen à scopis quos morbi natura affert, non sint aliena. Quando verò morbus non sit addictus alicui

particulæ

particulæ definitæ, sed fit vniuerso corpori communis, habitatione naturæ vniuersi corporis qui à calidis vel à frigidis soleat facilius malè affici, morbum in primis spectabimus, eis paratis decoctis vel aquis vnde sunt purgantia medicamenta diluenda, quæ adiuuent ad morbum tollendum, refrigerando, calefaciēdo vel attenuando, & aperiendo, vel reliqua præstando quæ nobis esse agenda demonstrant indicationes & scopi à morbo oblati. Sed & natura medicamentorum quæ vim habent purgandi, ostendunt nobis rationem aquas eligendi, vel decocta parandi, quibus conficiendę potiones essent & diluendæ. Nam aliquando medicamentum dissoluedum & diluendū, etsi quatenus ad purgatoriam facultatem instituto nostro sit accommodatissimum, habet tamen annexam aliquā qualitatem quæ non minus nocere possit, quàm purgatio prodesse. Propterea quia minus calefacit & siccat, aut quia nimis acre, aut quia laxat & turbat ventriculum & reliqua viscera, aut quia sapore vel odorem nimis habet ingratum. Vnde decocta parabimus vel aquas eligemus, quibus ea omnia corrigantur, quæ possint lædere, neque tamen impediant eam vtilitatem, quam ex medicamento quatenus purgatorium est spectamus. Vnde in febribus in quibus est vehemens calor, quales solent esse in iuuenibus, præsertim verò ætate excitati, aquis refrigerantibus, vt sunt ci-

corei, endiuiz, acetosæ, vel huiusmodi alijs utimur in diluendis purgatorijs medicamentis, vel decoctis refrigeratibus, ut est decoctum fructuũ cuius Rasis Auicena, & Mes. meminerunt, quod in hunc modum fit:

Acceptis prunis octo,

Sebestem verò sex,

Iuiubis totidem,

Tamarindorum semiunciaz, omnia coquendo ex aqua, ut ars requirit, deinde abiectis fructibus, hoc decocto utimur ad diluenda medicamenta. priores tamen authores addunt cassiam & mannam, sed tunc tanquam integro medicamento utuntur ad purgationem facilem bilis. Sine his autem eo utimur, tanquam apta materia ad diluenda alia medicameta, sicuti ipsi manna & cassiam diluunt. Mutant tamen medici interdum ipsius rationem, & quandoq; detrahunt tamarindos, appellantque decoctum vel aquam fructuum absque tamarindis, & hoc præsertim in his quibus malè habet & languet ventriculus ex frigidiori intemperie. Vbi verò ventriculo non timent, & rem maiori extinctione egere illis visum fuerit, duplum tamarindorum, nimirum vnciam apponunt, & appellant aquam fructuum duplicatis tamarindis. Hyeme verò quando morbus ex crassis & pituitosis humoribus oritur, alia decoctorum ratione opus erit, alia etiam aquarum. Nam accipiemus passulas, liquiritiam,

triam, radicem vel femina apij, fœniculi, & radices aliorum huiusmodi. Interdum verò si sit in iocinore vel ventriculo infirmitas, eupatoriũ, præterea & absynthium addimus, vt accepta femiuncia passularum, liquiritiæ dragmis tribus, cæterorum parum, fiat decoctio ex aqua. Sed si lien affectus videatur, pro absynthio & agrimonio, scolopendriũ & cuscutam accipimus. Nam hæc decocta attenuando & aperiendo, faciliorem facient futuram purgationem. Præterea verò in morbis melancholicis decocta parabimus, quibus vtetur in diluendis purgatorijs medicamentis congruis atræ bili expurgandæ, quæ & ipsa, ipsam purgationem iuuabunt, sicuti si ita fiat:

Recipe Senę electæ, ʒ. iij.

Epythimi, ʒ. j. s.

Prunorum, ʒ. iij.

Passularum, ʒ. ij.

Liquiritiæ, ʒ. ij.

Semper enim hæc quæ leniunt, vt sunt passulæ & liquiritia, & pruna, magnâ afferunt in expurgandis melancholicis humoribus vtilitatē. His autem vel ex aqua communi facta, decoctis, deindeque colatis, fit commoda materia portionibus. Nec modò decocta hæc sunt portionibus apta materia, sed etiam macerationes, vel vt vulgò dicuntur, infusiones diuersorum medicamentorum simplicium: eorum inquam, quæ vim pur-



gandi habent, commodam & vtilem materiam præstant: de quibus pauca etiam quædam pro exemplo, vt de alijs fecimus, nũc dicamus. Non est vna & simplex ratio, quæ mouet medicos vt simplicia medicamenta macerent, sed multiplex & varia: sicuti neque vnus est scopus, quid esse agendum nobis ostendit: nam aliquando vt maliciam & noxam corrigamus medicamento, sicuti colochintim infundere docent in aqua rosata, in qua tragacantum & bdellium fuerint dissoluta, vt in trociscis Alandahal ostendimus. Interdum verò vt robur medicamento addatur, atque eorum acceleretur operatio. Hac enim de causa Agaricum in acetum, in quo prius fuerit maceratum zinziber sæpius demergunt, vt priori capite diximus. Interdum etiam fiunt tales macerationes & infusiones, vt diuersæ partes quæ in eo medicamento sunt, quæque diuersas naturas habeat separentur, & eis vti possimus, quæ nostro instituto sunt accommodatiores. & hac præsertim ratione rhabarbarum infundere cõsulere, docti medici ab Arabibus. Nam in eius diluto post infusionem, remanent partes illæ, in quibus est maior aperiendi vis, minima verò astringendi: & dum dilutum percolatur quo leuior est expressio, eo minus & particeps est astringentis, & quo magis exprimitur, magis quoque astringit. quæ infusio seu maceratio facienda est ex aquis, vel decoctis magis nostro negotio aptis, habita  
ratione

ratione temporis vel morbi, nempe vt refrigerent, si aut calidior morbus, aut temporis constitutio requirere videatur, caliditatem rhabarbari temperandã esse, vel si validæ essent obstructiões, ea acciperentur, quæ rhabarbarum iuuarèt aperiendo & attenuando. Agaricum ego interdum macerare soleo, vel simul cum rhabarbaro, vel seorsum ex alio decocto, si simul vti voluero utroque, & id quia fastidium & vomitum ea præfertim ratione concitet, qui lemitate sua facilè ad os ventriculi ascendit, & illud irritat. Cùm verò infunditur ac deinde colatur, remanet ferè sola vis, aut si aliquid substantiæ pertransit, illud adeò tenue & parum est, vt non multam molestiã afferat. Vnde sæpe obseruaui, quòd si in hũc modum exhibetur, minus ventriculum turbet. Sed hoc præterea aduertendum, vt cum paramus eiusmodi diluta, cum medicamentis macerandis, ea ponamus, quæ tanquam correctoria sint, accepta ex longa authorum experientia. Restat vt finem huic capiti imponamus: sed quia multa sæpius dicta sunt pertinentia ad copiam exhibendam medicamentorum, vel, vt aiunt, dosim tam simplicium quàm compositorum, semper autem illi addimus, si illis vtamur solis: sed quia in hoc postremo capite monuimus, quòd sæpissimè non solis vtimur, sed vel composita mutuò miscemus, vel illis alia simplicia addimus, videtur autem modus is loquendĩ

8 DE COMP. MEDIC.

insinuare, non esse eandem rationem seruadam, cum solis utimur, & cum ea præterea cum alijs componimus. Vnde rationi consonum esse putarem, vt de hoc etiam pauca quædã dicamus. Sed hoc primo supposito, nempe quòd quemadmodum in alijs qualitatibus contigit istis medicamentis, ita etiam in hac facultate qua purgant. Nam si alicui medicamento calefacienti alterum immisceamus, quod aut nõ calefacit, aut minus quàm primum, remittitur vis calefaciendi, vt id minus calefaciat, quàm quãdo solum in vsum veniebat: atque idem de laxantibus, vel astringentibus, & alijs medicamentorum viribus est intelligendum. Quare cum sint aliqua medicameta quæ purgatoria sunt, & alia quæ nullam vim habent purgandi, & in his quæ purgatoria sunt varij reperiuntur ordines, vt ostendimus supra, quia alia maiorem, alia minorem vim habent purgandi, quando simul miscemus quæ purgât cum illis quæ non purgant, vel quæ in purgando sunt infirmiora, & id siue de simplicibus siue de compositis medicamentis loquamur, semper vniuersum id medicamentum quod ex ea mixtura resultat, remissiores vim habet purgandi, & inferiorem ordinem, quàm haberent valëtiora medicamenta, ex quibus id fuit compositum. Vnde sicut mutatur ratio virium in purgando, ita etiam dosis ratio mutatur. Nam quamuis in aliquo medicamento accipiantur quæ in vltimo ordine

ordine sunt, vt scamonium, colocinthis, & elaterium, quia tamen hæc hebetantur & remittuntur ex mixtura aliorum, quæ inferiora sunt: vel etiam quæ vim nullam purgatoriam habent, totum illud medicamentum ratione mixturæ ad secundum vel tertium ordinem deducetur, & proinde liberalior erit dosis illius, quod mixturæ est ex illis omnibus, quàm si vnum vel duo administrarétur. Sed neque inepta est etiam consideratio iuniorum dicentium, quòd cū plura sunt commiscenda medicamenta diuersi ordinis, nō sunt ita temerè & sine vlla ratione commiscenda, & sine mutua cōparatione, sed vnumquodq; eorum prius seorsum extimandum est: & habito quæ possit esse eius secundum se integra & congrua dosis, deinde mutuo conferenda & simul extimanda, quanta possit eorū, dum mixta sunt apta dosis. Neq; enim vtriusque accipienda est integra dosis. exempli gratia, Si diapheniconis, vel confectiōnis Hamech, integra dosis sit semiuncia, diasebesten verò cum scamoneo possit dosis cōgrua esse vncia, cum hæc componere simul voluerimus, non erit ex ratione factum, vt illius compositi vtriusque detur sexquiuncia: nam non minus vtriusque seorsum, sed longè magis purgabit: ita magis purgabit qui pilularum aurearum, & Assaieret sing. dragmam accipiat, & eas mixtas dederit, quàm si solas aureas pondere dragmæ, & id quidem ratione quantitatis vel co-

piæ maioris. Nam etiam lenia medicamenta in multa copia exhibita liberalem possunt moliri euacuationem, & interdum liberaliorem, quàm modesta earum quæ valentiora & fortiora sunt. Est enim trita philosophorum sententia, quòd in maiori quanto, vis maior est. Vnde considerandum est quando medicamenta sunt commiscenda, an altero tantùm egeamus, alterum verò addamus, vt illud quod nobis præcipuum est iuuemus & exacuemus. Nam sic non egemus, vt alterius addamus, quantũ ad eius integram dosim accedat, quia ipsum erit quod euacuabit, nõ illud quod volebamus esse præcipuum medicamentum. Vnde vnciæ vel sexquinciæ cassiæ, item & electuarij lenitiui, vel similis alterius addemus dragmam, aut rosacei, aut diadama sceni, aut diafiniconis, & id genus alterius, vel etiam paulò plus. Quòd si vtriusque opus requirimus, quia varij sint humores purgandi, sicuti bilis & pituita, accipiemus rosaceũ electuarium, & diafinicon ex vtroque quantum videatur, ex vtriusque compositum medicamentum posse vnam integram dosim conficere, vt si vtriusq; seorsum dosis sit semiuncia, vtriusque dragmas duas accipiemus: sed si maiorem purgationem bilis volumus, accipiemus tres rosacei & vnam diafinicon, & è contrà. Ita si sit opus pilulis cochijs & aureis, vel singulorum semidragmã, vel alterius scrupulũ, alterius scrupulos duos. Sed si miscen-

dæ

dæ sunt aureæ cum mastichinis, aurearum semi dragmam accipiamus, mastichinarū dragmam, nisi primū vellemus mastichinas, illis autem exacuendi & iuuandi gratia aureas vel cochias addendas esse putaremus. Nam satis esset tunc dragmæ mastichinarum addere scrupulum aliarum: sed si mastichinas apponeremus, vt reprimerent & moderarentur vim aliarum, tum dragmæ aliarum scrupulum aut semidragmam, mastichinarum adderemus. Quando ergo medicamenta sunt miscenda ex omnibus, oportet integram dosim conficere, vt si alterius dimidiâ dosim acceperis, & dimidiam etiam alterius, si par vtriusque fuerit necessitas. Quòd si inæquales, alterius accipies tertiam dosis partem, alterius duas tertias, vel si quartam vnus, alterius reliquas tres quartas, si duo tantū sint necessaria. Si verò sit opus tribus, seruanda est eadem partitionis ratio. Huic tamen considerationi illud quoq; addo, quod & hoc est aduertendū, quòd nullius medicamenti neque simplicis, neq; cōpositi ratio dosis in quodam impartibili consistit, sed ampliores, vt dictum est suprâ, fines habet. Est enim eorum summa dosis, est minima, est media, quæ vt sunt incerta in medicamentis seorsum & secundum suam propriam rationem consideratis (quæ tamen ratio accepta est à collocatione medicamenti, cum natura corporis cui offerendum est medicamentum) ita & cum si-

vult miscetur spectare oportet, & ratione mor-  
 bi, propter quem purgamus, qui vt ab humori-  
 bus concitatur, ita pro modo & copia humorū  
 metiri oportet medicamenta, & naturam, & vi-  
 res purgandi corporis: quia si corpus sit facile,  
 aut à medicamentis soluatur, vel si vires non il-  
 læ sint vt possint facile, liberaliorē & confertim  
 factam vacuationem ferre, cōtinebimus nos in-  
 tra fines mediocris etiam dosis, omnibus illis si-  
 mul extimatis, ex quibus vniuersum commisce-  
 mus medicamentum exhibendum: si autem  
 corpus validum fuerit, & quod non facile purge-  
 tur à medicamentis, ad terminos amplioris dosis  
 accedemus, & aliquando si indicationes quæ no-  
 bis ostendunt esse miscenda medicamenta non  
 fuerint æquales, nō æquales etiam sequemur do-  
 ses: alterius enim quod sequitur indicationem  
 fortiolem, medietatem accipiemus dosis maio-  
 ris, alterius verò quod accepimus ratione indica-  
 tionis, quæ vim maiorem habet, accipiemus me-  
 dietatem minoris dosis. Possimus & exemplis  
 hoc ostendere, sed quia ex ijs quæ in prioribus  
 capitibus sunt exposita, facile hæc percipere po-  
 test quisque, ideo ne longiores simus, hîc consi-  
 stemus, finem imponentes huic sermoni, qui est  
 de medicamentis, quæ per os accepta purgant  
 per inferiorem aluum: & facilis paucis verbis,  
 de his quæ per sedem iniijciuntur, cū eandem  
 ferè purgandi rationem habeant: præterea & de  
 his

his quæ per vomitum, finem huic libro primo imponemus.

*De Clysterijs,*

*Caput XX.*

**C**lysteres quibus medici tâquam apto instrumento, tam ad custodiendam quàm ad recuperandam sanitatem vtuntur, & si sint viribus & officijs differentes, omnes tamen vnum commune officium habent, quòd aluum inferiorem iniectione abluunt, nimirum crassiora intestina: & abluendo si qua in eis sunt excrementa educunt. Vnde Clysteres nomen à verbo Græco habuere, quod *κλύω*, id est, abluo significat. Sunt ergo quidam eorum qui nullum ferè aliud officium habent, nisi quod abluant aluum inferiorem, & ab his sanè excrementis, quæ in illis suapte natura congeri solent, munda seruant, qui etiam vulgo communes clysteres solent appellari. Alij verò sunt acriores, & vim habent maiorem, vt qui ex ea materia consistunt, quæ magis sit medicamentosa, & vim attrahendi excrementitios humores, à remotioribus partibus habent & qui acres clysteres à medicis nuncupantur. Alij sunt deterforij, & vim habent detergendi, quibus solemus vti in vlceribus, præsertim intestinorum, cum illa sordida & maligna fuerint, &



liqua vim exiccandi & consolidandi habent eadem vlcera: quædam etiam sunt quibus vtimur ad deliniendos & demulcendos dolores, qui a nodini etiam dicuntur. quorum triplex est differentia, quia alij primùm dolores, alij facultatem qua dolores percipimus, tertij verò proximè causas dolorum respiciunt. Primi his constant, quæ propriæ temperato quodam calore, & leui humectatione laxando particulam, sedant dolores. Alteri stuporem afferentes dolenti parti sensum ferè auferentes, occasione sunt vt dolor non sentiatur. Tertijs vtimur cū ablata causa dolentibus particulis consulere studemus, sicuti cum flatus in intestinis, vel in alijs partibus aliquem consensum habentibus cum intestinis excitati, dolores cōcitant, paramus clysteres, qui vim habent discutiendi flatum. Sunt postremò & clysteres qui astringendi vim habent, quibus præsertim vtimur ad suppressenda molestaalui profluvia, interdum verò, vt robur addamus intestinis laxioribus, ne ex ea causa facilè suscipiantur vitiosas fluxiones, à varijs corripiantur morbis. Antequam autem omnes clysteriorum differentias particulatim persequamur, quædam in vniuersum de hac retractemus. Primùm quòd clysteris nomen multiplex est, & aliquando instrumentum significat, interdum verò medicamentum. De vtrisque autem aliqua neque tamen ea multa dicemus. Vt in rationali medicina, cetera ferè

ferè omnia à ratione indicationū sunt deprompta, ita & quæ ad clysteres, vel pro instrumento vel pro medicamento sumantur, pertinēt. Nam figura & conformatio istius instrumēti à situ & figura particulæ, per quam in aluum iniicienda sunt medicamenta, vt quarto Meth. cap. vltimo docet Galen. desumpta est. Cum enim nec esse sit per rectum intestinum istiusmodi medicamēta iniici, oportuit hæc instrumenta quibus fieret hæc iniectio, illi particulæ fuisse accommodata, & quatenus ad materiam ex qua cōstant, & quatenus ad formam vel figuram pertinet. Vnde oportet vt instrumentum hoc fistulam habeat teretem, longitudine & crassitie accommodatam parti: adultis enim longior & crassior erit oportuna, pueris verò breuior & tenuior. Præterea verò vt ex materia duriori constet, vt vi possit adigi, neque cedat & flectatur dum imponitur, sit etiam expers cuiusque asperitatis, ne atterendo partem in quam infigitur, irritet eam & dolores concitet, præsertim verò in his quibus hæmorroides sunt molestæ. Vnde ab hac ratione docti, aut ex buxo faciunt has fistulas, aut ex ebore, aut ex metallo aliquo præsertim verò ex auricalco, aliqui ex argento, exterius autem deterfas & optimè leuigatas & lænes: imò & eo tempore quo eis sunt vsuri, aut oleo, aut butyro, aut pingui alia re, huiusmodi fistulas imbuūt, vt minorem afferāt molestiam. eam fistulam oportet

esse affixam, aut alligatam alicui altero instru-  
mento tantæ capacitatis, vt eam medicamenti  
copiam capere possit, quæ sit huic rei oportuna,  
& per quod ea materia impellatur, & cogatur in-  
trorsum in aluû inferri. Vnde duplex excogita-  
ta est materia conficiendi hæc instrumenta: alte-  
ra ex metallo vel ex ligno in figuram longam &  
teretem interius cauam, quasi crassam quandam  
fistulam formatam, similem illi instrumêto, quo  
vtuntur hi qui folles lusorias maiores inflant,  
in spiritu interius impellentes & adigentes qua-  
si symphone quodam, & in hoc clysterium mo-  
do, maior est vis impellendi in interiorê aluum  
materiam vel humorem contêtum in clysterio,  
& ad superiores partes. Et hoc inuentum mea  
sententia, nouum est, cuius non memini factam  
esse mentionem ab Antiquioribus medicis. Al-  
ter modus horum instrumentorum qui tritif-  
simus est & domesticus, & familiaris mulierib;  
præsertim verò in pueris, ex vno enim capite fi-  
stulam illam tenuiorem vesicæ alligant, quam  
accommodato humore, deinde quasi ventricu-  
lum implent, & adacta in anum fistula manu ex  
altero capite vesicam apprehédunt, & aduersus  
fistulam præmunt, quasi humorem in intestina  
per fistulam vi exprimentes. quidâ verò ex mol-  
liori corio conficiunt vtriculum figura & capa-  
citate vesicam imitantê. Fit & alio quodam mo-  
do hoc instrumentum ligneû. accipiunt lignum  
longum

longum, cubitali ferè longitudine aut paulò minus, & torno formât hoc pacto, vt superiori parte imitetur figuram & capacitatem vasis, quo vtimur in exponendis ferculis, vel grandioris calicis, totum autem concauum, vt quasi canale contineat vsque ad alterum caput, cui fistula affixa est, in quo nulla alia vis est qua impellatur humor, nisi grauitas superioris humoris, qui comprimendo cogit inferiorem vltius ferri, donec effluat in intestina. Qui autem ex vesica fiût clysteres, antiquis videntur fuisse in maiori vsu: eorum enim frequens est apud Galenum mentio. Et priores quidem magis procul ad superiores intestinorum partes adigunt medicamentum, quàm alteri: hi verò quàm tertij. Vt autem Galenus decimotertio Meth. testatur, rarò clysteres vltra crassiora intestina prouehuntur: interdum verò ait ipse, si plurimùm nitaris pertingit ad tenue intestinum, quamuis in aliquibus vsque in ventriculum, vt idem in tertio de Causis sympt. testatus est, ascenderint, id rum rarò fit. Sed de instrumentis hæc satis. De medicamentis inijciendis agamus. Clysteriorum multiplex est differentia. Vt enim dicit Galenus primo de Rat. Vic. in acut. com. 45. clysteriorum ratio à vétris affectu, & ab indicatione quæ ab illo depromitur accipienda est. Vnde pro vana ratione affectuum & indicationum, quæ ab ipsis affectib. oriuntur, etiam differentia variæ clysteriorum ex-

cogitatæ & inuentæ fuerūt. quod vt exquisitius & clarius exponamus, illud est repetendū quod paulò ante proposui: nempe quòd quæ per clysteres inijciuntur, plerumq; inferiorem aluum abluunt, aliquando tamen ad gracilius intestinum pertingunt, rarissimè verò ad ventriculum ascendere possunt. Quo fit vt præsertim & primū accommodata sint medicamēta curandis affectibus crassiorum intestinorum, deinde verò & aliarum partium, quæ vel ratione vicinitatis, vel alterius affinitatis cum intestinis consensum habent. At verò cum varij sint affectus intestinorum, quæ nobis commodum clysteriorum vsum & administrationem indicant, vel illorum quæ aliqua ratione cum intestinis cōsensum & connexionem habent, variz etiam sunt clysteriorum differētiz, quatenus ad vires eius humoris, & ad medicinalem materiā pertinet, ex qua conficiendus est humor per clysteres inijciendus. Nam copiam excrementorum, siue ea sint primæ cōcoctionis, siue secundæ, siue alio quouis modo in intestinis, vel alijs particulis ad intestina pertinentibus fuerint congesta, indicant vsum & iniectionem clysteriorū, nempe vt excrementis illis per vacationem detractis, ab omni molestia & affectu homo liberetur: præterea verò & flatus copiosus, vel in intestinis genitus, vel aliunde ad ea delatus, si distendens affligat, clysteres qui digerant & discutiant flatulentam materiam

materiam indicant. Dolores quoque interdum adeò vehementes, vt non tantum temporis permittant, vt causæ doloris remouendę incumbamus, indicat eam clysteriorum rationem, qua leniri & sedari dolor possit, vel de mulcendo cum his quæ verè anodina sunt, vel cum stuporem inducentibus & sensum sopientibus. Sed & vlcera quæ intestina occuparunt, certas quasdam clysteriorum differētias indicāt, cum nulla medicamenta in crassorum intestinorum affectib. melius & præstantius possint locum affectū attingere, quā quæ per clysteres iniiciuntur. Vnde si sordidū fuerit vlcus, requirer detergentiū clysteriorum naturam: si vlcus fuerit erodens, validè exiccantium: si mundum, consolidantium: si autem facta sint laxiora & imbecilliora, quam ob causam vitiosorum humorum fluxiones accipiant, roborantium & astringentium: præter id quod si inflammatione tententur, primū repellentibus opus est, mox digerentibus, vt de aliarum partium inflammationibus sæpe legendo disputauimus. Sed de illis potius sermonem instituamus, quæ euacuationis causa sunt iniicienda, accepto inde initio, quòd intestina cum ventriculo præter quam quòd continua sunt, habent etiam naturam non parum similem, siue rationem substantiæ spectemus, siue naturales facultates. Nam & ipsa non sunt expertia alicuius facultatis, qua possunt cibum concoquere, vt

○

si quæ sibi reliquæ super sint, quæ effugerint pri-  
 mam concoctionem in ventriculo, concoquan-  
 tur postea & perficiantur in intestinis, quod Ga-  
 lenus quarto de Vsu partium, cap. 17. exposuit.  
 Vnde & eorum medicamentorum, quæ inferius  
 iniecta vacuant, natura, non est admodum ab il-  
 lis diuersa, quæ superius per os assumpta corpus  
 purgare diximus, nec modò in vniuersum, ve-  
 rùm & particulatim. Vnde clysteriorum quibus  
 vt euacuemus vtinur, multiplex est natura, quæ  
 admodum esse multiplicem naturam medica-  
 mentorum diximus, quæ ebibita vel deuorata  
 purgant. Quædam enim abluendo solùm vacuât,  
 & quoquomodo leniendo intestina, alia deter-  
 gendo, alia attrahendo & soluendo purgant. In  
 hoc verò clysteres à medicamentis per os exhi-  
 bitis differunt, quòd clysteres astringendo & cõ-  
 primendo non possunt aluum ciere: nam quæ  
 comprimunt & astringunt, si inferius iniiciantur  
 astringendo inferiores partes, sistunt potius  
 fluentem aluum, quia astrictionibus factis, infe-  
 rioribus partibus inhibetur transitus excremen-  
 torum, quæ à superioribus deferuntur, quæ ve-  
 rò per os sumuntur, superiores partes astringen-  
 do & quasi comprimendo inferius contenta ex-  
 crementa descendere compellunt. Sed primò  
 quæ communia sunt exponamus, deinde parti-  
 culatim eorum rationem perfequemur. In vni-  
 uersum, ergo hæc sunt consideranda, nempe co-  
 pia

pia vel quantitas humoris iniiciendi per clysteres: deinde qualitas & natura materię, ex qua parantur clysteres: tertio hora vel tempus, quo aptius & salubrius sunt imponendi. Quatenus ad dosim vel copiam, non est eius certa mensura sed varia, pro ratione etatis & nature corporum. In adultis enim raro minus libra, aut plus sexquilibra paratur: & alij quidem facilius ferunt ingentes clysteres, alij vero vix mediocres. Unde in his plurima ratio nature habenda & tolerantie corporis cui imponendi sunt clysteres: quę si nobis ignota fuerint, prudens medicus primo mediocria tentabit. Pueri vero non ferunt multam copiam clysteris, vt in tenella etate sit satis semilibra, aut paulo plus. De qualitate autem & natura clysteriorum paulo post dicemus, quia ea multiplex & varia est, pro diuersa indicationum ratione. Dicamus prius aliqua de hora apta clysterijs imponendis. In vniuersum ergo dicimus, vt extat breuissima sententia scripta, nec inepte quidem, in eo libro, qui Medicus inscribitur, vel introductio, cuiuscunque auctoris fuerit: quod si respiciamus ad horam diei, tempus congruum ad imponendum clystere est ante cibum assumendum: ingesto enim cibo, non est inferior venter commouendus, ne cococtio turbetur, aut cogatur cibus incoctus e ventriculo descendere. In morbis qui periodos habent, tempore intermissionis clysteres sunt imponendi



in accessionibus enim, præsertim verò febrium, quo minus fieri potest, corpora medicamētis sūt mouenda, vt & Auicenna consuluit. Nam in vehementibus doloribus sæpe cogit necessitas in accessione vti clysteri, vel saltem tempore remissionis clysteres sunt imponendi ( loquimur de clysterijs quibus vtimur vt ventrem vacuemus) Sed si respiciamus ad generalia malorū tempora, multiplex eorum est vsus, pro ratione multiplicis naturæ clysteriorum, & multiplicis occasionis ea administrandi. Nam eorum quædam læuia & mollia, & his omnibus morborum temporibus vti possumus, si sit opus, alui lenitate, nimirum tam initio quàm incremento vel vigore: quia non agitant, neque conturbant crudos humores in venis contentos, neque eorum concoctioni sunt impedimento. Alia sunt quæ acria appellantur, & vehementiora sunt, quorum ratio variatur pro vana ratione scopi illis vtendi. Cum enim constent medicamentis quæ vim habent attrahendi à remotioribus etiam partibus, non est eorum vsus congruus, nisi post morbi concoctionem, & id si euacuâdi gratia primùm & præcipuè administrantur: quòd si reuellendi præsertim & primùm: nam vt reuulsoria, medicamenta laudauit Galenus secundo de Comp. medic. secundum loca, ex Archigenis sententia, & illis reuellēdi causa vsus est, & loco missionis sanguinis, quinto Meth. cū Romanam matronā curauit,

curauit, quæ sanguinem ex salsa destillatione expuerat. Eorum tempus oportunū & accommodatum illud idem est, quod & reliquorum auxiliorum, quæ vim reuellēdi habent: nempe principium morbi: reuellentia enim remedia principijs commoda sunt, sicut declinantia inueterascentibus morbis: vt tamen de clysteribus hæc intelligenda sint, quæ in eo sunt genere, quæ inter vacuatoria auxilia, à Galeno tertio de Arte medicinali recensentur. Agamus modo de qualitate clysteriorum, & eorum differētijs acceptis à natura & qualitate materiæ, ex quibus fiunt clysteres. Primæ autem eorum clysteriorum, quæ ciendo aluo idonea sunt, differentiæ, ac magis generales sunt hæc. quòd clysteres quidam læues lenesque sunt, qui molles dicuntur à Galeno quarto de Rat. vic. in ac. & primo ad Glauconem, & alibi sæpe. Alij verò fortes sunt, qui longè maiorem vim vacuandi habēt: & hi acres clysteres ab eodem vbique nuncupantur. Particulatim verò vtriusq; generis plurimæ sunt differentiæ & ordines, pro ratione qua alter altero in suo genere aut mollior est aut acrior. Sed primùm de molli clysteriorum genere agamus, tanquam de simplici & faciliore, & quod frequentius soleat in vsum, & quocumque tempore venire. Primùm ergo locum inter molles clysteres, habet qui ex oleo communi vel simplici fit ex parte salis & astrictionis, cuius meminit Galen.

12. Meth. & quarto de Ratione vic. in ac. morbis. qui quidem clysteris modus vtilis est, præsertim vbi aluus astricta plurimum sit & sicca, atque referta auido & duro stercore: mollit enim fæces, lenit aluum, atq; eam lubricatam relinquit. Præterea verò vbi aliqua est acrimonia humorum vellicantium & mordentium intestina, lenit & obtendit eorum acrimoniam. copiam autem olei voluit esse Hæminam, quæ continet circiter uncias nouem. Insuper addit Galenus vt ibidem legere est, vt magis anodinū faciat, adipem anserinum aut gallinaceum. Est verò præcipuus eorum vsus in doloribus ventris, præsertim ex acrimonia humorum, sicuti quando flatulentus dolor est ex pituitoso humore excitatus, coquuntur autem ruta, aut femina in quibus est vis discutendi flatus. Proximum huic, quatenus ad mollis clysteris rationem pertinet, est id quod fit ex iure pingui, vt est ius decoctorum intestinorum bubulorum vel vitulinorum, quæ quoti die venalia in cibum veniant, in quibus in ventris torminibus etiam adeps aliquis dissoluitur, aut veruecis, aut hirci, aut huiusmodi. Neq; alienus ab hoc ordine censendus est clyster, qui fit ex lacte: in quo sæpe & butyrum dissolunt: qui quidem etiam maximè cõgruens & ipse est in doloribus & torminibus comitatis ab acriflu xione ad intestina: sed & in pueris qui à vermibus cruciantur. Lac enim & butyrum cibus est à vermibus

mibus petitus, sicut dulcia omnia. Vnde in inferiora intestina iniectum allicit ad se vermes, interdum ascendentes ad ventriculum & plurimū negocij facessentes, qui sepe deinde dum clyster reijcitur lacti, quod sequuntur immixti & ipsi educuntur. Idem ferè præstat ius pingue, in quo sit butyrum dissolutum addito saccaro, vt si semi libræ iuris, sexquiuncia butyri, & vncia saccari imponatur. Sed neque hoc prætermittendum, quod etiam mulierculis notum est, quod sicuti vermes lac & butyrum & pingua, dummodo salis sint expertia, maximè sequuntur, ita olea omnia & sal fugiunt tanquam maximè aduersarium, à quo etiam interficiuntur. Ideo oleum sepe pueros vermibus laborantes lædit, si per clysterem supponatur: refugiunt enim ab his ad superiores partes sicuti lac & butyrum sequuntur. Vnde mulieres quæ puerorum gubernadorum peritæ sunt, oleo, præsertim verò omphacino, cibos condiunt, ab eo autem per clysteres supponendo cauent maximè, sicuti etiam à sale abstinent, & loco eius copiosius saccarum indūr. abstergendo enim causa est cur citius reddātur clysteres. Sed & ad eundem ordinem pertinent clysteres ex ptisana hordeacea parati: leniunt enim asperitatem & acrimoniam acrium excrementorum, & præterea modicè detergunt & refrigerant: & tandem sunt epicrasticæ facultatis. Aliquam vim maiorem habebant clysteres qui crāt

Antiquis in vsu frequēti, præsertim verò in an-  
cutis morbis calidisque, & eorum meminit Ga-  
lenus secundo & octauo Meth. constant autem  
ex mulsæ & oleo, vt:

Recipe Mulsæ, ℥. 10.

Olei, ℥. ij.

His autem aliquid salis ℞. Meth. aut nitri, aut  
phronitri addito: clysterem reddunt aliquanto  
acriorem, sicuti si vna vel dragma salis addatur:  
nam hoc in vsu est nostris his temporibus, cum  
ferè nitro careamus, præter id quod arte confici-  
tur ad bellica instrumenta. Sed nunc sunt in ma-  
iori vsu clysteres, quos multi communes appel-  
lant, cōfecti ex iure alicuius carnis ad decem vel  
duodecim vncias, & vncijs duabus vel paulò  
plus olei, vna autem saccari impurius, quod ru-  
beum vel crassum appellant. In eo enim maior  
est detergendi vis, quàm in illo albiori, & per  
plures decoctiones magis purgato: maior etiam  
in illo quasi saccari excremento, quod vulgo hic  
melatium, iuniores melcane appellant. Verùm  
hoc nisi parumper in iure vel decocto, de quo  
paulo post dicemus coquatur, conuersum in fla-  
tu dolores ventris ciet. Saccarum inquam acci-  
piunt ad vnciam vel sexquiunciam, addunt de-  
inde salis quantum nuper diximus. Sal autem  
præter id quod est in eo ius incidendi & deter-  
gendi, attenuandique viscidos & pituitosos hu-  
mores in intestinis, stimulat etiam expultricem  
facultatem

facultatem ad expellendum clystere, ne dum nimis continetur, magis conturbet & molestat. Aliquantisper autem vim maiorem habet: qui etiam in vsu frequenti est nostris medicis, & mulierculis notissimus clyster, confectus ex decocto maluę, betę, & violarię, accepto singulorum manipulo, & simul illis decoctis, additis deinde decocto, oleo, saccharo, & sale, vt nuper diximus: aliquando verò addunt etiam manipulum mercurialis, & sic fit clyster valentior: nam mercurialis iam vim aliquam medicamentoſam habet, vt quę etiam comesta possit purgare, sicuti malua mollit. Folia violarię leniunt, & refrigerant. Beta verò quia nitrosas quasdam partes habet, incidere & detergere potest. sed interdum aliquod eorum medicamentorum vel simplicium vel compositorum, de quibus supra loquuti sumus, adiungimus, vt liberalior sequatur vacuatio eorum quę in inferiori aluo congesta sunt: & pro ratione additi medicamenti variatur vis & natura clysteris: quia si addatur aliquod medicamentum leniens, non propterea clyster reducetur extra ordinem lenium & mollium clysteriorum. Solemus plærumque aut cassiæ Aegyptiæ liquorem, aut electuarium lenitiuum, à semiücia vsq; ad vnciam addere, & mel rosaceum, vt paulò ante diximus, ad vncias duas pro saccharo. Apothecarij tamen quoddam medicamentum compositum habent, & confectum seruant

## 218 DE COMP. MEDIC.

ad vsum clysterium, & cassiam tractam vel cassiam pro clystere, vulgò dicunt. Conficiunt autem hoc modo:

Accipiunt prunorum viridium, lib. 4.

Tamarindorum, duas.

Passularum, sex vncias.

Violarum, duas,

Capillorum Veneris,

Betz,

Maluæ,

Mercurialis, sing. manip. 2. & s.

Hordei, libram:

Quæ omnia in libris sexdecim aquæ, ad medietatem coquenda sunt, ac mox fiat omnium proba contritio, & hoc decocto ex arte parato dissoluantur cassiæ extractæ ex fistulis lib. sex, mellis, lib. duodecim, atque ad mellis crassitudinem coquantur. Interdum ergo vnciam, interdum plus minusve clysteri addunt, interdum verò simplicem liquorem cassiæ clysteri addunt, sequiturq; liberalior euacuatio: neque tamen adhuc clysteres hi excedunt limites molliumvel lenium clysterium, quibus vti facile possumus in febribus & reliquis etiam morbis.

Alter ordo est, qui clysteres aciores vel vt Iuniores loquuntur, acuti clysteres appellantur, quiq; ex acrioribus & propriè purgantib. medicamentis conficiuntur decoctis, vel immistis. Decoquantur autem plerunq; simplicia medica  
menta

menta, immiscentur verò composita: neq; enim composita vltiorem requirūt cocturam, cum satis coquantur, dum conficiūtur. Simplicia autem medicamēta ex quibus decocta ad acriores clysteres deduci solent, hæc ferè sunt (de his autem loquimur quæ vim purgandi habent, non de his quæ calefaciendi vel refrigerandi, attenuandi, flatus discutiendi, & alia huiusmodi faciendi: nimirum colocintis, agaricum, semen cnici, vel vt arabes dicunt, cartami quoquo modo tritū, cī clamini radix (arthania in libris Arabū dicitur) centaorium minus, hyfopus interdum, & polypodium. Composita verò quæ solent immisceri clysteribus, cum eos acutiores reddere volumus in primis vsitatissimum est hyera, quam præcipuè picram apothecarij appellant, alij verò hyeram pro clysteri: quia rarò venit in vsum nostris huiusce temporibus præterquam in clysteribus, quamuis alicubi fiant pilulæ, addito melle quantum sufficit ad assumendos pulueres: aliquando verò nuncupatur hyera ex sexdecim rebus: ex sexdecim enim simplicib. præter aloem constat, in quibus est colocintis, epythimum agaricum & turbith: & describitur à Nicolao vbi de hyeris agit. Sed etiam aliquando vtuntur medici diaphinicon, & indo vocato electuario: interdum verò & Benedicta Nicolai, præsertim in mulieribus affectibus & articularibus doloribus, & eo quod à Mesue Elefcoph dicitur, ab Auicen-



na verò Episcopi. Hoc autem quantum ad hæc omnia medicamenta pertinet, aduertendum, quòd plerunque non vtitur acrioribus clysteribus ratione vacuationis, nisi in affectibus qui fouentur à crassis & frigidis humoribus, & ad educationem difficilioribus, sicuti sunt pituitosi, & melancholici, rarò verò in calidioribus & tenuibus, nisi aliquando reuellendi gratia, vt in lipitudine oculorum, & capitis doloribus. Galen. verò & in destillatione falsa. Vnde pleraque hæc composita quibus in clysterijs acriorib. vtitur, purgant pituitosos humores, aliquid etiam melancholici. Sed & possunt biliosos reuellere, & tenues, quia rara sunt simplicia purgatoria, quæ etiam bilem cum alijs non purgent. Sed vt magis particulatim agamus de vsu clysteriorum, præsertim verò acrium, sicut eorum non est vna ratio, quantum ad acrimoniam pertinet, ita neq; temerè & indefinitè eis oportet vti. Verùm in his sicut in omnibus alijs, quæ vim habent purgandi, primùm quidem morbus respiciendus est, & pro eius magnitudine & difficultate acriores & vehementiores clysteres eligendi sunt, aut molliores & faciliores. Deinde ad tempus anni, vt paulò antè insinuauimus, nec minus etiã vt primo de Rat. vic. in m. ac. docuit Galenus & Hippocrates, spectandæ sunt vires & ætas: nam vires imbecilles vix perferre possunt clysteres molles, nedum acres & vehementiores. sed & pueri  
non

non ferunt vehementiores clysteres, sicuti neque ullum aliud vehementius fortiusue remedium. Pro horum ergo ratione, clysteriorum vim metiri oportet. Exacuimus verò clysteres, si prioribus quos lenes & molles appellauimus, nempe verbi gratia, ut si exemplis agendum sit, accepta lib. decocti ex malua, beta, mercuriali, aut alicuius alterius decocti, cuius fuit supra facta mentio, & illi dragmæ duæ addantur salis communis, horum verò compositorum medicamentorum quos nuper diximus semiuncia, ut hyeræ illius, quam Nicolaus magnam dicit, aut diafinicon, aut huiusmodi, quod magis medico opportunum videbitur: nam si præter euacuationem desideraret etiam flatus discussionem, hyerá eliget, aut diaphinicon, & tandem, ne tempus conteramus, consideratis facultatibus horum medicamentorum, & illis cum natura morbi collatis, id eliget, quod magis accommodatum iudicabit, & aliquando vnum ex his quinque, duo vel plura, & singulorum ad summum semiunciam, rarò autem vnciam vel sexquiunciam excedimus, omnibus simul compositis: postremò verò mellis rosacei duas vel tres vncias. Quia verò mulieres solent clysteribus omnibus vnum vel alterum oui luteum immiscere, de hoc etiam aliqua dicemus. Ideo sanè illa imponunt, quia asperitatibus intestinorum, quæ acrimoniâ tum humorum, tum medicamentorum sequi solent, sunt remedio,

cùm mitigatoriam emplasticamque facultatem habent, leniantque. Adhuc autem clysteres acriores fiunt, si decocta ex quibus conficiuntur, fuerint magis medicamentoſa, utpote quæ ſiant ex his ſimplicibus, quæ vim inſignem purgandi habent, qualia ea ſunt quorum nuper meminimus, ut cnici ſemen, agaricum & turbith: vehementiora his ſunt centaureum minus, ciclamini radix, ariſtolochia, colochintis, quorum tantum erit imponendum, ut vis eorum poſſit præacrimonia perferri. ut exempli gratia, colochintis dragma, vel ſexquidragma, agarici autem, turbith, vel cnici ſemuncia, & plus etiam. eodem etiam pacto centaurij, aut artanitz: quibus deinde additis beta, malua, mercuriali, fit decoctum, cuius quantum ſatis eſt accipimus: illisque additis melle, vel roſaceo melle, oleoq; & ſale, prætereaque oui vitello, clyſterem facimus. Sed interdum ut valentior euadat adijcimus vnciam vel plus compoſitorum medicamentorum, quorum paulò ante facta mentio eſt: aliquando quidem vnius, interdum verò plurium. Solent autem medici ſæpius ſoluētibus & acrioribus medicamentis aliqua immiſcere lenientia. eſt enim quidam peritorum medicorum cōſenſus, quòd lenientia acrioribus mixta, faciliorem & feliciorum eorum operationem reddant. Vnde caſiæ vel ſimplicis vel compoſitz, quam vulgo pro clyſteri appellant, vnciam, vel ſemunciam, ſemunciaz

ciz vel vnciz acrium illorum medicamentorum  
 clysteribus iniici solent. Et si horum exempla  
 habere cupimus, ea à Rasi nono ad Almans. & à  
 Mesue petemus capite de curatione Letargij.  
 Hoc verò illis quoque quæ dicta sunt addemus,  
 quòd clysteres huiusmodi euacuant & reuellūt,  
 & quamuis non ferantur vltra intestina crassio-  
 ra, vel parum vltra, attamen vacuatio tandem in  
 vniuersum corpus pertingit, & à remotissimis  
 partibus reuellunt, vt sunt articuli & caput. Fiūt  
 etiam, vt diximus, clysteres sæpe, non ita vacuā-  
 di aut reuellendi gratia, sicuti ob alios scopos à  
 natura morbi vel symptomatum medicis propo-  
 sitos. In doloribus enim ex flatu fiunt clysteres  
 ex medicamentis quæ extenuant, & flatus discu-  
 tiunt: quemadmodum si accipiamus camemel-  
 lum, anethum, absynthium, his autem sunt sal-  
 uia, pulegium, calamētum, abrotanum, marrhu-  
 bium, artemisia & matricaria, præsertim verò in  
 affectibus vterinis ex suppressis mensibus: præ-  
 terea etiam semina anisi, foeniculi, cari, amij. Ex  
 his ergo fiunt decocta ad clysteres ad attenuan-  
 dos & discutiendos flatus, quibus & olea eodem  
 spectantia addi solent: vt oleum ex amigdalibus a-  
 maris, camemelinum, anethinum, absynthium,  
 nardinum, ruthaceum, & huiusmodi. Fiunt etiā  
 interdum clysteres ex vtraque facultate mixti,  
 nempe purgatoria & discussoria: quemadmo dū  
 si factò decocto ex illis quæ modo fuere exposi-

ta, illi addamus vel hyeram, vel diaphinicon, vel electuarium indum, vel benedictum, vel huiusmodi. Potest etiam & decoctum esse perinde mixtum facultatib. vt si capimus maluam, betam, mercurialem, anethum, camemelū, semen cnicī, agaricum, & decocto ex his parato, addamus cassiam aut hyeram, aut huiusmodi. In alui autem profluuijs, præsertim verò in disenteria, fiūt alia clysteriorum genera: aliquando enim quæ acrimoniam erodentium humorum obtundant, doloresque sedent, quæque intestina emplasticis obliniant, defendantque intestina ab abrasione, quibus postea succedunt quæ detergant, si putemus vlcera esse iam facta & ea sordida, vel si sint detergenda & abluenda intestina: & ita detrahendos humores acres qui vellicant. Postremus locus illis est qui consolidant & roborant. Primorum natura hæc est, oleum simplex cum adipe gallinaceo vel anserino, cuius clysteris superius mētio facta est: præterea ius pingue, præcipuè intestinorum bouis, vel vituli, vel capitis veruecis: acceptis nēpe nouem vel decem vncijs ex aliquo horum iurium, cui addatur adipis hyrci, aut renum capræ vnciam, tres verò vncias olei rosacei, vnciam verò sacchari rosati dissoluti ex iure, & probè colati, & torum ouum, nempe tam album quàm luteum vnum vel alterum: ex his omnibus mixtis paramus clysterem. Sed aliquando lac accipimus quantum sit fatis, & in illo

illo dissoluimus butyrum ad vnciam, aut etiam plus: quib. ouum addimus & clysteri injicimus. At si suppressendus esset sanguis effluens ex intestinis, vnam vel alteram dragmam boli armeni, vel lapidis hermatitis apponeremus. Deteriorij autem clysteres fiunt ex aqua decoctoũe hordei, addita sex quinciam saccari, vel mellis rosacei vel, vt solebant antiqui, ex colata ptisana, vel hordei cremore. Fieri clysteres possunt, a additis saccharo vel melle rosaceo, citra tamen sal, nisi quando viderentur vlcera iam facta plurimum putrida: tunc enim docuere antiqui acribus clysteribus esse opus: nam & muria & aqua salsa, & trociscis Andronis, & id genus alijs, vt ipsi ad arsenicum vsque progredierentur. Nos tamen hoc tempore raro hæc aggredi audemus. Vbi verò opus est consolidatione, his agendum erit quæ desiccant. & astringunt. Vnde decoctum lentium cortice detracto, & prima aqua abiecta, decoctum etiam risi vel orizæ, ita & decoctum brassicæ abiecto primo iure in quo vniuersæ nitrosæ partes transfusæ sunt, & accepto secundo in quo brassica fuerit exactè cocta: silit enim aluum secundum ius & siccando consolidat, quibus addendus postea est adeps hyrcinus: is enim præ alijs siccat: item succus plantaginis, vel polygoni ad vncias duas vel tres: sed & bolus armena, & lapis hematites. Sed & magis astringentia in hos vsus fieri possunt, decocta ex aridis rosis, malicorio, cytinis,

interdum & gallis, alijsque præterea istius naturæ rebus, quibus addi solent olea, vt mastichinū rosaceum, omphacinum, vel ex malo cotoneo, quod melinum appellant Græci, iuxta modum & dosim paulò ante descriptam. & quantum ad clysteres pertinet hæc sunt satis.

*De glandibus, uel suppositorijs dictis.*

Caput XXI.

**Q**Uas Græci Balanos, Latini Glandes appellant, deducto nomine à figura oblonga, qua glandem imitatur: est enim longioris & teretis figuræ, perinde ferè vt quercina glans, & eiusdem etiam crassitudinis. Iuniores medici suppositoria appellant, quia sedi supponantur. Horum ergo, vt est etiam clysteriorum, diuersa sunt genera. Nam & molles sunt & acres. Mollissimæ omnium & faciliores sunt, quæ sũt ex sepo, præsertim hircino, interdum & bubulo. hæc enim cum concresecunt, magis indurantur: fiunt autem citra sal. & quamuis anteaquam liquecant, & dissoluantur, alium quoquo modo stimulando cieant, cum liquefiunt postea molliunt & dolorem sedant. Vnde aptiores sunt his qui duras & dolentes hæmorroidas habent, quiq̃ in ano fissuras habent: quia in eo est vis aliqua digerendi & consolidandi, cum alijs vel adipibus multis maiorem habent siccitatem. Sepe

pe etiam cum vsus glandib. ex butyro cōfectis, præsertim verò hyeme: concretum enim butyrum magis ex frigore indurefcit, vt in glandes incisum conformari possit vt sepum. Sed æstate etiam id fieri potest, si in aqua frigida id fiat: vsus autem his sum in his, qui tumentes & dolentes, & quasi inflammatas habebant mariscas, præsertim internas, nec illis parum profuit: nam molliet & digerit, & dolorem lenit. Quædam etiam mulieres conficiunt glandes ex assungia porcina, sed si accipiatur salita, non est expers alicuius acrimonie. Vnde magis quidē stimulat aluum, non ita autem molliet & dolorem sedat. Ex adipe autem confectæ glandes vtilis præterea sunt illis, in quibus vermes in vltimo intestino propè anum gignuntur, qui ascarides dicuntur. Cum enim rebus pinguib. delectentur, his glandib. à sepo illectis infiguntur, & cum eis exeunt. Familiarissimæ verò & leuissimæ glâdes sunt, quæ à mulierib. puerulis imponuntur. Fiunt autem ex melle cocto ad crassitudinem & spissationem aptam, vt ex ea fiant glandes: quæ si citra sal fiant leuissimæ & facillimæ sunt, quia tamen nihil interdum faciunt, si astrictior sit aluus, ideo sal tenuissimè tritum addunt quantum illis satis visum fuerit, & aliquam ita acrimoniam consequuntur. Interdum verò & sterces muris addunt quod & ipsum non parum est acre: vnde & magis irritat intestinorum facultatem expultricem



imò vtuntur aliquando pro glande stercore hoc ita integro, quod vidi aliquando mouisse plus quàm voluissent. Aciores autem glandes interdum fiunt ex re facili paratu: accipiunt enim saponem quo detergantur dum lauatur vestes, & eius frustum in formam glandis adducunt, recisis circum circa partibus, atque ita imponunt. Sæpius verò rem hanc apothecarijs mandant, vt fiat decocto melle, & post illis additis pulueribus hyeræ magnæ vocatæ à Nicolao, in hunc modum:

Recipe pulueris hyeræ picræ, dragmam.

Salis gemmæ,

(hoc enim acrius & vehementius est) dragmæ dimidium,

Mellis, q. s. vt fiant glandes vel suppositoria duo. Istiusmodi glandibus vtimur in morbis capitis, interdum ventriculi & aliarum partium superiorum, cum reuellendum potenter est, atque cum ægroti in nimium somnum proni sunt, vt euigilentur, sicuti in febribus tertianis, nothis, & quotidianis, in lethar-

go, sopore, & id genus alijs.

De

De Vomitorijs medicamentis,  
Cap. XXII. & ult.

**V** hoc primo libro omnia medicamenta complectamur, quæ purgando per superiora vel inferiora aluum cient & corpus vacuant, antequam ad alia transeamus medicamentorum genera, de vomitorijs etiam agamus quantum ad prius institutum satis esse potest. Et quia non exercitatis hæc scribimus, sed illis qui nuper se medicinæ faciendæ tradendi sunt, quique aliquod rudimentum in hac re requirunt: ideo non multa dicemus de illis vomitorijs medicamentis: quæ licet antiquis illis & absolutissimis medicis in frequētiss. fuerint vsu ad curandos diuturnos & difficiles affectus, nostris tamē temporibus & ante hæc etiam ab omnibus ferè dimissa sunt: qui ab Arabum maledictis a deo de territi fuere, vt eorum vsu omnino fugiant. Loquimur autem nunc de elleborismo à Græcis appellato, hoc est, de purgatione per vomitum excitato ex veratro albo. Neque hoc tamen cum Arabibus authoribus sentio, qui hoc referunt in naturam nostrorum hominum, id est, qui nostris his temporibus oriuntur & viuunt: quæ a deo sit reddita imbecillitas, vt non possit hoc medicamentum perferre. hæc enim fabulam esse puto, & anilem quidem. Cum enim cætera medicamenta perferuntur à nostris hominibus sicut

& à priscis illis ferebantur, non video cur & hoc non possint ferre. Sed potius ex timore medicamentorum hoc puto accidisse, quàm ab imperitia ortum habuisse, cum non crederent se posse moderari vim & operationem istius medicamenti, sicuti eam moderabantur antiqui: verùm neque is sum qui velim Iunioribus & incipientibus medicis consulere, vt tirocinijs suis sint primi, qui medicamentum hoc introducant in vsum, ne fortè si res felicem successum non sortiretur, statim à principio suæ professionis malum nomen sibi compararèt. Vnde nos dimisso illo medicamento de facilioribus & familiarioribus sermo nem habebimus. Quia verò vomitus propriè ea excremèta prima vacuat, quæ in ventriculo sunt congesta, siue in eo fuerint genita, siue aliunde ad ventriculum cõfluxerint, ideo per vomitum non modò ventris, sed totum etiam corpus vacuari potest: nec modò vacuandi vim habet, sed etiam reuellendi, reuellit autem præsertim ab infernis partibus. Vnde in coxendicis & podagricis doloribus, præterea renum, vesicæ, & vteri, & intestinorum affectibus, reuulsoriũ & præsentaneum remedium est vomitus. In superiorũ autem partium, sicuti pectoris & capitis, nõ ita est commodum: nam caput repletur ex vomitu nec non & oculi. Sed & illud priuilegium vomitus habet, quod cùm in iniurijs accessionum in febribus putridis, atque etiam in ipsa accessione omnes

omnes alię ferè vacuationes nocuę sint, solus vomitus utilis est, & spontaneus, & ab arte excitatus. Cum autem duplex sit ostium, quo vacuari possunt quę in ventriculo continētur, alterum superius, & id os appellatur, quę per hoc ostium reijciēda sunt vomitu reijciuntur: per inferius autem quod ianitor vel portinarium dicitur, quę per inferiorem aluum sunt purganda deijciuntur, atque in his quibus validum est os ventriculi, difficilis est vomitus, sicut facilis in illis, in quibus est laxum & imbecille. Contrà verò si infernum ostiolum aut imbecillum aut validum fuerit. Sed & ratione humorum fit, vt facilius vel difficilior fiat vomitus: tenues enim humores, qui præterea & leues sunt, cum facilius ascendant ad ventriculum, vt serosi aquosique: præterea verò & biliosi, facilius vomitu purgantur: crassi verò, vt pituitosi & melancholici, facilius per secessum: ex quo fit vt non sit simplex ratio eorum medicamentorum, quę vim habent vomitū ciendi. Alia enim laxant & molle reddunt os ventriculi, & id ad vomitum pronum reddūt. Alia verò humores aptos reddunt, vt per os reijciantur, sicuti quę eos attenuāt, detergunt & incidunt: quędam etiam ad ventriculum attrahentia excrementa, ea ad superiorem partem mouent, sicuti sunt quę propriè medicamēta vomitoria dicūtur. Sed rem hanc tandē particulatim tractemus. Vomitū primo modo

mouent, quæcunque pingui & oleaginea substantia constant. Sed & tepida ventriculum in vomitum facilem & propensum reddunt. Varij quoque cibi, & diuersæ naturæ, in copia comesti, & multus vini dulcis potus nauseabundum reddit ventriculum. Altero autem modo, id est, parando humores vt facile euomi possint: vomendi in causa sunt, quæcunque secandi & attenuandi vim habent: familiarissimè verò vtimur præsertim in febricitantibus vomitiuis: postea tepida, id est aqua cui parum aceti fuerit immixtum: oximel quoque simplex ad duas vel tres vncias bibendum dandum ex aqua tepida. Post quæ nisi sponte succedat vomitus, iuuare illum oportet intromisso digito, vel penna in fauces: quòd si penna vel fauces fuerint ex oleo delibutæ prius, facilius succedet vomitus. Tertio verò modo ciere vomitus potest raphanum seu radice, concisa in tenues particulas & comesta oximelite, & familiaris facilisque vomitus est, qui ex hoc medicamento cietur. Antiqui vtiebantur bulbo, quem vomitorium appellabant, quia concitat vomitum, tanquam facili vomitorio, quem coctum prius ex aqua oximelite condiebant, vt in lib. de Fac. parab. in fine testatur Gal. ac mox comedebant. Nostris verò temporib. mulierculæ & multi vulgares vomitu purgaturi ventriculum, atq; adeò etiam corpus vniuersum, vtuntur floribus genistæ, & exhibent circiter dragmas

duas,

duas, & aliquando etiam plus, & succedit postea copiosa per vomitum, & interdum etiam per secessum euacuatio excrementorum diuersorum colorum & diuersorum saporum. dicunt eos fuisse fascinosos. Neque hoc fuit cognitum antiquis medicis, flores geniste, & surculos, & semina vim purgatoriam habere per vomitum: nam Galen. dixit semina & surculos strenue attrahere. Dioscorides vero ait, quod flores & semina geniste, si rusa ex mulla bibantur, purgant per superiora sine periculo, perinde ut veratrum. Semen vero per inferiora purgare dicit. Et reuera, flores hoc nostro tempore comesti & per superiora & per inferiora etiam purgant. Galenus vero in radice melonum & melopeponum vim ait esse ciendi vomitum. Sed de his credo dictum esse satis. Vnum hoc addo, quod ad distinctionem eorum quae paulo ante dicta sunt facere potest, Nimirum quod si propterea volumus vomitum ciere, ut acres humores & calidos vellicantes os ventriculi educamus, ut saepe necessarium est in febribus biliosis: Hydroleum, hoc est aqua & oleum id praestantissime faciet, ut Galenus in primo ad Glauconem docuit. Nam praeter id quod vomitum ciere, obtundit etiam acrimoniam eorum, & aluo lenita, causa est cur & eorum pars quae non ita facile per vomitum poterat educi, per secessum defluat. Vbi vero crassi & lenti succi sunt vomendi, ut in tertianis, nothis, ac quotidianis, & saepe

etiã in quartanis, aptius medicamentum erit ex  
 posca vel oximelite, vel etiã ex syrupo acetoso.  
 Sed & hoc addamus quòd ventriculus facilius  
 post cibum concitatur in vomitum, quàm ieu-  
 nus. Cùm verò cibum damus vt euomant, præ-  
 ter id quod oportet cibos esse diuersos, præstabit  
 etiam vt in his sint quæ secant & attenuant, vt  
 sunt salita.

Plura quidem in præsentia à nobis consulto  
 sunt ommissa, cùm de purgationib. medicamen-  
 tis tum de clysterib. & glandibus, & quæ etiam  
 diximus, latius & vberius declarari poterant:  
 sed quia, vt sæpe dixi, tyronibus hæc scribimus,  
 ea tantùm in præsentia afferre voluimus, quæ ad  
 breuem & compediariam institutionem eorum  
 & isagogen tantùm facerent. quòd & in  
 sequenti etiam libro ser-  
 uabimus.

*Finis primi libri, De medicamentorum usu  
 & Compositione.*

EXCEL.

EXCELLENTISSIMI  
 MEDICI D. VICTORIS  
 Trincauelæ, De Compositione  
 & vsu medicamentorum.  
 Liber II.

*De Continuatione dictorum cum dicendis, & de Con-  
 coctione & maturacione aliqua.*

CAPVT I.



Quamuis si ad scopū medici, qui mor-  
 bos eos est curaturus, in quibus o-  
 pus est purgatione, respeximus,  
 prior videatur esse tractatio, quam  
 priori libro perferutati sumus, si tamē rationem  
 spectemus, qua medicamenta in opus & vsum  
 deducuntur, longè priora esse ea sunt censenda,  
 de quibus hīc loquuturi sumus. Rarò enim me-  
 dici, imò rarissimè ab initio morbi, verè purga-  
 torijs medicamentis vti solent: duntaxat enīq;  
 in morbis turgentibus, plerunq; autem post ali-  
 qua quæ ad lenienda aluum faciunt, ab illis me-  
 dicamentis curatione inchoamus, quæ tum cor-  
 pus, tum verò humores vacuādōs, ad faciliorem  
 purgationem parant: & hi quidem dum cogun-  
 tur, & corpus dum humidum fit, ad facilem va-



cuationem paratur. hoc enim Hippocrates par-  
 tim primo, partim secundo Aph. Aph. 22. nobis  
 insinuare visus est: nempe concocta medicari o-  
 portet non cruda, neque in principio. Item cor-  
 pora si quis purgare voluerit, oportet ea prius  
 fluida facere, quæ maxima ex parte vi & ope me-  
 dicamentorū moliri solemus. De huiusmodi er-  
 go medicamentis, nobis in præsentia restat agen-  
 dum. Et licet non solū ea corpus vacuent, quæ  
 aluum inferiorem, superioremve cient, sed præ-  
 terea & ea quæ vrinas sudoresque, item & quæ  
 digerunt, & per eam euacuationē inaniunt, quæ  
 inconspicua est, & sensus latet: tamen magna  
 inter illa medicamenta, de quibus supra egimus  
 in ratione vacuationis, & hæc quæ per lotia su-  
 doresque, & tandem per digestionem in halitus  
 vacuant, intercedit differentia: quia illa quadam  
 proprietate, quæ formam eorum propriam se-  
 quitur sua natura prædita sint, & quam non pos-  
 sumus in primas qualitates quoquomodo refer-  
 re, vnde non modò vim habent vacuandi, sed e-  
 ligendi etiam certum humorem & definitum,  
 quem attrahant vacuentque. Quæ autem sudo-  
 res & vrinas prolestant, ea aut per suas qualita-  
 tes & propter intemperantiam propriam id a-  
 gunt, aut modo suæ substatiæ, qualitatis scilicet,  
 aut tenuiorum aut crassiorum sunt partiū. quæ  
 omnia ex Galeno quinto de Simpl. med. fac. in  
 temperiem & partium naturam referri possunt:

non autem in aliquam propriam facultatem, qua hunc humorem magis quam illum euacuent: nam calefaciendo, attenuando, siccandoque agunt quicquid agunt. Quo fit, ut deinde illis eisdem non minus ad parandos humores, & corpus ad faciliorem purgationem utamur, præsertim verò si illi læti & crassi fuerint, & corpus obstructionibus fuerit occupatum. Sed redeamus unde diuertimus: ut ergo euacuati feliciter ac facilliter succedat, opus est concoctione, maturatio-  
ne eorum excrementorum, quæ per medicamenta euacuanda sunt: nam Hippocrates & Galenus apparatus materię purgandæ tum maturatione tum cōcoctione appellare solent. Præterea verò opus est ut corpus fluidum fiat. Sed de his paulò etiam longius agamus.

Est hoc in primis considerandum, ut quæ dicenda sunt, de eorum medicamentorum ratione, quibus ad maturandos aut concoquendos humores detrahendos exquisitius percipiantur, quòd concoctio nihil aliud est, nisi transmutatio, quæ fit à nativo calore, in materia quæ concoquitur. hoc enim Arist. secundo de Anima. & quarto Meteor. Hoc item Gal. secundo & tertio de Naturalib. fac. cap. quarto & septimo aperte dicit. Primum enim & præcipuum cōcoquens, est calor natiuus. At verò sicut non eadem est ratio & natura rei quæ concoquitur, ita neque eadem est concoctionis ratio & modus. Cume

nim omne quod transmutat aliquam rem, ideo illam transmutet, vt in substantiam sui similem conuertat: ea verò & absoluta concoctio censenda est, in quâ id quod concoquitur, in similitudinem cōcoquentis conuertitur, id autē quod eo modo conuertitur, quandam habet suapte natura, vt dicit Galenus secundo lib. com. 45. in primum Epid. cum re coquēte familiaritatem. Vnde quo maior erit familiaritas, inter partem cōcoquentem & rem cōcoquendam, eo & plures partes & melius in substantiam rei concoquentis transmutatæ cedunt: nunquam tamen tanta est inter hæc duo affinitas naturæ, vt id quod cōcoquitur, secundū omnes sui partes vertatur in substantiâ rei quæ concoquit. Quæ ergo partes ita exquisitè coqui nequeunt, excrementa sunt, quæ interdum plura, interdum pauciora pro ratione rei quæ cōcoquitur, vtpote, quæ vel aptior vel ineptior sit ad concoctionem, aut etiam pro ratione roboris natiui caloris concoquentis relinquuntur. Excrementa autem & si omnino exquisita transmutatione, in naturam rei concoquentis conuerti minimè potuerint: neque tamen omnino cruda relinquuntur: nam & ipsa aliquo modo versus substantiam rei cōcoquentis trāsmutatur, saltem enim secundū qualitates conuersa sunt: nempe in calore, in ratione temperamenti: item crassitie vel tenuitate, & huiusmodi. Vnde omnes volentes reddere rationem

cur in tabescentibus optimum signum sit, quando aut sponte, aut ex incisione effluit pus album & leue: item & vrinæ in febribus quâdo hipostasim habent albam & lenem, aiunt, quia indicant natium calorem, qui sedem suam in solidis particulis habet, vicisse, atque transmutasse materiã illam excrementitiã, quantum secundum propriã eius naturã transmutari poterat: neq; enim talis erat, vt in vtilẽ & alimento aptã substantiã, posset transmutari. Nisi aliquando pituita, quæ generatione humorum plenè transmutari non potuit: per vltiorem enim cõcoctionem, si nõ vniuersa, saltẽ ex aliqua parte cõsequitur eamcõ coctionẽ, qua vt primo de Rat. vic. in morb. ac. dicit Gal. in vtilẽ & alimoniz corporis aptũ suc cũ conuerti possit. Hæc itaq; est illa concoctio qua in humano corpore cõcoquũtur in morbis atq; etiã in sanitate vitiosi & excrementij succi, qui occasione esse possunt cũ morbi cõcitantur. Est enim, vt tertio de Crisib. ait Galenus, eorum transmutatio à calore naturali eos superante, & eorum contumaciam vincente: à vitiatã enim concoctione, cùm natius calor, qua natius est materiam nequit superare, copia malorum humorum congeritur, quos ille factus validior, tandem adurit, etsi superare & vincere potest, coquit, eosq; coctos quâdo nequit in vtilem substantiam conuertere, aut digerit, aut paulatim per loca ad excretionem commodiora & aptiora, vel confertim, vt in morborum indicationib.

excernit. Quia verò imbecillior est interdum, quàm vt possit materiam facillè superare, vel propter vires labefactatas ex morbi magnitudine, ex aliaue occasione, vel propter multitudinem contumaciamque excrementorum, quæ vehemèter cienda vel crassa vel lenta sunt, vel propter aliquam qualitatem naturæ aduersariam, ita vt periculum subire videatur, ne natura succumbat, & superetur natiuus calor, vel saltem ne tardè admodù ipse superare possit, eget, vt quarto de Ratione victus, in ac. morb. capite 43. dicit Galenus, aliquo externo auxilio, quo ipse validior fiat, & contumacia excrementosæ materiæ possit facilius superari. Quibus omnibus subscribere videtur Arist. quarto Meteor. com. 45. & 47. Vbi accipimus, quòd in vtraque concoctione, primum & præcipuum agens est natiuus calor, extremum verò adiuuans est medicus: qui quasi naturæ minister & adiutor, vtens instrumentis suis ex ratione administratis, illi auxilio est. id quod quinto libro commentariorum in sextum Epid. com. primo apertè declarat Galen. Et eodem quarto Meteo. insinuauit Aristoteles. Dupliciter autem medicus in iuuando naturam suis instrumentis vti potest: primo quidem, si natiuo calori robur addat, quod quonam pacto præstare possit, facillè percipiemus, si meminerimus eorum, quæ à Galeno alibi sunt exposita: nempe quòd calor natiuus est ea natura, quæ in animante

animante corpora regit seu partes solidas. Præcipua enim hæc sunt, à quibus tum concoctiones fiunt, tum verò alia munia propria facultatis, quæ naturalis à medicis appellatur. Horum autem vniuersum robur, vt Galenus secundo libro commètariorum in primum Epid. com. 46. & alijs locis, positum est in simmetria, calidi, frigidi, humidi & sicci. Omne ergo momentum istius rei in proba natiui caloris, & subinde solidarum partium temperamento consistit. Hoc ergo modo potest medicus minister adiuuare naturam, nempe vt reuocata naturali temperie, simul & vires suas ipse recuperet. Deinde verò & alio modo potest medicus adiutor esse naturę laborantis, id est ratione materiæ, quæ concoquenda est: nimirum quâdo insignis aliqua materiæ copia congesta, intemperiem fouet morbosam, ac obstat naturæ, quo minus ad naturalem temperiem redire possit: nam nisi id fomentum tollatur, nunquam temperatura propria reuocari poterit. Solet autem aliquando materiam sine villo medicamentorum vsu detrahi, vt quando hoc missione sanguinis fit, quod ad nostram institutũ nihil in præsentia pertinet, nonnunquã autem per excretionem vi & sponte naturæ solius factam, vt adiuuantibus medicamentis purgatorijs: quæ quidem excretio nunquam utilis esse potest, nisi vt paulò antè dixi, præcedat co-

Q

rum quæ excernenda sunt concoctio, quam natura sponte molita sit, aut adiuta à medico qui sua adhibuerit instrumenta. His præterea addo, quòd aliquàdo multus excremētitiūsq; humor infractus est in tenues & angustos meatus, per quos difflatio corporis atq; euentatio caloris fit, vnde maxima eius seruatur temperatura. Causa autē illius in farctus, qui nō facilè remouetur, est materia multa aut crassa, aut lenta, quam necesse est, vt sanitas pristina redeat, euacuare: euacuatio autem rarissimè, ne dicā nunquam, fieri poterit sine opera medicamentorum quæ attenuent, dissecent & detergant. Aliquàdo etiam tanta est excrementorum, præsertim crassorum & crudorum congeries, vt ferè calor natiuus ab eis stranguletur, à quibus præterea multæ & difficiles in visceribus, & contumaces obstructions excitantur, quæ scirrhus & alios plurimos morbos prauosq; adducunt affectus. Et sæpe natura ab ijs sponte sua nequaquā se potest explicare, imò medici auxilium opportunum expectat: & quamuis non parum etiam alia medici instrumenta sæpe oportuna & necessaria ad hoc sint, nos tamen, quia pharmaceuticem medicinam tractamus, de medicamentis, ita vt in priori etiam lib. tantum hinc agimus. Cùm verò in vniuersum duplex sit eorum medicamētorum vsus, quæ nunc nobis in hoc secundo libro proponuntur consideranda

deranda: nam, aut per os sumuntur, aut exterius adhibentur: primum de illis, mox de ijs etiã tractationem instituemus.

*De ratione eorum medicamentorum quæ in uniuersum ad præsens institutum pertinent.*

*Caput II.*

**V**Niuersa medicamẽtorum ratio, quæ medico in vsum ad corpus vel humores parandos ad faciliorem purgationem venit, siue ea sint simplicia, siue composita in his duobus consistit. Nimirum in distincta cognitione virium vel facultatum eorum vniuscuiusque, siue illę ad primas, siue ad secundas qualitates referantur, vel ad tertias etiam, & hoc non vniuersaliter solũ, sed distincte & particulatim, & per suos ordines & gradus. præterea in exquisita cognitione eorum scoporum, qui medico indicat quæ facultates sint futuræ viles & aptæ ad tollendum affectum. Horum verò cognitio à natura curandi affectus est petenda. Demum & tertio in exquisita cognitione naturæ corporis vel particulæ laborantis. Itaq; de ijs tribus agemus nos, quatenus instituto nostro satisfacere potest, Initiũ verò à sermone de scopis faciemus, quia tractatio de facultatib. primis, secundis & tertijs medicamentorum, vniuersaliter & particulatim à Galeno, Actio, Paulo & alijs sufficienter abso-



luta fuit. Satis ergo nobis nūc erit, si illa tāquam posita & constituta ab his authoribus accipientes, illis tanquam fundamentis ad ea explananda vsi fuerimus, quæ ad rationem compositionis & vsus eorum quæ magis proximè ad hoc institutum pertinent. Sed ad rem redeo. Porrò sicut sagittatores signum aliquod sibi præfigunt, quò dum sagittas impellūt, collimant, & ad què omnem impulsū & momentum sagittarum dirigunt (id autem Græci scopum nuncupant) ita necesse est, vt omnis artifex qui verus sit artifex, & non temerè, sed ex arte agat, sibi id tanquā scopum proponat necesse est, quod circa naturam circa quam operatur agendum putat, quod illi deinde sit tanquam regula, ad quam omnia agenda deinceps referat. Quare & medicus qui affectum aliquem curaturus est, vt ex arte curet, oportet vt primò cognoscat quid sibi agendum sit, vt curare possit: & illud postea tanquam scopum in omni ratione curandi qua vsurus est, spectet. Hoc autem natura curandi affectus, vt tertio Meth. probauit Galenus cap. primo, præsertim potest ostendere: nam vt ille ait, absurdissimum esset putare, quòd aliud sit quod ratione curationis indicet, quàm morbus qui curandus est. Vnde pro diuersa natura curandi affectus varij oriuntur scopi: qui statim percepta natura curandi affectus, medico perito & diligenti se offerunt. Quia verò affectus non semper eodem modo à medico,

medico consideratur, aliquando enim vniuersaliter & secundum suam communem rationem, aliquando verò particulatim : ita duas quoque habet correspondentes indicationes. Ecce enim morbus secundum suam vniuersalem rationem est res naturæ & sanitati aduersaria, actionem ledens, vnde statim medico, qui semper vult sanitatem tueri, & corpus à morbis vindicare insurgit communis indicatio: morbum omnino tanquam hostem esse profligandum. Cum autem ea quæ se mutuò oppugnant sint cōtraria, ideo hoc primùm se illi offert tanquam scopum, inueniendum esse aliquid quod morbo aduersetur, cuius vsu morbus depellatur. Sed hoc in vniuersum nequit fieri: nam neque morbus in vniuersum aliquem affligere potest : oportet ergo vt certus sit determinatusque morbus, vt tandem vsque ad vltimas differentias descendendo & diuidendo progrediamur. Etsi enim singularia ea sint, quæ nobis curanda primò se offerunt, in artibus tamen exponendis non eousque fit progressus, sed satis est ad vltimas vsque species peruenisse. Cum ergo morbus diuiditur in tria prima genera, respicientia tres illas primas naturas, à quibus pēdet vniuersa sanitatis ratio, id est, apta temperatura vniuersi corporis, & cuiusque partis, recta & proba earundem conformatio, & vnitas seu continuitas. Prima natura particulis simplicibus & similaribus tribuitur per se: altera verò com-

positis, siue instrumentarijs. Vtrisque tertia cōmunis est, vt cūm quorundam ineptiam prætereamus, qui in Galenum & alios latrâtes, putant sibi celebre nomen comparaturos. aiunt enim hi eos morbos qui in solam contentionem referuntur, non esse vtrisque particulis communes, sed alij simplicibus proprios, alij instrumentarijs esse voluere. Nos verò sequamur nunc Galenum & agamus primò de eo genere quod natura primūm est, & quod in intemperatura consistit. Sicut enim sanitas in apta & cōcinna simmetria & temperie primarum qualitatum cōsistit, ita necesse est morbum consistere in vitiata temperie, & mensura earundem. vtpote qui sanitati opponitur, non sicuti extremum extremo sed vt extrema medio. Morbus siquidem oritur ex recessu à temperie & mediocritate contrariarum qualitatum primarum, qui excessus aliquando componitur vt nostis. Simplex dicitur, cum fit recessus in vna tantūm contrarietate à mediocritate, vt in calido, vel frigido duntaxat, seruata mediocri temperatura aliarum duarum, id est, humidi & sicci: vel è contrâ. Compositus verò, quando in vtraque contrarietate à mediocritate fit recessus. Sed est & alius compositionis modus præter hunc: is verò est, quia sæpe citra fomentum aliquod vllius materiæ contrahitur aliqua intemperatura, vel simplex illa sit, vel composita, vt verbi gratia, in hectica febre. aliquando

quando verò ea intemperatura à præsentia aliquius materiæ fouetur, vt in tertiana febre, & herisipelate. calida & sicca intemperatura ortum & fomentum habet à bilioso succo, aut infarcto aut defluente per particulas. Quemadmodum autem morborum ad primum genus pertinentium multiplex est facta partitio, pari passu vnaquæque harum differètiarum per quas facta est partitio, suam propriam & acomodatam habet indicationem, à qua & proprius etiam scopus desumendus est. Inueniendum est ergo vnicuique harum differètiarum, id quod in primis illi tanquam contrarium opponatur. Et cum vnaquæque intemperatura aliam intemperaturam habeat cõtrariam, simplex simplicem, composita compositam, scopus quem sibi medicus præfigit in morbis, qui consistunt in calida intemperatura, est refrigerandum esse, & in alijs eodem modo vel simplicibus vel compositis. Quando verò præter particulam intemperamentum adsit etiam materia quæ ipsum efficit & fouet, necesse est vt inde tum indicationes, tum scopi orientur varij. Nam præter illam communem indicationem, quæ sequitur rationem vniuscuiusque materiæ morbosæ, nimirum quòd morbos ex repletionem factos, vacuatio sanat, quæ ad priorè librum potius pertinet, & præter alteram quæ à qualitatibus primis, quibus illa materia prædita est, & à quibus pendet & fouetur intemperatu-

ra contracta in membris. Sunt alij scopi, & aliz indicationes, tum à modo & ratione substantię, tum verò ab alijs illius qualitatibus præter primas, quæ obstant quominus primo & communi scopo, nisi cum magna difficultate & incommodo satisfacere possimus. Prior enim & communis scopus erat, vacuandâ esse materiam morbosam, cur autem difficilis & laboriosa euacuatio fit, in causa est, quia aut nimis tenuis fit humor (Dum enim attrahitur, in tenuiorib. & angustis meatibus earum particularum per quas transiturus est, quasi absorbetur, vt inde non possit educi facilè) aut quia crassior est iusto. Crassæ enim materiæ ad educationem & euacuationem sunt difficiles, aut tertio quia lenta fit. Lentus enim humor adeò tenaciter hæret locis in quib. continetur, & per quæ transit, vt idem nequeat modico negotio diuelli. Sed & modo quo in ea particula continetur, oritur difficultas vacuationis materiei, quia si quasi per vasa, vt dicit Galenus secundo & octauo de Comp. med. per loca, diffuatur, facilius est eius euacuatio: sed si fit velut absortus, & infarctus in substantia particularum inculcatusque, vt in tumorib. præter naturam, nempe in inflammatione herisipelæ, scirro & huiusmodi, longè difficilior erit euacuatio. præterea facilius est etiam euacuatio eorum, quæ in vijs communibus continentur, per quas fit euacuatio vel in locis vicinis ad ea pertinētibus, vt sunt ven-

ventriculus, intestina, & venæ ad hæc pertinentes, nempe meseraicæ, & concava iecoris pars, quando per alium futura est euacuatio: renes verò & connexa iecoris pars, si per lotia sit euacuandum. Et quia non solum cogitandum quòd vacuandum sit, sed & quomodo possit facillè & citra noxam vacuari, ab omnibus his medicus aliquam particulatim indicationem petit, à qua proprium scopum depromat, quem deinde spectans accommodata his omnibus & oportuna medicamenta reperire & adhibere possit. Quavis autem de his hæctenus egerimus, perinde ac si ea propriè duntaxat illis morbis sint, qui ad in temperamentum pertinet, si tum volumus rem exactè disquirere, in hos tandem scopos etiam cætera morborum genera, in quibus medicamentis opus est, necesse est resolui, quia si medicamentum propriè dicendum est, quod corpus nostrum transmutare potest, & omnis transmutatio fiat per ipsas qualitates, tandem huc omnibus confugiendum est: nam aut calefaciendum, aut refrigeriendum, aut attenuandum, aut incrassandum, aut incidendum, aut detergendum, aut rarefaciendum, aut laxandum, aut densandum, aut constipandum. Hæc enim omnia vsu & ope medicamentorum fieri possunt, & quotidie à medicis fiunt. Quibus si addiderimus quod aliquando partiù agglutinatione est opus, interdum verò illis quæ vim habet septicen aut cau-

fticen, hoc est putrefacientem vel vrentem, omnia ferè complexi erimus, quæ in vfu & electione compositioneque horum medicamentorum de quibus nunc loquuturi fumus, quæri folent. Sed hæc ad exquisitam rationem compositionis & vfu huiufmodi medicamentorum, neque factis funt cognitu medico. nam illa adhuc indicatio quæ ab his pendet nimis generalis eft, quia non tantum illi nouiffe oportet quod calefaciendum frigefaciendum &c. fed & quatenus hoc faciendum fit: nam alioquin fi ita temerè calefaciemus & alia agamus, neque nobis terminos aliquos hac in re præfcripferimus, facile ab vno extremo in aliud, & aliquando deterius fieri transitus poterit. Hos verò terminos nobis præfcribendos illa eadem ostendere poffunt, quæ priores illos scopos etiam indicarunt, fi eorum notitiam diftinctam habuerimus. Cùm enim illa vt dicebam, in quodam exceffu vel recessu à naturali mediocritate confiftant, nullus autem recessus indiuiduus eft, fed aliquã habet latitudinem fecundum eam rationem, qua aliqua vel magis vel minus ab ea mediocritate recedere dicitur. in quo item recessu, vt Galen. præfertim in tertio Artis paruz dicit, poffunt ordines ita notari, ficut in viribus medicamentorum quibus corpus mutare poffunt, notarunt & Galenus & alij ferè omnes posteriores. Difftincta ergo cognitio rationis exceffus in morbis vel in morbofis cau-

fis

sis, describere medicus faciliè poterit, modum limitesque ultra quos non oporteat, in his quæ nuper exponebamus progredi. At verò quia ista recessus ratio percipi nunquam poterit, nisi ex collatione cum ea naturali mediocritate, à qua recessus factus est, ideo oportet prius nouisse naturalem statum, tum corporis ægri, tum particulæ, si ea malè apta est, vt tandem necesse sit perspectam habere maximè naturam omnium partium humani corporis, quibus medicaméta sint adhibenda: nec modò quantum ad earum temperaturam, sed & quantum ad substantiam, munia, dignitatem, & præstantiam pertinere potest: quia multa exterius adhibita, externis partibus vtiliter & citra noxam administrátur, quæ si interius assumerentur perniciè afferrent. Præterea in dignioribus partibus, magis cautos esse oportet medicos, & semper earum robori prospicere. Sed & situs earum non paruam rationem habere oportet: nam quo remotiores sunt partes, & quo per longiorem viam medicamentis iter est futurum anteaquam ad locum affectum pertingant, eo etiam valentiora & fortiora requiruntur medicamenta: quia eorum vires semper in transitu remittuntur. atque res hæc tantam habet vim, vt sæpe sit necesse, oportunis medicamētis aliquid intermiscere, quod alioquin quatenus ad eius naturam pertinet, alienum est & aduersarium curando affectui. Vtile tamen ea ra-



tione est, qua iuuat alia accommodata medicamenta, vt facilius & citius perueniant ad morbosum locum, vt in medicinis dolori capitis opportunis acerū immiscemus. Sed de his exquisitijs in sequentibus mox agemus. Hęc sunt quę ab Antiquioribus medicis, & à Galeno præsertim multis in locis aliquando breuiter & per compendium, aliquando verò diffusè & per diexodum, exposita & probata sunt, deprompta quidem ex principijs & decretis Hippocratis. Nos verò tanquam constituta & probata accipimus, tanquam initia ad ea explicanda, quę magis particulatim facere possunt ad rationem accommodatè componēdi medicamenta, quibus in tuenda sanitate & depellendis morbis vtimur.

*De communibus quibusdam fundamentis, pertinentibus ad communem rationem eorum medicamentorum que per decoctionem parantur & conficiuntur.*

Cap. III.

**Q**uoniam verò plura eorum medicamentorum, quę tam interius assumuntur, quàm exterius adhibentur, præsertim verò si ex pluribus conficiantur, per decoctionem componuntur, & ad vnam formam certamque constitutionem deducuntur: ideo non erit ab re, si prius de communi decoctionum ratione aliqua verba faciam. Et primò, quibus de causis sint adducti medici, vt medicamēta interdum  
 sola

sola simpliciaq̄; interdum plura, interdum pauciora simul ad ignem decoquant, & quæ utilitas inde proueniat. Hæc verò rem vt distinctius tractemus, distinguenda est primò cocturæ ratio. Nam ea ex medicis & philosophis duplex est: nèpe elixatio & assatio. Elixatio est coctura quæ fit à calido in multo humido: Assatio verò ex quarto Meth. à calido, sicco & igneo. Licet autem utroque modo coquantur medicamenta, frequè tamen per elixationem, præsertim quæ interiorius fumuntur ac deuorantur: imò & eorum plurima quæ exterius administrantur, vt linimenta & vnguenta. Item emplastra, cerata, & oleorum quamplurima. Primùm ergo loquemur de his quæ ad ignem ex multo humore coquantur, & quasi elixantur. Et quia horum alia simplicia sunt, alia mixta & composita, de simplicibus etiam primò loquemur. Simplicia verò sunt vt succi, tum fructuum, tum herbarum, liquoresq̄; & in his etiam aquam ponimus. Non est autem vna eademque ratio cùm hæc coquantur: nam aqua quidem à medicis, quantum hæcenus me legisse memini, duplici de causa coqui solita est: nempe vt aliquam particulatim malitia ab ea detrahatur, vnde crassæ, palustres, & limosæ aquæ coquebantur ab antiquis, quia facilius terrenæ & limosæ partes, postquam refrigerari permittitur aqua, vi ignis segregatæ descendunt: rarefcit enim substantia aquæ per decoctio-

nem, ac facilius propterea extraneæ partes secre-  
 tæ descendunt. non coquebatur autem aqua ab  
 antiquioribus medicis ad porum, si defecare sua  
 sponte & bonæ erant: ad corrigendam ergo ali-  
 quam eius maliciam ipsam incoquimus: præ-  
 terea etiam ad eam refrigerandam. In regionib.  
 enim in quib. fontes vel putei frigidi: ut in Ae-  
 gypto, aut nulli, aut rari sunt, cum opus est aqua  
 frigida, ut testatur Galenus quarto libro com-  
 mentariorum in sextum Epid. com. 10. eam pri-  
 mum decoquunt, mox verò noctu sub dio aeri  
 exponunt. Ita enim magis & facilius refrigera-  
 tur, præsertim quando prius efferbuerit. prom-  
 ptius namque eam per ebullitionem priorem re-  
 factam subit frigus. Facilius enim trāsmuta-  
 tur quæ rara sunt, quàm quæ densa. Succis verò  
 præsertim plantarum & fructuum, coqui & ipsi  
 solent, præcipuè ut seruari impures possint. Fa-  
 cillimè enim præter vinum, oleum & mel, ex 3.  
 de Fac. simpl. med. ceteri omnes ferè putrescunt  
 citissimeque, nisi concoquantur, siquidem con-  
 sumuntur, dum concoquitur aqueus quidam  
 humor, qui putrescendi in causa est. Decoquun-  
 tur autem interdum ut condenscant, & indu-  
 rentur, sicuti succus radicis dulcis coctus, cogi-  
 tur & induratur, succus etiã absyntij. & ut idem  
 sexto de Comp. secūdum loca, ait: Succus Hyp-  
 pocistidis, yuæ acerbæ & centauri, & quamplu-  
 res alij, qui ut ibidè scribit, si fuerint plurimum

excocti exsiccantur, crassescuntque, & tandem indurantur per cocturam, vt & multi alij liquores, sicut resinæ omnes, præterea & mel & lac. Coquantur itidem succi liquoresque, vt ab eis aliquid quod nocere posset remoueatur, quemadmodum lac & mel, quæ cruda, sunt flatulenta, atque aliquando excitato flatu ventriculum & aluum conturbant, & dolores concitant. Vnde coquantur vt partes illæ per cocturam consumantur, quæ apta materia sunt ad flatus excitandos. cum enim ex quarto de Rat. vict. in morb. acut. com. septimo, lac Asinæ coctum ad laxandum aluum præciperetur, illud coqui propter flatum dicit Galenus. Item tertio de Fac. alim. cap. 39. ait, Mel, nisi probè coctum sit, flatus gignere. Præterea verò interdum vt aliquam qualitatem facultatemque his adimamus, quæ nostro vsui, quantum ad nostrum institutum pertinet nõ est futura. Sicut verbi gratia lac quidem & mel accepta citra cocturam aluum cicut inferiore, sed mel superiorem quoque, si vt ibid. testatur Galenus, copiosum deligatur: sed decoctum non amplius ciet inferiorem aluum, nec vomitum: nam vel cuiusdam acrimonie participes est, qua ventrem aliquantulum soluit: lac verò ratione feri, quod non est nitrositatis alicuius expers, facultatem aliquantulum habet proritandi deiectiones alui. Vnde mel coctum cum acrimoniam deponat per decoctionem, amittit

etiam vim subducendi aluum, & potius postea  
 vrinam prouocat. Facile enim hoc modo per  
 venas permeat cum de ventriculo prius depo-  
 neretur, ad id incitantibus acrioribus partibus,  
 quam in venas distribui posset, ita & lac si eate-  
 nus coquatur, vt serosus humor absumatur, non  
 modo non ciet aluum, sed potius eam sistit & a-  
 stringit. Vnde antiqui præsertim asinino lacte  
 ad purgationes inferioris ventris vtébatur, & eo  
 quidem cocto quantum poterat esse satis, ne fla-  
 tus gigneret. coctura verò modesta non tollebat  
 vim purgatoriã: cum enim serosius sit lac istud  
 præ omnibus alijs, per facilem & modestam co-  
 cturam nequit vis soluendi ab eo adimi. Sed aga-  
 mus modo de illa coctura, qua plura simulque  
 composita & commixta coquuntur, sicut quan-  
 do syrups & medicinalia decocta, & alia medica-  
 menta per dictam iam coctionem parátur à me-  
 dicis, vel eorum ministris. Non agemus autem  
 nunc de ratione & causis compositorum medi-  
 camentorum in vniuersum, neque etiam expo-  
 nemus quam vtilitatem afferat compositio plu-  
 rium simplicium, in vno eodemque medicamé-  
 to, & qua necessitate medici ad componenda  
 medicamenta compulsi fuerint, quia de his co-  
 piosè in priori libro actum fuit: sed tantum de  
 coquendi ratione loquemur. Neq; tamen vt do-  
 ceamus modum coquendi particulatim & reli-  
 qua quæ medici suis seplasiarijs tractanda relin-  
 quunt,

quunt, sed de vtilitate & commodo quod medicamenta consequuntur per cocturam aptam, quando plura simplicia medicamēta simul commixta coquuntur: deinde quam cōmoditatē medicamentis coctis afferant aliqua, quæ ipsa ex re aut nullam, aut saltem non insignem vim vel facultatem habent. Quatenus ergo ad primū pertinet, hoc imprimis est considerandum, quòd cum ars naturam quantum potest imitetur, naturæ verò in generatione corporis mixti & compositi ad vnionem, siue ad vnā formam diuersa simplicia corpora per concoctionem factam à calore natiuo, & infuso rei deducit. ea enim est eius vis, vt possit siccum elementum cum humido miscere, rem in vnā perfectionem conducere, & ad vnā formam, quæ inter ea quæ miscentur media est, viresque omnes & facultates, sub quodam modo, & quadam mensura eorum, ex quorum miscella progenita est, in se cōtinet. Ita & medicus naturam imitans, nititur per coctionem diuersorum medicamentorum vires & facultates diuersas in vnā quasi mediā facultatem vnire, quæ illas vires, quæ prius diuersæ sparsim, & seorsum in diuersis illis medicamentis habebantur, per eorum compositionem & decoctionem collectas contineret, vt illis deinde ad morbos in quibus multæ & complicatæ sint indicationes vti posset. Vnde & Aristoteles quarto Metheor. vbi de generatione mixtorum

per concoctionem agit, dicit concoctionem ac eius differentias, nomen quidem nullum habere proprium, quo transmutationes hæ, quas natura molitur, significantur, necessarium autem fuisse ea transferre quæ propria artis sunt: sicut concoctio, elixatio, & affatio, propter eam similitudinem quæ est inter operationem naturæ, & artis eam imitantis. Galenus itaq; in libello pro puero laborante comitiali morbo, reddens rationem cur oximel, hoc est acetū mulfum, quod fit ex aqua, melle, & aceto simul mixtis, decoqui voluit Hippocrates, cùm ea omnia liquida sint, & quæ mutuo facilè citra coctionem misceri possint, dicit, vt melius & exquisitius vniantur: addit autem præterea, vt & aceti acrimonia obtundatur, & mellis flatulentia corrigatur. Sed & cerata vel emplastra, quæ ex lithargyro componuntur, & alijs mineralibus ex oleo decoctis, vel ex alio liquore, meliora esse ait primo de Comp. medic. per genera, quo magis cocta fuerint. rationem verò vnde ea quæ coguntur facilius ad vniorem & æqualitatem deducuntur, visus est insinuare, primo de Alim. fac. capite primo, vbi hæc scripsit. Omnib. enim quæ coquuntur in aliquo humore vsu venit, vt quiddam ab eius facultate in se deriuent, atq; etiam, vt vicissim de sua portione aliquam impartiantur. Commiscetur itaque, vt hac ratione saltè facultates exquisitè defendantur per totam medicamenti substantiam

&

& digerantur in eius partes omnes, & ita in vnū coeant. Habet præterea & aliam cōmoditatem decoctio, quæ priuatim illis medicamentis utilis est, quæ diutius parata seruantur: (de illis loquor quæ sunt liquida vt potiones) præsertim si mel vel saccharum accipiant: nam hæc duo maximè id præstant, vt diutius seruari possint integra medicamenta, & illa maximè quæ ex herbarum fructuumque succis parantur, vt multi syrupi fiunt: nam quamuis hæc vim magnam habeant custodiendi medicamenta à putredine, corrumpuntur tamen nisi sint probè cocta, adeò vt extranea humiditas, quæ putrefactionis fomētum est, absumatur. De alijs verò medicamentis quæ exterius illinuntur aut apponuntur, vt sunt olea medicinalia, emplastra & huiusmodi, suo loco dicemus. Sed neque id in præsentia prætermittendum, cuius & in priori libro meminimus: nempe quòd quamuis ea, præsertim simplicia, in componendis his medicamentis, quæ per decoctionem absoluenda sunt, sint eligenda, quamuis facultaribus possunt aliquid conferre, perti- nens ad scopum, quem in curando affectu spectandum nobis proposuimus: vtimur tamen sæpissimè & alijs quibusdam, quæ cum his componimus, quorū facultates præcipuè ad nostrum institutum faciunt, quamuis ea vel nullas vel satis exiguas vires habeant, quæ possint aliquam præstare vtilitatem, proposito scopo primùm



tinétem: & tamen eorú vsus, vt tertio de Comp. med. per genera cap. quintò dicit Galenus, & si non primùm, secundariò saltem multam afferút commoditatem: neque eam vnam tantùm, sed multiplicem. Primam quidem cõmoditatem tribuunt aliqua medicamenta simplicia in compositione accepta, quòd tanquam materiæ alijs medicamentis officium præstant, ad quod officium ea in primis idonea sunt: quæ vt tum ibid. docet Galenus, tum verò xj. de Fac. simpl. med. non sunt vehementi aliqua facultate prædita: valentioribus enim medicamentis hæc se tãquam materiã exhibent. in illis enim fortiorum medicamentorum vires & qualitates commiscentur, & quasi, vt diximus, confunduntur, & vniuntur per decoctionem: nam cùm nullam eximiã qualitatem, vel vim hæbeant, non possunt insigniter aliquo modo validioribus facultatibus obstare. Vnde hac ratione albo oui, imò sæpe & toto ouo vtimur, in componendis & miscendis multis medicamentis, parandisque tum ad oculorum affectus, tum ad alios aliarum partium, vbi fugiendam eorú mordacem vim censemus. in ceratis verò & emplastris multis, & huiusmodi medicamentis præsertim, oleo communi vti solemus: nam oleum vetus & quædam alia olea propriè non pertinent ad hoc munus, quia iam sibi comparauere maiorem digerèdi & desiccandi facultatem, quàm hoc officium requirat. Eadem

dem quoque ratione multa medicamenta, quæ in modum emplastri sunt conficienda, lythargium, hoc est argenti spumam, & eam sæpe copiosam accipiunt: nam hoc simplex nullam habet eximiam facultatem, qua maioribus & difficilioribus vlceribus admodum cõducere possit: quia tamen liquari potest per decoctionem ex oleo, vel vino, vel aceto factam, ideo vt commoda materia ad deducendum & componendum medicamentum ad compagen faciendam emplastri, vt ibi primo de Comp. med. per genera cap. quinto docet Galenus, accipi solet. Eũdem præterea vsum præstat aqua in potionibus, decoctisq̃ue multis & epithematibus, quæ præter alias commoditates & hanc habent, quòd vi eius humiditatis, vt Galenus dicit, vim habent vt tandem per omnia illa permeet & penetret, quæ in ea macerantur vel coquuntur. Multa etiam accipiuntur, tanquam commoda, quamuis primo scopo vel nihil vel parum conducant: neque ea præterea sint, quæ munere materiz tangi possint, sed alio modo sunt vtilia: nam medicamenta reddunt minus ingrata & insuauia, nimirum vt facilius admitti & contineri ab assumentibus possint. Quæ enim admodum ingrata sunt, abominationem mouent, ventriculum subuertunt & turbant, vnde aut vomitu reijciuntur, aut si detinentur vi, adeò exagitant & cõturbant vniuersum corpus non modò ventriculum, vt ea

conturbatione magis obsint, quã prodesse possint: atq; huius præcipuè in his ratio est habèda, vt Galenus sexto de Comp. med. secũdum loca, & primo de Antidotis monet, quæ ore sunt sumenda. hæc enim maximè fastidium concitant. Duo autem sunt quæ præsertim molesta & ingrata reddant hæc medicamenta: primò fœdus odor: secundo tristis sapor: & cùm maximè purgatoria medicamenta, tum suo odore, tum sapore, tum quadam naturali inimicitia sint ventriculo aduersaria: ideo Hyppocrates & Galenus, secundo de Ratione viēt. in morb. acu. & octauo de Comp. med. secundum loca, cõsulit illis semper esse aliqua admiscenda, quæ tum suauis & aromatico sapore, tum familiari odore, gratiam conciliare medicamento possint. Vt tamen quatenus ad odorẽ præcipuè pertinere potest, hoc sit aduertendum (quòd neque in sapore est negligendum) quòd quamuis huius conciliandæ gratiæ ratio aliqua sit habenda, attamen non ea est habenda, vt primarij scopi obliuiscamur, idq; procurandum maximè, ne hæc omnino superent aliorum vires, quæ propositum scopum primariò respiciunt. Vnde vel ea sunt eligèda quæ his non habent vires aduersarias, vel illis adeò modestè vtendum, vt non possint de aliorum viribus multum detrahere. Et quantum ad medicamenta soluentia pertinet, Antiqui, vt diximus, ea miscebant, quæ aromaticum spirabant odorem,

odorem, quorum cum multa calidissima essent & tenui substantia in purgando, præsertim verò crassiores humores attenuando, & vias aperiendo, poterant iuuare. In præsentia verò medici, & succum rosarum ob gratum rosæ odorem quem refert, immiscere his medicamentis solent, in quo neque multus est calor, & vim detergendi & attenuandi habet: quo & in alijs potionibus vti, non esset ab hoc instituto alienum, quamuis ad purgationem non essent confectæ. Quia verò iamdiu in tota Europa inuasit cõsuetudo, vt sæpe decocta bibenda ex aquis per destillationem ex herbis extractis fiant: itemque syrups appellati eisdem diluantur, quæ dum destillant, fumosum quendam odorem contrahunt, qui ingratus admodum est, & quo recentiores & nouæ sunt, eo etiam magis ingratum odorem redolent. Huius rei incommodo sic occurrendum videtur, vt eas eligamus, quæ recentes nõ sunt, sed à quibus iam magna ex parte euauerit & euaporauerit ille ingratus odor: tempore enim euaporat, vt experimẽto tum ab alijs, tum maxime aqua rosacea petito percipere possumus. Sed præterea & id deprehensum est, quod si fiat destillatio ex aqua, vel, vt dicitur, in duplici vase, vel, (vt Iuniores dicunt) in balneo Mariæ, non videtur aquæ illæ ita extractæ, insignem & ita molestum contrahere odorem. Sed neque hoc videtur negligendum in vsu odoratarũ rerum, quòd

aliqui sunt odores, qui etsi aliquib. multum grati sint, eosque delectent, alijs tamen sunt noxij: nam insignes & aromatici odores illis sunt incommodi, quibus dolet caput, vt & Hippocrates quinto Aphorif. docuit, Aph. 28. Multæ etiam mulieres eos odores, vt sunt Moschi, & ambrae appellatæ, & huiusmodi aduersantur, præsertim verò illæ quæ sunt vterinis strâgulationib. obnoxia, quæque hystericae dicuntur. Memini ego cum essem Venetijs, & esset cuidam nobili mulieri oblatus syrupus bibendus, quem apothecarius qui paulò ante tractauerat quædam medicamenta composita, quæ hæc odorata accipiunt, illotisque manibus syrupum cõmiscuerat, mulier eo odore percepto, statim cepit ex vtero strâgulari. Quidam vt hæc incõmoda deuitent, vas vnde bibendum est medicamentum linteo madefacto ex aceto & aqua rosacea contegunt, relicto tanto foramine vt bibi medicamentum sine impedimento possit. Aceti enim odor acris, odorem medicamenti superat. Fastidio verò quòd ex ingrato sapore occasionem habet, imprimis solet eorum mixtura consulere, quæ familiaria sunt naturæ, vt dulcia omnia, mel, saccharum, & huiusmodi, & ideo Gal. eodem sexto de Comp. med. secundum loca, laudat Archigenem, qui præcepit in his quæ ad affectam columellam paranda sunt, semper mel hac de causa miscere austeris medicamentis, quorum vsus in principio  
ad

ad repellendam fluxionem est necessarius, vt & ipse in principe parte illius libri monuerat. Et hinc introductū est in vsum, vt omnia ferè medicamenta bibenda, vel deuoranda, præter pulueres, siue vim calefaciendi habeant, siue refrigerandi, ex melle aut ex diluto saccharo coquantur, vel saltem condiatur. & id præterea, vt assumentibus minus sint molesta, quamuis sæpe vires aduersarias illi habeat, quod nobis indicat scopus primarius. Sæpe enim is indicat refrigerandum esse, vt imur tamen syrupis, vel decoctis vel placentulis confectis, vel conditis melle & saccharo, quæ facultatem aliquâ calefaciendi habent. Vbi id notandum, quòd præter horū simplicium medicamentorum facultates proprias, quæ propriam naturam & temperiem sequuntur, habent has cōmunes in medicamentis compositis commoditates (loquor de saccharo & melle) primò quòd ea imputria & incorrupta, si cōgruam cocturam fuerint assequuta, longo tempore seruari possunt, præsertim si succos fructuū vel herbarum receperint. ait enim Galenus ibidē, quòd succi sine melle imputres diu nequeūt manere. Deinde verò, quia tollit medicamentorum ingratum saporem, naturæque est familiare: tertio facit reliqua medicamēta quibuscum mixtum fuerit, celerius transire, & in corpus permeare: Quarto enim Meth. cap. septimo ait idem Galenus, quòd mel est instrumentum di-

gestionis medicamentorum in corpus, & celeris transitus veluti vehiculum, id verò tum dulcedinis ratione tum tenuitatis partium. Hic tamen & illud est considerandum, has vtilitates nò solum mel, sed & faccarum habere, quod quamuis temporibus Hippocratis & Galeni esset cognitum, vt & Dioscorides & Galenus videntur indicare, vel nullus tamen, vel rarus saltè erat tunc temporis eius in medicamentis vsus. Vnde non erit præter rem, si de his & de horum differentia pauca quædã dixerimus. Differunt ergo, quia mel dulcius est saccharo: item calidius, & tenuioris substantiæ, & non omnino alicuius acrimoniæ expertus: faccarum verò suauiolem habet dulcedinem, præsertim id quod optimè purgatum & defæcatum est. Vnde eius frequens est in mensis vsus, & minus calefacit, & minus mordet dum detergit. Ex quibus ita expositis, facile percipitur, quòd peritus medicus, qui his ob has communes vtilitates est vsurus, non illis promiscuè & indiscriminatim vtetur: nã vbi affectus quem curare instituit, ex calidis, tenuib. acrioribusq; humoribus oriuntur, non ita còmodus erit mellis vsus: nam & Galenus in calidissima & tenui destillatione curanda, septimo de Comp. med. per loca cap. secundo consulit, vel medicamentum quod diacodion dicitur, & quod valet multum ad reprimendas destillationes, prætermisso melle ex sapa paratur: ex melle verò si humor destillans

destillans crassior, & frigidus fit. nos verò in tenuibus, ex saccharo confecto vti solemus, vtpote qui parum calefaciat, neque perinde vt mel attenuet. Vnde sordida vlcera, quæ deterfione egêt, si sint eximij sensus, mel rosaceum propter eius morsum ferre nequeunt, facillè tamen ferunt syrupum rosaceum, eum etiam quem ex saccharo & rosarum succo conficiunt. Sed nunc etiam in curandis affectibus qui à calidis, acris & tenuioribus humoribus oriuntur, syrupis potius vtimur ex saccharo paratis, quàm ex melle: vt sunt violaceus ex endiuia, vel cicorea, vel oxalide, vel zingifis, & huiusmodi. In affectibus autè à crassioribus & lentis frigidisque succis, potius vtimur illis qui mel accipiunt. Vnde in tertiana exquisita & huiusmodi, frequentius medici hoc tempore accipiunt syrupum acetosum, & rosaceum, si illo sit opus. In nothis verò tertianis, & quotidianis sæpius oximelite vtuntur, & melle rosaceo. Hæc quæ hætenus exposuimus, si diligenter legantur, & tanquam exempla accipiantur, facillè alia omnia, si qua legèti offerentur, cū his collata percipi poterunt. Quare iam magis particulatim dicamus de compositione & vsu medicamentorū, qui ad hunc librum pertinent. Et primò de illis agemus, quæ per os sumuntur: & in his primò de syrupis, quia nunc in maiori sunt vsu, & vbique ferè parati reperiuntur: deinde de decoctis, tum de pastillis, vel trociscis: dein



de de electuarijs, & cōfectionibus dictis: postremo in tertio libro de Ratione eorum, quæ exterius administrantur agemus plenius.

*De syrups qui sunt in usu frequentiori.*

Caput IIII.

**S**yrupus est Arabicum vocabulum, quod ut mihi quidam illius linguæ peritus dixit, potum vel potionem significat: nescio an corruptum fuerit ex orbet, quod Arabibus potionem significat. Aliqui in præsentia, ut Latiniiores sint, Serapium vocant, quo vocabulo vsi sunt Græci iuniores, qui Arabibus fuere posteriores, & ab illis multa nomina medicamentorum deriuauere, & multa etiam medicamenta describere, in quibus Actuarius fuit. Sed & Serapium neque Græcū esse vocabulum, neque Latinum, sed ex Arabico deductum atque corruptum. Et quanuis syrups isti nostri putentur esse inuenta Arabum, ego tamen hoc non puto: nam & Galenus primo Artis. cur. ad Glauconem, quoddam medicamentum quod conficit ex quibusdam simplicibus decoctis, ex aqua & melle, potionem appellat, & inde forsitam & modum confectionis, & nomen syrups potionem significantis, in suam linguam transferentes deprompsere.

Syruporum itaque duæ sunt primæ differentia:

rentiæ: aliqui enim sunt simplices, non quidem quòd verè simplices sint, sed per collationem ad alios: nam ipsi etiam ex pluribus conficiuntur, saltem enim ex saccharo vel melle, & aliquo succo, addita aliquando aqua: sed quia in iis vnum tantùm ponitur: in quo sit vis id agendi, quod in eo præcipuè quærimus, mel verò & saccharum recipiunt, quasi medicamenti materiam, & propter aliàs cõmoditates, neque primùm sed secundariò admittuntur. Hac ergo ratione si sint cum aliis qui ex pluribus hoc modo conficiuntur collati, dicuntur simplices. Interdum verò & verè compositi sunt, & ex multis primum cõfecti: quia tamen diuersimodè solent componi, ita vt pauciora interdum primò accipiant, & illis sæpè ita cõfectis vtimur, postea vt efficaciores illos reddamus, aliàs priori compositioni adde- re solemus: vt verò quo nam sit vtendum iudicemus, simplicem appellamus priorem, cum citra aliquam aliam adiectionem eo vti volemus, quemadmodùm Medici tripliciter syrupo de Byzantiis Mesue vtuntur: aliquando sine alterius medicamenti adiectione, præter primam compositionem, & hunc simplicem vocant: aliquando acetum illi addunt, & appellant Byzantinum cum aceto: aliquando verò quædam alia aromata, vt suo loco dicemus, addunt, & Byzantinum completum vel compositum dicunt. De simpliciorib. ergo prius nos secundum rationem agemus.

Hi varij & diuerſi ex propria eorū natura ſunt, imo & inter ſe aduerſariis facultatibus differentes, nec illis ſolum quæ ad facultates primas referuntur, ſed & aliis etiam ſecundis & tertiis, nec modò his differunt, ſed etiam ſi cum variis particulis humani corporis conferantur: sæpe enim ex illis reperiuntur duo, nonnunquam & plures, qui licet ſint facultatibus ſimiles, vterque enim refrigerabit aut calefaciet, neque ordine vel gradu diuerſi admodum erunt, alter tamen ventriculo, alter capitis commodior erit, ita alter renibus, alter pulmonibus &c. nam cum ex medicamentis ſimplicibus conficiantur, & ab illis ſuas facultates vniuerſas habeant, pro ratione diuerſitatis naturæ & facultatis horum ſimplicium, diuerſas etiam ipſi vires habent. Fiunt autem ſyrupi hi ſimplices aut ex aliquo ſucco aliquius herbæ, vel fructus, aut ex eorundem decocto, vel ex aqua in qua medicamenta fuere demerſa, & eatenus macerata, vt eorum vires in aquam transferint. Iuniores dicunt ex infuſione, vt ſyrupum factum ex infuſione roſarum, vel violarum. Ex ſuccis qui ex endiuia ſimplex dicitur, qui que ex cicoreo, qui ex oxalide vel oxilapatho, id eſt, ex ſucco acetofæ, item ex bugloſa, quamuis ſit in communi ferè omnium medicamentorum ſententia hac noſtra tempeſtate, herbam quam vulgo bugloſſam appellant, non eſſe antiquorum bugloſſum, ſed quomodocumque ſit,

fit, si ea non est, sicut ego non esse arbitror, est saltem altera, quæ ab ea viribus & facultate nõ plurimum euariat. præterea ex boragine, quæ verũ esse buglossum antiquorum nunc creditur, fit idem syrupus, & ex succo rosarum. Item & ex succo betonicæ qui simplex ex betonica dicitur: ex succo etiam fumarizæ, qui ex fumo terræ simplex nunc dicitur: ex succo quoq; florum nimphæ, quã Arabes nenuphar nominât, vt & vulgo nũc dicitur. Item ex succo tussillaginis, quam pharfaram in apothecis sicuti Arabes nominant: & ex succo yuzæ vel aiugæ, vel camepithos alicubi paratur syrupus: ex succo item lupi saliceti, qui nunc ex lupulis vulgò dicitur. Item ex succo scabiosæ, quæcunque fit scabiosa. Ex succis autem fructuum fiunt syrapi aliqui simplices, qui in multo sunt vsu, vt ex succo mali punici, qui ex granatorum succo communi appellatione dicitur. Item ex succo malorum dulcium qui vulgo de pomis dicitur: ex succo mali citri vel medicæ, qui ex acetositate citri vulgo dicitur: ex succo limonis, ex succo malorum cotoneorum vel cydoniorum: ex succo vuzæ acerbæ, vel vt dicũt, agrestis: ex succo cucurbitæ: ex succo qui berberis ab Arabibus dicitur: multi esse putant oxiacanthã vt Græci dicũt. Item ex succo ribes, & ex succo fructus mirti, ex succo mororum, præsertim syluestrium, qui bati dicuntur. Sed sunt præterea syrapi simplices, qui ex maceratione, vel, vt

nunc

nunc dicitur, ex infusione ex aqua, ex qua deinde addito saccharo coquuntur, & conficiuntur. præcipuè verò fit in præsentia syrupus ex maceratione vel infusione rosarum: & illum bifariam parant: nam vel ex folijs recentibus, hoc est, non aridis, & communiter vocant syrupum rosaceum recentem: vel aridis folijs aqua demersis vtütur ad eiusmodi syrupi confectionem, eumque rosaceum ex rosis siccis passim appellant. Item & violaceum ex simili infusione, non quidem aridarum violarum, sed recentium parant, quem violaceum simplicem vocare solemus. ex stecca de etiam macerato ac mox decocto ex aqua, simplicem conficiunt syrupum, addito saccharo aqua. Hi itaque syrupi simplices dicuntur, ea ratione qua nuper exposui, & ijdem in curandis morbofis affectibus in frequentiori sunt vsu, & parati maiori ex parte reperiuntur, de quibus priorem sermonem sumus habituri. Neque in eorum confectione explananda multus ero, cum neque multa egeant explanatione. Facile enim potest eorum facultas percipi, cum vno tantum simplici medicamento, præter illa quæ tantum materiae vicem funguntur, constant. Nam quatenus ad primas qualitates pertinet, refrigerant quidè & desiccant endiuia, cicoreum vel intybus, oxalis vel acetosa, item rosarum succus, & nymphaeæ succus, & succus mali punici, & mali medici vel citrij: item qui limonium dicitur, cotoneorumque, & vuz acerba,

acerbæ, berberis & ribes, myrti & mororum maturorum, quo præsertim nunc vtuntur medici: Succus autem lupi vel lupuli in cōtrouersia trahitur à Iunioribus: nam cum Mes. illum indicauerit parum refrigerare, quamuis & parumper ficcare, Iuniores tamen quidem potius calefacere credidere, ducto argumēto quod odorem grauem flores habent, & in ceruisia calefaciāt & siccant: nam & inebriant. Ego tamen cū semper priores medici qui Arabes sequuti sunt, tāquam medicamento parumper ab æqualitate per frigidum recēdente vsi sint, & mirum videatur, quin aliquando in eo caliditas deprehensa fuisset à Mesue, non possum hæctenus dissentire, præsertim cū neque id argumētum cogere videatur: nam non puto semper esse nescium flores & folia vel furculos & horum succum similis esse facultas. Succiverò violarum & cucurbitæ refrigerant & humectant: at betonicæ, fumaricæ, steccadis, yuæ vel aiugæ & tussillaginis scabiosæque calefaciunt & siccant, sicut calefaciunt & humectāt, scus buglosi & boraginis. Decocta sequuntur facultates illorum ex quibus conficiuntur. De dilutis verò vel, vt aiūt, infusionib. non plura dicam, cū putem eas quoq; sequi naturam eorundem simplicium quæ macerata fuere. Cū verò neque in his neque in alijs id genus medicamentis nouisse sit satis, eorū facultates quæ ad primas qualitates pertinent, sed & aliarum co-

gnitione est opus, Ideo addo, quòd eorū quæ ex-  
 posita sunt, quædam vim habent aperiendi ob-  
 structa viscera à crassis & lentis succis, imò eorū  
 plura, nec modo quæ calida constituta sunt, ve-  
 rùm & ea quæ frigida natura cōstant. Vnde quæ-  
 cunq; alicuius amaritudinis non sunt expertia,  
 vim habent diffecandi, extenuādi, & tandem a-  
 periendi, vtpote quia amaritudo in tenui substā-  
 tia existit. Aperiunt itaque inter frigida endiuiā  
 & magis cichoreum vel intybus, vt qui amarior  
 sit: oxalis verò, licet amara nō sit, ratione tamen  
 acoris potius aperit: nam & acidus sapor ex Ga-  
 leno quarto de Fac. simp. med. tenuitatis partiū  
 signū est. Præterea rosa, lupulus, nec non & suc-  
 cus mali medici vel citrij, & limonum, eadem ra-  
 tione hæc præstant, vel longè etiam magis: quia  
 vrinam valde cieunt, vt calculas in renibus atte-  
 rere possint. Aperit etiam betonica, vt Galenus  
 & Dioscorides ostēdunt, fumarīa, & stēcas, & y-  
 ua. horum præterea aliquibus adstrictio non de-  
 esse, qua visceribus robur afferre possunt. neque  
 tamen vt idem Galenus eodem de simpl. medic.  
 Fac. dicit, aliquid obstat, quominus vni eidemq;  
 de simplici medicamento ambæ hæ facultates  
 possint attribui: quamuis inter se sint aduersarię  
 nempe adstringens & aperiens, atque à contra-  
 rijis etiam causis ortum habeant, quia non ab eis-  
 dem partibus prodeunt: pleraque enim medica-  
 menta ex pluribus diuersisq; partibus cōstant,  
 &

& illis etiam contrarijs. hoc experientia ostēdit, quamvis sensui non pateat, sed neque alioquin adstrictio, a pertioni est impedimento. Imò ut ibid. dicit Galenus, adstrictio in causa est, ut vim maiore aperiendi habeant: nam præcedunt partes illæ, quæ aperiunt, quippe quæ tenuiorem substantiam habeant: sequuntur verò astringentes: quæ quasi impingendo ulterius & intimius priores impellunt. Adstrictionis ergo particeps sunt endiua, cicoreum, rosa, vel eiusmodi succus, & magis etiam arida: recens enim magis aperit, arida magis astringit: unde cum magis astringere quàm aperire volumus, utimur rosis aridis & syrupo ex illis confecto: cum autem aperire, utimur succo, & tum ex eo, tum ex rosarum infusione syrupis: sed & sumaria particeps est adstrictionis, & stæcas, item betonica ut ex eius viribus à Dioscoride relatis percipi potest. Magis verò astringunt myrtus, malum cotoneum, ita ut vel parum, aut nihil aperiant, præsertim naturalia viscera: astringunt non nihil, & mali citrij succus, & mali punici. De oximellitibus verò & syrupo acetosi, utrorumque simplicium in præsentia viribus non meminimus: nam ea quæ de illis paulò ante literis tradita sunt, satis mihi esse videntur. Quæ autem de syrupo acetosi & oximelitis, vel aceti multo: item de mellis & sacchari differentia dicta sunt, si bene percipiantur, facile quæ intersit differentia patebit inter syrupum &



mel rosaceum: nam mel aliquanto minus refrigerat, magis detergit & digerit, aperitq; , quam syrupus ex succo rosarum confectus, aliquanto fortasse etiam magis astringit. Scilliticum etiam oximel longè maiorem vim habet extenuandi & aperiendi, ex acrimonia & partium tenuitate tum scillæ tum aceti, quamvis in calefaciendo non excedat secundum gradum. Et quatenus quidem ad examen compositionis horum medicamentorum spectat, hæc putarem esse satis potuissem quidem & hæc omnia in suos gradus digerere, quod etiã cognitu maximè medico est necessariũ: sed quia cognita natura simplicium ex quibus fiunt, habitaque ratione mellis & sacchari quæ illis adduntur, facilè quisque de illis iudicium facere poterit. cùm præsertim etiam de his alij multi egerint. Vnde nos hæc omittentes de syruporum usu, ac de eorundem miscella quædã dicemus. Sed fortasse præstiterit, vt prius etiam de compositis appellatis agamus.

*De syrupis compositis & de ratione compositionis eorum.*

*Caput V.*

**D**E compositis syrupis acturi particulatim à frigidiorib. incipiã, ab illis nempe quorum frequentior vsus est in febribus, diurnis præcipuè. nam in illis cum prorogantur

&

& difficilioreſ euadunt, ſolent medici compoſitis ſyrupis vti, vtpote quos valentiores eſſe credunt. & præterea quia febres huiuſmodi plerunque plures coniunctas affectiones habent, quæ multas indicationes varioſque nobis afferunt ſcopos, quibus facilius per compoſita medicamenta ſatiſſeri poteſt. Nam plerunque diuturnæ febres à craſſis & lentis humoribus fouentur, qui attenuandum & detergendum eſſe indicant, adſunt etiam obſtructiones & illæ iam inueteratæ, quæ aperiendum: ſæpe & imbecillitas ventriculi, nonnūquam & iocinoris: primò ergo examinabimus ſyrupum de cicoreo compoſitum, qui nunc eſt in frequentiſſimo vſu. Autor eius fuit Nicolaus Florentinus in cap. de Curandis obſtructionib. qui licet in eius cõſtructione videatur vnum & ſimplicem ſcopum primo inſtinctu habuiſſe, complectitur tamen particulatim plures ſcopos, qui depromuntur tum à varijs affectionibus, tum verò à cauſis: nam cum obſtructio plerunq; oriatur à craſſis aut lentis aut multis humoribus, inſarctis in hoc viſcus, hi primùm ſuas habent indicationes, tum ratione qualitatis, tū quantitatis: quãtitas indicat quòd quo facilius & minori noxa poteſt euacuationes craſſities, & lentor attenuandum, detergendum & ſiccandum, deinde verò quia haſ itius viſceris obſtructiones ſolet ſæpe febris ſequi: vel ſi nulla etiam adſit febris, tamen obſtructiones

intestinorum viscerum cum difflationem commodam eorum quæ in eis continentur humorum impediunt, in causa etiam sunt cur calor exacuatur & increfcat, calidaque inde intemperies contrahatur, quæ & ipsa suam habet indicationem appositam prioribus indicationibus: quia attenuatio, deterfio, & tandem apertio & euacuatio per ea fieri solet quæ calefaciunt. Præterea verò quia in febribus diuturnis laudant auctores, ut & lotia cientur, præsertim verò ubi ceperit aliqua apparere commotio: hoc autem syrupo frequenter in istis febribus utimur, & ideo etiam huius rationem habuit ille qui huius syrupi auctor fuit. Insuper verò quia iecur quod præcipuum membrum est, nobis curandum se se offert: ideo & ab eo etiam sua propria insurgit indicatio, quæ nobis semper significat, ut curemus ne à medicamentis laxetur, & imbecillum reddatur: ad quod præsertim faciunt quæ alicuius astrictionis non sunt expertia. sicut ergo complicatæ sunt indicationes, ita & varia multiplicique materia medicamentorum fuit opus. Unde syrupus hic primò accipit omnia genera cicorearum herbarum, quas Galenus octauo de Comp. medic. per loca, in affectibus calidioribus adeò extollit, ut dicat adeò familiaria esse iecori, quod in calido quidem affectu plurimum profunt, quamuis autem refrigerent, in frigido tamen non nocent. In febribus ergo, & iocinoris obstructionibus

ea ratione profunt, quia refrigerádo quidem intemperiem calidiorem tum febrilem, tum ab obstructione excitatam reprimunt, & aliquátisper contemperant eorum medicamentorum caloré quæ calidiora sunt, vt sunt lupini, radicesq; fœniculi, apij, & asparagi, crassosq; & lentos humores attenuare & difsecare possunt. insunt etiam quæ vrinam cient, sicuti vesicaria, quam Alchachengi Arabes appellant, & Asplenea, scolopendriumúe, polytricum, adianthum, capillus Veneris, & cuscute, in quibus aliqua calida, aliqua satis temperata sunt, aliqua etiam refrigerant. radix verò dulcis lenitatem quandam præterea habet, quæ & ipsa utilis est. Quia verò vt dicebamus rarò diurnæ febres per spontaneas excretiones indicantur, neque etiam facilè valentioribus medicamentis ob ineptitudinem materiæ cedunt: sed vt Auicenna ex Alexandro de promens, dixit: sæpius magis prosperè cedit res, quãdo paulatim sicut humor & corpus parantur, ita etiam leuis sequatur vacuatio. At verò quia non est vna & simplex ratio ea euacuandi, quæ iecur obsident, & omnis diuersitas à natura istius visceris sumitur: nam quæ superiorem & connexam eius partem occuparūt, facilius per vrinam ducuntur, quæ verò cauã, per aluum. ideo in hoc syrupo, præter ea quæ vrinam cicunt, voluit & portionem aliquam rhabarbari imponi, tantum autem, vt ferè quotaquæq; vncia scrupulum ac-

cipiatur, nempe ut si quid ab alijs medicamentis  
 aptum ad excretionem sit factum, id leniter &  
 faciliter sine argitatione eorum quæ cienda  
 sunt, & nondum parata educatur. Vnde solent  
 medici prius hoc syrupo citra rhabarbarum uti,  
 mox verò ubi iam humor coqui cœpit, rhabarba-  
 rum addere. Neque his quæ hætenus sunt ex-  
 posita id obstat, quod est frequens, in ore me-  
 dicorum, nempe contra rationem esse contra-  
 rias motiones vacationesque moliri: quia il-  
 lud verum quidem est, quâdo motiones illæ in-  
 signes adeò, & validæ sunt, ut altera alteram im-  
 pedire possit. Rhabarbarum autem præter id  
 quod leuis est & facilis, medicamêta eius etiam  
 modica copia imponitur, ut nullam insignem  
 motionem comitare possit: imò nō nisi facilem  
 & paratam materiã mouere. huic accedit, quod  
 mirificè vêtriculum roborare potest, iecur & re-  
 liqua tandem viscera. Si autem singulatim per-  
 pendere velimus medicamenta, ex quibus hic  
 syrupus factus est, nō modò in obstructionibus  
 iocindris utilis esse poterit, sed & lienis: nam &  
 Asplenû quod citrachi appellât, & cuscutzæ, sunt  
 medicamenta lienis familiaris. Syrupus quoq;  
 de endiuia compositus, paratus reperitur apud  
 nostros seplasiarios, præsertim ex institutione  
 Gentilis, qui fit ex tribus libris succi de endiuia  
 ad ignē depurati & clarioris redditi, & totidem  
 hepaticæ herbæ, antiqui lichenem nuncupave-  
 re:

re. Creditur autem à iunioribus, quòd hæc herba in affectibus calidioribus plurimùm prodest aperitq; obstructions, quâuis antiqui non tantillam fecerint. ipsam quidê refrigerare ait Galenus & exiccare, & aliquid præterea deterforij habere, vnde neque præter rationem est, quòd vim etiã aperiēdi abstructions habeat, & aliquã etiam digerendi, cùm illita curet ictericos, nisi fortasse quis dicat curare ictericos laborâtes inflammatione & intemperie calidiori iocinoris. Illis autem succis addit Gentilis,

Rosas,

Violas,

Folia lenticulæ aquaticæ,

Flores nymphææ,

Polytricum, sing. 3. quinque.

Capillum Veneris,

Ordeum mundum,

Semina communia frigida, sing. 3. j.

His deinde, confecto syrupo, addunt:

Sandalos albos & rubeos, & berberos ab Arabibus appellatos,

Semina cotoneorum,

Lignum aloes,

Cinamomum,

Cortices citri, sing. 3. j.

Mihi quidem hic syrupus quamuis multi evantur frequenter in tertianis nothis & in aperiēdis iocinoris obstructionib. videtur lôgè prio

ri ex cicorea infirmior, & minorem vim attenuandi & aperiendi habere, atq; maiorem refrigerandi, si mutuo-simplicia vtriusq; conferantur. Vnde putarem ad tertianas diuturnas & validas obstructions priorem esse preferendum, vtpote qui magis possit attenuare, digerere, & aperire, urinam ciere, sed vbi maior esset opus refrigeratione & roboratione, hic esset accommodatior. Quia verò etiam quidam vtuntur syrupo ex hepatica à Francisco Pedemòtano composito, qui ex herba lichene conficitur, & lenticula aquæ, additis floribus violarum, rosarum, cucurbitæ, illisque ex succo malorum punicorum irroratis, & aromatizatis (vt aiunt) ex dragma iunci odorati. item & sandali, spodij que, & addito saccharo conficitur syrupus: hic tamen in multo vsu non est, sed potest esse magis in vsu ad temperandam calidam iecoris intemperiem, quàm ad obstructions aperiendas: nihil enim accipitur quod aperiendi vim habeat, præter iuncum odoratum, cuius tamen non admittit copiam insignem: vnde febribus tertianis exquisitis potest accommodari, nothis verò, & alioquin diuturnis non admodum. Sed accedamus iam ad eos syropos frigidos, qui pectori atque spiritualium membrorum affectibus sunt familiares: primò autem agamus de eo qui ex papauere nigro & albo componitur. Author est Mesue, & duæ sunt satis variz cõpositiones in Mesues Antidotario.

Alteræ

Altera prior & simplicior, quæ potius ad præcedens caput pertinet, altera quæ est compositior. Prior fit ex decocto capitum papaueris, tum nigri, tum albi, addita pari copia sacchari & penidiarum ad consistentiam syrui ducatur, refrigerat imprimis tum humectat: vnde utilis est ad conciliandum somnum: ex quo in biliosis febribus potest in usum venire, quando vigilia nimis esset importuna: nam quia medicamentum frigidum est & humidum, in causa esse potest vt capiatur somnum, & temperat calidos. etiã, siccos acresque vapores, qui vigiliam afferunt. Item confert maximè in destillationibus calidis & acris. potest etiam aliquanto asperas arterias lenire, & tussi ab acro & calido humore excitatæ conferre. Tamen secunda descriptio quæ in frequentiori usu est his temporibus, sicut prior veteribus erat, maiorem vim leniendi peccus habet: nam capitibus papaueris addit capillum Veneris, radicem dulcem, sigipha, semina lactucæ, malucæ, cotoneorum malorum, quæ omnia asperitates, præsertim verò pulmonum delinire & leuigare possunt mirificè, & cum alia refrigerent, radix dulcis & capillus Veneris modici & temperati caloris sunt: vnde in affectibus particularum quæ respirationi inserviunt, maximè verò si fuerint excitati ex acriori & tenuiori destillatione exasperante vias spiritus, maximè conducere potest. laudatur ergo rectè tanquam tussi aridæ impri-



mis utilis, nam sistere refrigerando & incrassando destillationem potest præter lenitatem quam inducit. Potest interdum & febricitantibus prodesse, præcipuè verò ex bile putrescente, tenue, & plurimum acri excitata febre, sed magis etiam si comitem habeat vigiliam immodicam & importunam: nam facultatem imprimis habet somnum conciliandi. In vniuersum autem eius usus maximè esse potest utilis curandis vel delinendis omnibus affectionibus, quæ oriuntur à materia acri, tenui & mordaci: sicut ardor vrinæ se habet & huiusmodi aliæ affectiones, quales sunt erosiones oris, faucium, nariumque. Succedit syrupus deiniubis, propterea quòd in primis ex zingifis conficiatur. Facultate verò parum à priori euariat: cõponitur enim additis ad zingifa vel ad iuiubas, numero sexaginta (nam mihi eorum probatur emédatio loci in Mesue, vbi videtur velle vt accipiantur lib. x. nam cùm L. aliquando libram significet, aliquando sit nota significans quinquagenarium numerum, succreuit mendum, & cùm LX. significet sexagenariũ numerum, simul duabus illis literis iunctis, inscitia librariorum illis separatis factum est, vt omnes deinde penè legerint libras decem.) His ergo addendum tragacantum,

Semina cotoneorum,

Papaueris,

Melonis,

lactucæ,

Luctuæ, ſing. ʒ. iij.

Capilli Veneris, ʒ. j.

Seminis lini,

Maluæ,

Flores violarum, ſing. ʒ. v.

Radicis dulcis, ʒ. viij.

Et totidem ordeï mundi à cortice, quæ coquantur in lib. iij. aquæ, & ex ſaccari libris ij, fiat ſyrupus. Is proinde vt prior refrigerat & increſſat: leuigat autem ſiue lenit partes reſpirationi miniſtrantes, ſi quâdo ſint à calida deſtillatione exaſperatæ. Vnde præcipuè ſolet eſſe vtilis in calidis affectibus vt tuſſis eſt, quâdo à calida & acrimateria excitatur, vt etiam pleuritis: in pleuritide enim ego præfertim in principio hoc vti ſoleo, & ſæpius quidem feliciter. In frigidis autem non item, aliquanto tamen minus quàm prior refrigerat increſſatura & minuit, etiâ fluxionem fiſtit. Quidam præterea eo vûtur in ardore vrinæ, & vlceribus veſicæ, quibus & Auicenna agens de iuiubis videtur atteſtari, qui hos fructus in vitijs pulmonum & vlceribus veſicæ vtilis eſſe dicit, quorum ſententia mihi probatur, non obſtante quòd Galenus in ſecûdo de alim. Fac. cap. de ſericis affirmet, ad tuendam ſanitatem vel proſtigandos morbos, nullam momêtum habere: nam neque arbitror verba illa ad inſtitutum noſtrum facere, vt pote quia de illis loquitur ſub ea ratione qua in cibos veniunt: neque enim ea

ibi reprobatur, nisi quia cibi mali sunt, & modicum alimentum comedentibus afferunt, & quod sunt concoctu difficiles, neque ventriculo commoda: nam neque ad alui deiectiones, neque ad eam sistendam faciunt. non loquitur autem de his quod ut medicina ex decocto, vel alia simili ratione non possint esse aliquando utiles, praesertim cum optimè matura sunt: nam & vulgus ab experientia ductus, vtiliter in tussibus calidis solet eorum uti decocto: & iuniores etià eorum usum in multis medicamentis laudant. Succedit modo syrupus violaceus, qui compositus dicitur, qui & ipse simili facultate praeditus est, nisi quod differunt: quia qui ex papauere dicitur: his duobus sequentibus magis refrigerat, incrassatque: mox qui iuiubinus est dictus: minus autem ambobus illis hic, refrigerat tamen & ipse, lenitque exasperatas partes à calidiori fluxione, praesertim verò pulmones & partes ad ipsum pertinentes: sed in calidis affectibus praesertim oris, faucium, & partium per quas vrina delata solet mordere, & veluti vrere. Frequentissimus autem eius usus est in pleuritide & peripneumate, quamuis etiam in exquisitis tertianis non esset inutilis. conficitur ex violis pondere duarum vnciarum, seminibus cotoneorum & maluarum, sing. ʒ. j. Triginta autem tum iuibis tum sebesten, coctis verò & colatis, & eorum decocto addito saccari sexquilibra. Fit syrupus vtilis ad illos affectus ad quos & priores.

Siquitur

Sequitur syrupus Bizantinus à Mes. dictus, qui in frequentissimo est usu ferè apud omnes, neq; si eius compositionem examinemus, est vnus tantùm facultatis, neque semper easdem vires habet, sicuti neque vna & simplex est compositionis ratio: nam prior & simplicior compositio accipit succos endiuizæ, Apij, sing. lib. duas, quibus omnibus coctis & depuratis, ad confectio- nem syrupi addendum est, album saccharum eo pondere, vt quatuor libris succorum addantur libræ duæ sacchari & semis. hunc nonnulli sim- plicem bizantinam vocant, alij sine additione, aliquãdo verò ex instituto Mesue. semissem aceti albi iniiciunt ad succorum pondus, atque in communi usu est. bizantinus cum aceto nuncu- patur. Tertio verò & aliquando hæc succis in- coquenda indunt rosarum, ʒ. ij.

Radicis dulcis, ʒ. v.

Spicæ nardi, ʒ. ij.

Anisi,

Fœniculi,

Seminis apij, sing. ʒ. iij.

Dicitur verò bizantinus completus, aut cum ad- ditione. Differunt hæc tres compositiones, tem- perantia, viribus & efficacia: nam prima compo- sitio est temperata, vel si temperamentum exce- dit, modicè excedit quatenus ad primas qualita- tes pertinet, in reliquis modestè attenuat: nam & endiuizæ succus & apij, & lupulorū vim atte-

nuandi & aperiendi babent, aliquam & borago, Saccarum verò aliquam detergendi. Cùm verò acetum additur, vis quidem attenuandi & secandi & aperiendi augetur, non tamen calefaciendi: nam acetum potius refrigerat: additis autem reliquis rebus, fortior in alijs omnibus redditur, cùm & aliquanto magis calefaciat, non tamen multum: nam quamuis anisorum, fœniculique & apij femina, satis calefaciât, & spica: rosarum tamen copia quæ aliorum omnium pondus superat, potest eorum calorem non parum temperare, & radix dulcis cùm propè temperiem accedat. sed & lenitatem quâdam vtilem sanè potest medicamento impartiri, non autem eius temperamentum in primis qualitatibus mutare. Sed ex rosis, & spica præter alia cõmoda, hoc etiam habet, quòd possit non parum roborare ex eorum modesta astrictione, viscera interna: præsertim ventriculum & iecur à diuturnis febribus laxiora & imbecilliora reddita. Si ergo rem rectè examinemus, cùm primùm sit transitus in febribus putridis, ab illis simplicioribus syrupis, quia iam maiori ope sit opus, & fortioribus medicamentis ad apparandas materias fouentes febrem, & ad eas concoquendas, quia iam difficilior videatur facta & pertinax: quia aut per assationem facta sit crassior, aut quia sæpe inter initia tenuiores & faciliores humores putrescunt, mox verò crassiores: aut quia membra naturalia  
à calore

à calore extraneo & febrili facta sunt imbecilliora: & ideo crassiores & crudiores gignunt humores: aut interdum natura ex vitiosa temperata & aucto calore, exustos, & in naturam melancholici succi vergentes procreat: primus transitus plerunque fieri solet ad syrupum bizantinum simplicem, mox illi addunt acetum, postea verò ad syrupum acetosum còpositum appellatum, vel ex duabus radicibus de quo paulò post sumus loquuturi, vel ad eundem citra acetum: sed cum aceto maiorem vim attenuandi & aperienti habet. Ab hoc autem solet fieri transitus ad bizantinum, cum additione vel completum, quo etiam fortior est acetosus ex quinque radicibus, additis præterea seminibus. Sunt autem diversi hi syrapi, qui eundem ferè scopum atque eandem indicationem respiciunt, efficacia tamen & viribus differunt, & id quia non semper eadem omnino ratio est earum affectionum, & earum materiarum quæ fouent ipsas febres: nam & obstructions interdum maiores & difficiliore sunt, ita & humor qui quasi causa antecedens febrè fouet, aliquando crassior & lentior est: aliquando minus. Et quia remedia vel medicamenta cum morbis & eorum causis sunt conferenda: ideo & pro eorum ratione sunt immutanda. Sed dicamus pauca de syrupo acetoso. Conficitur ex decocto radicum fœniculi, apij, endiuivæque, iniectis singularum earum vncijs trib. libris decem

aquæ, additisque feminum anisi, fœniculi, apij,  
 singulorum ꝑ. j. at feminis endiuizæ, ꝑ. v. hæc o-  
 mnia ad medietatem aquæ coquantur, & mox  
 extribus libris sacchari fiat syrupus, cui vbi per  
 despumationem inclaruerit: additur acetum si-  
 cut de bizantino diximus. Si consideremus  
 hic est aliquanto calidior bizantino, & eo maio-  
 rem vim attenuandi habet. Sed & calidior & va-  
 lētior in his ille est, qui ex quinque radicibus vul-  
 go appellatur. his enim accedunt radices petro-  
 selini, brusci, asparagiq;: in reliquis autem fit si-  
 cut ille ex duabus radicibus, qui temperatior e-  
 uadit additione radicis endiuizæ atque feminis  
 eiusdem. Postremò verò inter syrupos qui ace-  
 tosi dicuntur & compositi, est qui à Mesue ace-  
 tosus Diarodon appellatur, & quo præcipuè vti-  
 tur medici in diuturnis febribus, tertianis, spu-  
 rijs, quas fouent difficiles viscerum obstructio-  
 nes, maximè iocinoris, sed etiam lienis, vbi eo-  
 rum viscerum sit tanta contracta imbecillitas, vt  
 iam febricitates in malum habitum, quem Græ-  
 ci cachexian dicunt, procliues esse videantur: nā  
 vim non exiguam aperiendi, & crassos humores  
 attenuandi habet, præterea languida viscera ro-  
 borandi: tamen si rectè velimus hanc compositi-  
 onem, cum illa bizantini conferre, parum hæc  
 ab illa diuersa est: nam illa succum boraginis &  
 lupulorum accipit, quibus hæc vacat, & hæc  
 femina endiuizæ, quæ illi desunt. Vnde illa ex-  
 stis

astis melancholicisque, est accommodatior  
 excrementis, in reliquis verò parum viribus &  
 facultate discrepant. Sunt itaque hæ confectiones  
 syruporum febribus, quæ à crassis lentissime  
 succis fouentur, atq; omnibus affectibus ex ob-  
 structionibus excitatis, vel qui adiunctas visce-  
 rum obstructions habent, in primis oportune;  
 sed & in vteri affectibus ab eadem causa pendentibus.  
 Et quamuis Hippocrates tertio de Rat. vic.  
 in acut. morb. vsum aceti in affecto vtero ob-  
 ueam eius naturam videatur habuisse suspectum,  
 non tamen propter hoc plerique medicorum pu-  
 tarunt, omnino hos syrupos esse reiiciendos qui  
 acetum recipiunt, præsertim in eius vitijs à fri-  
 gidioribus & crassioribus succis orientibus, dum-  
 modo modestus sit, sed potius illos in acutis &  
 dolorosis morbis, vt sunt inflammatio: præterea  
 in vlceribus declinandos esse putarunt. Sed iam  
 agamus de alijs syrupis qui absque aceto fiunt,  
 & ijs præcipue qui sunt in frequentiori vfu, &  
 vbiq; parati reperiuntur. Primò autem syrupum  
 de Eupatorio à Mesue descriptum exponemus,  
 vt pote qui cum his de quibus hætenus à nobis  
 actum est, viribus, non parum sit similis, nisi for-  
 tè quòd hic prioribus omnibus, in aperiendis  
 obstructionibus roborandisque afflictis ex diu-  
 turno morbo visceribus, præstat, vt possit & a-  
 quam intercutem aut curare aut saltem illi plu-  
 rimum prodesse, qui eo affectu sit implicatus.




Conficitur autem acceptis duabus vncijs, singu-  
latim harum radicum, nempe

Apij,  
Fœniculi,  
Endiuicæ,  
Radicis autem dulcis,  
Iunci odorati,  
Cuscutæ,  
Absinthij,  
Rosarum, sing. ʒ. vj.  
Capillorum Veneris,  
Spinæ albæ,  
Spinæ Arabicæ,  
Florum aut radicum buglossæ,  
Seminum fœniculi,  
Aniforum,  
Eupatoriij, sing. ʒ. v.  
Rhabarb.  
Mastichæ, sing. ʒ. iij.  
Spicæ,  
Assari,  
Folij, sing. ʒ. ij.

Atque his omnibus ex x. lib. aquæ vsque ad con-  
sumptionem tertiæ partis, decoctis, additisque  
præterea lib. iij. saccari illis, decocto percolato,  
fit syrupus qui vim insignē aperiēdi & attenuā-  
di habet, præterea addendi robur visceribus in-  
firmioribus, & id ex astrictione ex iunco odora-  
to aliqua, absinthio, rosa, & alba illa spina, eupat-  
torio,

torio, rhabarbaro, mastiche, spica & folio. Longè tamen in eo maior est vis attenuandi & aperiendi, quàm astringendi. Vnde duplex est illi commoditas ex astringentibus: primo, quod roborat membra ex morbo facta laxiora: deinde quòd astrictio, ex Galeno de Fac. simp. med. quãdo vis aperientium non superatur ab astringentibus, potius aperientia adiuuat. Ideo mihi non probantur quidam ex Iunioribus, qui suo pharmacopolæ consulebant, vt in parando hoc syrupo, pro spinis illis adderent aliquid quod aperiret potius, cum scopus syrapi sit aperire. Sed neque in hoc etiam multam vim facerem, siue verum iniiciatur eupatorium, cuius Græci meminere, siue illa herba, quã Mesue descripsit in suo tractatu de Simplicibus medicamentis: quia vtrunque si gustu & recta ratione examinetur, vtile est medicamētum: nam amaritudinem cum aliqua astrictione habent, cui accedit & experimentum: nam syrupus is cum suo eupatorio in vsu & apud Arabes & apud nostros diu felicissimè fuit. Neque adeò etiam morosus essem, vt si cui agrimonium magis probaretur, propterea de viribus & præstantia plurimum detractum esse crederem. Magnã vim habet roborandi viscera, presertim ventriculũ, maximè vbi deiecta sit cibi appetētia, syrupus qui vulgo dicitur de Absynthio. non est tamen ea aperiēdi facultate præditus, qua prior est, maiori autem adstrictione,

T 3



& minori etiam vi calefaciendi. Possit esse utilis in febribus illis, in quibus laxior & languidior est ventriculus, vt tamen eo non vtamur inter initia dum valde excrementis & multis obstructionibus scetet corpus, sed posteaquam & aliquantisper fuerit aliqua ratione vacuatum, & cōcoctio aliqua visa fuerit. Aliqui excellentissimi medici in fluxu alborum menstruorum ab vtero suppressione sunt feliciter vsi: neque hoc est præter rationem, quia affectus ille aut ortum aut fomentum à ventriculo habere solet, præsertim quando alba & pituitosa excernuntur. Alij etiã in laxitate & imbecillitate intestinorum laudant. Componitur autem accepto absynthio ad libram semis.

Folijs rosarum, ℥. ij.

Spicæ, ℥. iij.

Quæ in lib. ij. & semisse vini antiqui boni & odorati, totidemq; succi cotoneorum, primùm per diem & noctem macerantur, postea coquuntur ad medietatem: moxq; additis lib. ij. mellis.

Syrupus iste multam affinitatem habet cum syrupo de mētha, præsertim in roborando laxum & infirmum ventriculum, atque in eius incommodis succurrendo.

De hoc syrupo de mētha iam agamus. Constat ex succis tum cotoneorum amborum generum, nempe dulcium, & illorum quæ austera dicuntur, tum etiam malorum punicorum: trium

item

Item generum sing. sexquilibra, illis omnibus: deinde addatur sexquilibra méthæ aridæ, & rosarum 3. ij. Quæ omnia per diem ac noctem macerata mox coquatur ad medietatem: postea lib. ij. sacchari vel mellis additis, tandem fiat syrupus, & postea aromatizatur, vt aiunt, ex gallia moscata. Hic syrupus si rectè perpendatur, non est calidus, vel parum admodum: nam etsi méthæ propè tertium ordinem calefacientium ascendar, ea tamen est succorum copia, in quibus est concoquenda, vt possit vel parum calefacere, vel etiam refrigerare: quo fit, vt non possim non admirari quod Iuniores quidam scripserunt, commodum esse syrupum & aptum ad remouenda mala ventriculo molesta: si ex frigida causa ortum habet, quamuis postea addant, quòd etiam ventriculum roborat calido affectu laboratè, quæ non facile mutuo coherere possunt, nisi fortè dicamus, quòd cum temperatum sit medicamentum, potest in contrarijs etiam affectibus esse vtilis. Equidem non negauerim posse esse vtilem, præsertim in misto affectu, & pendente à materia mista, vt etiam bilis spuria: nam cum satis copiosam materiam accipiat, quæ, vt ait Galenus tertio de Fac. simpl. medi. tenuis est substantiæ, vel partium tenuium, si quid aliud attenuare potest & scicare crassas materias, & flatus etiam discutere, & facultate astringente, qua omnia prædita sunt, quæ in hanc veniunt compositionem, fir-

mare poterit & colligere laxiorem fluidumque ventriculum. Non tamen minus putare prodesse posse, vbi calida sit materia, tenuis & acris: nã copiosi succi, & omnes quidem frigidi, eius calorem temperare possunt, cum longo interuallo superent portionem mentæ, ac astringendo & colligendo ventriculum eum reddere ineptiorem ad eam materiam absorbendam, quæ absorpta potest, & morsum vellicando & fastidium, & singultum, & vomitum proritare: sed si qua etiam particula infigatur, & absorbeat a tunicis, facile metha tenuitate sua penetrans in intimas partes, illam digerere & discutere possit, vbi neque vis astringens, vt sæpe diximus, obstare poterit. Vnde ego sæpe in febribus etiã acutis, cū ægrotantibus molestus est singultus, & fastidium vel nausea, à bilioso etiam & acri humore excitata, hoc syrupo vti soleo, & eo non confertim, & in magna copia exhibito, sed potius ex cocleari paulatim.

Syrupus de betonica cõpositus facultate non est plurimum ab his diuersus, qui paulò ante sunt descripti, nisi quòd illis omnibus magis calefacit, attenuat, digerit, detergit & aperit. Vnde validum est medicamentum ad cienda lotia & menstrua, & potest plurimum in affectibus capitis, oculorũ, & interiorũ viscerũ, vt vetriculi, iocinoris, lienis, vteri, & reliquorum, si orientur à frigido & crasso humore. Betonica enim ruta,  
cheli.

chelidonium, leuisticum, pulegium, camædris, ros marinus, origanū; folia lauri, saluia, hisopus, rubia tinctorum, quorum sing. accipit manip. semis. Præter euphragiam & fragriam omnia calefaciunt, attenuant, flatus discutunt, menses & urinam euocant. sed quia item omnia deficcant, radix dulcis his additur, quæ lenitatis & humiditatis aliquantulæ particeps est, vt aliorum simplicium asperitas aliquantisper leniatur: sed & semina anisorum, fœniculi, ameos, petroselini, anethi, quorum sing. ꝑ. j. accipit, itidem vim habent attenuatoriam. Vnde & aperiūt & urinam citant. Vt tamen aliquantulum hæc calidiora & ficciora temperentur, additur sem. lactucæ ꝑ. j. ad lenitatem verò & humectationem conferunt & buglosi flores: refrigerant autem & rosæ, sing. autē eorū vcijs quinq; accipit, præterquâ quòd etiam sua astrictione robur viscerum & particularum seruare potest, quæ ab illis calefacientibus & digerentibus, alioquin minus laxatæ imbecilliores redderentur, quamuis enim aliqua eorum non sint omnino astrictione expertia, non tamen videbatur illa esse satis. Cùm autem non sit admodum in frequenti vsu hic syrupus, non erimus in eius expositione longiores. Vno hoc tantùm addito, quòd eius vsus non admodum congruus esse potest in vitijs eorum affectuum, quibus accommodari potest, cum nimis validam vim habeat: nam semper ferè præstat curationem à

leuiorib. aufpicari, diuturnis autem factis morbis, quando hæc non sunt fatis, ad fortiora manus admoüere. Tranſeamus ad ſyrupum ex ſtæcade compoſitum.

Hic vim inſignem attenuandi, digerendi que, etiam è profundo materias craſſas, impactas particulis extrahendi habet. Cõponitur. n. ex multis quæ calefaciunt, & exiccant, & tenuium partium, vel tenuis ſunt ſubſtantiæ: qualia ſunt imprimis, pyretrum, piper, zingiber, origanum, calamentum aniſum que, à qua natura neque ſtæcas & tymus ſunt aliena: ſed & aromata quæ deinde adduntur, quando appellatur ſyrupus ex ſtæcade cum additione, vel cum aromatib. omnia calefaciunt, tenui que ſubſtantia cõſtant. Vnde maximè eſt vtilis ex omnium ſententia affectibus à pituita craſſa & lenta, præſertim verò capitis & neruorum, & maximè illis, qui à craſſa & frigida deſtillatione excitantur & fouentur: tales enim humores ipſe attenuat & calefacit, & digerit, eorum que copioſam humiditatem deſiccando tandem poteſt finire, & ſi impacti in neruos vel articulos ſunt, inde euellere.

Accipit autem ſtæcadis, ʒ. xxx.

Origani,

Tymi, ſing. ʒ. x.

Calam. Pyretri,

Aniſi, ſing. ʒ. vij.

Piperis longi, ʒ. iij.

zingib.

Zingib. ʒ.ij.

Passularum exacinatarum, ʒ.iiij.

Ex horum autem decocto, additis libris quinque mellis, fit deinde syrupus, qui sine aromatis vel sine additione dicitur, & id quia interdum dum illa coquuntur, adduntur quædam aromata raro linteo ligata simul coquenda, nempe cinamomum, calamus aromaticus, nardus, crocus, zingiber, piper longum, & præterea nigrum, singulorum ʒ. v. Quidam dicunt hæc esse addenda ut calidior euadat syrupus, ac sit efficacior in affectibus frigidioribus, quod mihi non placet: nam si ea adderentur quæ maiorem vim calefaciendi haberent, putarem ijs additis, quod medicamentum magis calefacerët: verùm cum omnia quæ in priori ordine sunt, ferè ad quartum vel saltem ad tertium ordinem calefacientium accedant, neque ea quæ insuper addunt, aut plura aut calidiora sint, non puto quòd magis calefaciant ijs additis: nam calamus aromaticus, nardus & crocus vix secundum ordinem ascendunt, piper verò longum & nigrum, & zingiber, licet insigniter calefaciant, prima tamen confectio, & pyretrum, & zingiber, & longum piper accipit copiosum, ut illud præterea addamus, quòd nigrum piper, etsi videatur plus caloris habere longo, illud tamè cum in tenuiori substantia, quàm in longo fundetur, citius digestus euanescit, quàm ut possit multum calorem imprimere. Unde pu



to non hac de causa hæc esse addita. Nigrum enim piper illi additur, vt quamuis eius vis præ partium tenuitate citò dissoluatur, tamen antequam dissoluatur adiuuat eorū penetrationem in intimiores partes, quæ deinde vim calefaciendi diutius integras seruare possunt, sicut longū piper & zingiber, quæ propter hoc repetita sunt in hac additione. Crocus verò & concoctoriam vim habet, quæ non parum utilis esse potest, vbi morbus à cruda & crassa materia oritur: nardus autem, calamus aromaticus vnà cum croco in tanta copia eorū quæ digerūt & attenuāt, & calefaciēdo laxāt ea, astringēdi mediocri facultate quam sua natura habent, possunt viscerū & particularum robur seruare. Cinamomum deinde suauis suo odore, spiritus fouere & vitalem facultatem potest, præter id quod omnem ferè malorum humorum maliciam corrigit, & obstat, quo minus putrescāt. Sed dicamus de syrupo qui ex corticibus citri fit. Hic capiti imbecillo non parum quoque conducit & ventriculo & omnibus visceribus, præsertim verò cordi. In affectibus tamen frigidis, quamuis si Galeno credimus, vbi de partibus mali citri agit, non plurimum calefaciat: odore siquidem grato naturæ illorum non parum familiare est, amaritudine autem potest & calefacere & attenuare, sed etiam concoctionē iuuare, vt secundo de Alim. facult. dicit Galenus. Non conficitur autem ex tot simplicibus hic syr-  
rupus

rupus quin & inter simplices recenferi non pof-  
fit, fed hoc nihil refert. Modus confectionis eſt.  
decocta libra corticum ex lib. v. aquæ ad cõſum-  
ptionem duarum partium, & addita libra ſaccari  
fiat ſyrupus, qui deinde conditur vel aromatiza-  
tur ex granis quatuor muſci, aliqui autẽ ex Me-  
ſue dum coquitur addunt huic ſyrupo ſacca-  
rũ, decocto ex corticibus addunt aliquam por-  
tionem corticum, item citrij coquendorũ ſimul  
ex ſyrupo. Quod ſi fiat, vires maiores habebit,  
ſederit minus gratus quia amarior. Quidam e-  
tiam ſericum coccineum cum eo ſyrupo coquẽ-  
dum ponunt, & id quia omnes Arabes putant  
quòd ſericum illas vires habeat, vt cordi pluri-  
mũ & ſpiritibus recreandis conducatur, & lon-  
gè etiam magis ſi cocco tinctorio fit infectum, vt  
inſinuatur Meſue, quamuis Auicenna illud cru-  
dum magis laudaffe viſus ſit. Græci tamen hæc  
non tanti fecere: nam ſericum in materia medi-  
cinali non poſuere, neque etiam coccum infe-  
ctorium, illis qualitatibus, quas Arabes putant,  
præditum eſſe opinati ſunt, ſed facultate aſtrin-  
gendi & citra morſum deſiccãdi. Vnde & in ma-  
gnis vulneribus, præſertim neruorum vtile eſſe  
medici cenſuere, & mulieres has vires in ipſo  
nouere, præcipuè obſtetrices: quæ illo in pul-  
uerem redacto cum modico thure aut maſtiche  
ex ovo ſorbili ſorbendo vtuntur in prægnanti-  
bus, ſi timeant futurum abortum. Sed iam de ſy-

rupis commodis humori melácholico agamus: vel is ex affatione & exustione sit genitus, vel fex sit sanguinis: neque ineptus est hic transitus, quia & præcedens syrupus multis affectibus ex hoc humore non est ineptus. Cùm enim in istis melancholicis affectibus, & caput, & cor, frequenter malè afficiatur, vt in melancholia & furore seu mania, tum etiam ventriculus, vt in hypocôdricis, his omnibus præcedens syrupus non parum quoq; cõducit. Sunt autem hi syrapi primò ex fumaria compositus ex pomis regis Sibar, ex pomis cõpositis & ex epythimo, q̄ omnes à Mesue describuntur. In hoc verò hi syrapi conueniunt, quod præterquàm quòd vim habent parandi materiã adultam biliosamq̄ue, iam ad atræ bilis naturam vergat, & balsam etiam acréq; pituitam. multa enim accipiunt quæ demulcent siccitatem & asperitatem horum vitiosorum humorum, eosq̄ue deliniunt: habent etiam licet nõ insignem aliquam vim soluendi. Vnde eorum plerique si aliqua copia exhibeatur, satis mediocrem citatæ aluo moluntur purgationem: sed & aliqua insuper accipiunt quæ attenuant & obstructions aperiunt. Sed particulatim de his agamus. Syrupus de pomis Regis Sibar cõficitur ex duabus libris succi domesticæ buglossæ, & totidem syluestris, tribus verò succi malorum dulcium, in quibus folliculorum sæne vnciæ quatuor, per diem sint maceratæ, ac vnica ebullitione

litione ebullierint. mox collatis & additis lib. iij. sacchari albi fit syrupus, ita tamen dum hæc coquuntur croci ʒ. iij. in linteo deligatæ adiciantur, & fricetur sæpe lintheus, vt vis croci facilius excipi à medicamento possit. Vtilis est ad humoré melancholicum temperandum: nam succi illi buglossæ vtriusque, id est buglossæ nunc dictæ & boraginis, temperata quadam & leui calefactione, & præterea humiditate id præstare potest: succus verò malorū dulcium & bene olentium, & ipse humidus est, & aliquem calorem, ex secundo de alim. fac. inclinat. sed & cordi est admodum gratus eius suavis odor, quo cor præcipue, & eius spiritus fouentur & recreantur, cuius in melancholicis affectibus multa ratio habenda est semper: sæne uerò additur vt si quid illius humoris sit, quod iam paratum sit, nec sit admodum pertinax, facile & paulatim sine agitatione earum partium, quæ nondum ad euocationem sunt aptæ, educatur. Vnde in quartanis febribus, & reliquis affectibus melancholicis is syrupus in maximo est usu. Incipimus autem primo à syrupo de pomis simplici, mox ad hunc accedimus cū gradatim progredi uolumus. Syrupus uerò de fumaria qui uel maior uel compositus solet appellari, hoc modo fit:

Primò fit decoctu ex mirobalan. Citrinarum & chebularum, ʒ. xx.

Boraginis,

Violarum,  
 Absyntij,  
 Cuscute, sing. ʒ. j.  
 Radicis dulcis,  
 Rosarum, sing. ʒ. v.  
 Epithymi,  
 Polipodij, sing. ʒ. vij.  
 Prunis centum,  
 Passularum, Semilibra.  
 Tamarindorum,  
 Cassiæ, Fistulæ, Aegyptiæ, sing. vnc. ij.

His omnibus decoctis usquequo pars tertia assumatur, decocto percolato additur succi fumarie cocti & despumati lib. iij. & totidem faceri, & fit syrupus.

Merito quidem laudatur hic syrupus, qui roborer uiscera, præsertim uero uentriculum & iecur: nã absynthiũ, rosę & passulæ possunt id optime præstare, quę & obstructions, iocinoris reserare possunt. Cuscuta uero poteter obstructions lienis aperire creditur, habet uero aliquam vim purgandi ex mirobalanis citrinis & chebulis, quorũ satis magnã copiam præ alijs accipit, & eas adiuuant excitantq; epythimũ & polypodium. & cum citrini mirobalani bilem flauam imprimis educat, & chebulæ tenuem pituitam, epithimi & polypodium illis vim addunt, ut & crassiores humores tum exustos, tum falsos possint præterea euacuare. Cassia quidem adiuuat  
 & ipsa

& ipsa sua solutoria facultate: sed magis modo substantiæ lenitateq; siccitatem eorum medicamentorum demulcendo, sicut & tamarindi, & passulæ, & radix dulcis: flores boraginis & violarum, & præterea pruna, quamuis & refrigerent vt & tamarindi: per eam verò facultatē qua purgant eductis salis & exustis humoribus. utilis est eius vsus cutaneis affectionibus, vt sunt species lepræ & impetiginum, vtpote quia licet nō insigniter euacuet, paulatim tamen & sæpe attrahendo ad inferiorem aluum, eos auertit, acutè & assiduè facit vt ad aluum inferius ferantur, quo fit deinde vt cutis libera ab ingruētibus in eam humoribus euadat. Is autem est ordo in his cutaneis affectibus, vt priori vtamur syrupo simplici ex fumaria, mox verò cum inueterascit affectio & fit difficilior, ad compositum accedamus. Sed & in affectibus à morbo Gallico aliquod fomentum habentibus, utilis & frequens est apud medicos huius syrupi vsus. Syrupus ex pomis compositus dictus describitur à Mesue cap. de curanda mania & melancholia: ita autem se habet. Recipe capillos Veneris,

Radices vtriusq; buglosi,  
 Flores earumdem,  
 Polipodij, epitimi, sing. ʒ. j.  
 Folliculorum senę,  
 Camæpitheos,  
 Stæcados, sing. ʒ. vij.

Camepitæos,

Schenanthi,

Ellebori nigri, ſing. ꝑ. iij.

Fumariæ, ꝑ. viij.

Eupathorij, ꝑ. iij.

Coquant ad medietatem: coctis epithimum additur, quod vna ebullitione ferueat, ac omnibus mox percolatis, additoque ſaccaro & ſucco illis decocto fit ſyrupus. In multo eſt vſu & honore in affectibus ab atra bile, præſertim verò ſi ab humore qui in melancholicum ex aſſatione degenerauerit. Vnde in furore vel mania illum Meſue maximè laudat: nam & vim inſignem habet ad leniendam iſtius humoris ſiccitatem aſperitatemque, ex vtriuſque boraginis radicibus floribusque qui temperati caloris cum humiditate ſunt, & ex ſucco pomorum dulcium, qui quàm maximè in his affectib. eſt vtilis: ſed & vim inſignem magis attenuandi habet, quod in his affectibus qui oriuntur ab humoribus hiſce craſſioribus & terreis maximè conducit: attenuant autem camepithis, ſchenanthum, eupatorium, & fumaria. Quia autem auctori huius ſcopus fuerat, non modò parare vitioſum hunc humorem ad faciliorem euacuationem, & eius aſperitatem demulcere, vt minus eſſet moleſtus, verùm & facile ſine vlla vi ſi quid paratum eſſet: præterea detrudere non exagitatibus partibus illis quæ nondum ad deductionem aptæ ſunt, ideo nigrum veratrum,

veratrum, polypodium, epithimū & sanam addit. neq; tamen ea copia, vt multam vim possint renitentibus & ineptis humoribus inferre: sed quanta posset facile sequentes humores allicere. Vnde aliquam facultatem purgandi habet is syrupus, & maiorem quàm præcedens, qui ex fumaris maior fuit appellatus: sed nec ipse multā. potest autem melancholicos & exustos humores modicè ac faciliè educere. Syrupus ex epithimo, etsi quatenus ad euacuandi rationem pertinet, præsertim adustos & melancholicos, vniuscuiusque generis humores spectet, mixtos tamen humores ex omni excrementorum genere detrahere potest, vt pituitam falsam & bilem. epithimum enim, cuius eam copiam accipit, vt ipsum ipsius compositionis quasi basis constituat, cui facultas prima est melancholicū succum detrahere. Accipiuntur ʒ. xx. Mirobalani verò omnes induntur, quorum aliæ bilem, quædam melancholicum, quædā pituitam purgant. Indarum & citrinarum plus: nam ʒ. xv. injiciuntur, sicuti fumaris & cuscute, ʒ. x.

Timi,  
 Calamenti,  
 Buglossi,  
 Emblicarum,  
 Belericarum,  
 Radicis dulcis,  
 Polipodij,



Agarici,

Stęcadis, sing. 3. vj.

Rosarum,

Seminis fęniculi,

Anisi, sing. 3. j. s. Pruna. xx.

Passularum exacinarum, 3. iiij.

Tamarindorum, 3. iiij.

Sapę, lib. ij.

Saccari, iiij.

Agaricum autem etsi multiplices humores possit educere, pituitam tamen & bilem precipue, sicut polypodium melancholicum humorem & pituitam, prefertim salsam ducit. Tymum autę calamęthum, cuscute, fumarie, stęcas potius humores crassos attenuant, & corpus fluidum vijs apertis reddunt, cui conferunt & semina anisorum & fęniculi: quamuis hęc & aliam commo ditatę ex secundo de Ratione vict. in acut. morbis Galen. afferant: nam grato & aromatico suo odore, gratiam ventriculo & reliquis visceribus conciliant, quo minus abominentur virosum & ingratum odorem, & iniquam qualitatem medicamentorum purgantium, quę adiuuant & rose, stęcas, passule & fumarie: hęc enim omnia sua modesta astrictione robur addunt languescen- tibus visceribus: radix verò dulcis: item quę & passule prunaquę, tamarindos etiam illis adderim & sapam, familiaritate & lenitate humidatę; suę substantię possunt & medicamen- torum

torum acrium, & humorum asperitatem demulcere, & vias delinire. Vnde præstans est medicamentum & vtile ad apparatus humorum & ad eorum euacuationem, in illis præsertim affectibus, qui non ex exusta bile aut pituita falsa, vel melancholicis humoribus mixtim excitantur, vt scabies difficilis & prauæ naturæ, & lues Gallica, & capitis externi morbi, vt areæ, faui, acores & huiusmodi, & in lepris quoque & incipienti elephantiasi à Græcis appellati. Sed iam agamus de alijs syrupis, qui in tussi & affectib. membrorum respirationi inferuentium, præsertim cum à crassa & lenta materia obsidentur, vtilis sunt. Frequentiores huic scopo pertinentes sunt, vt à leuioribus & mitioribus incipiam, Syrupus ex liquiritia, syrupus ex hyssopo, ex marrhubio vel prasio, vltimo qui ex calamento. posset verò & in hoc ordine collocari scillitum oximel: sed potius hic ad ordinem simpliciorum syruporum pertinet. Sed antequam de his agamus, hæc primò in vniuersum pro his dicamus, quæ accepta sunt ex Galeni septimo de Comp. med. secundum loca. Cum partes ad superiorem ventrem pertinentes lenta & crassa materia sunt refertæ, facta angustia in viis spiritus, quia aut bronchia in pulmonibus obstruuntur, aut spacium in thorace repletum fit angustius, difficilis concitatur, tussis cum multa spirandi difficultate. & quamuis plurima & frequens fiat tussis, nulla tamen

aut modica fit excreatio, quia materia illa ob crassitiam & lentorem remittitur, vt non facile impetu aeris per tussim impelli possit, nisi postquam materia per concoctionem minarum contumax reddita fuerit, & aptior vt elidatur, quod citius fit & cōmodius, si medici opus accedat, qui ea adhibeat, quibus facilius possit pertinacia materię superari & commodius educi. Duo verò sunt quę in primis ex Galeno ibid. hoc præstare possunt, primùm ea quę attenuant, disseccant & detergunt crassos hos & lentos humores vt sunt calida & tenuiorum partiũ, vt tamen neque multa sit horũ caliditas, quanta nempe magis eos siccando possit indurare: nam his potius deterior affectio fieret. Sed neq; hoc etiam satis est, sed oportet & id præstare, quod in omni ferè euacuatione (præcipuè si fiat per manifestas vias) commodum est vt fluidæ & leues vię reddãtur, per quas vacuationem sumus molituri. Id verò præstantius fit his quę molire, applanare & læuigare possunt, qualia sunt humectantia. Vnde ait Galen. quòd disseccantibus oportet addere ea quę humectent, tum in ratione victus administrata, tum per medicamenta adhibita. quare in his compositionibus hi duo scopi semper spectandi sunt, quamuis nõ pariter & æquali ratione, sicuti neq; horum humorum qui partes has occupant eadē est natura: quia alij alijs sunt crassiores & magis vel minus lēti. Syrupus ergo pri-

mus,

mus qui à liquiritia nomen sortitus est, à Mesue describitur.

Accipit radicis dulcis, ℥. ij.

Capillorum Veneris, ℥. j.

Hyfopi, ℥. v. Quæ simul sunt maceranda ex lib. iij. aquæ communis, ac mox ad medietatem coquenda ac colanda. decocto verò inijciende sunt mellis, sacchari,

penidiarum, sing. ℥. viij.

Aquæ rosatæ, ℥. vj.

Quibus additis, per cocturam ad consistentiam fyrupi res adducenda est. Si hæc rectè examinentur, in hyfopo satis est insignis vis attenuandi & detergendi, in capillis Veneris aliqua, sed leuis, attenuandi & aperiendi: extenuant enim crassa excrementa in thorace, ex Galeni sexto de Sim. med. facu. Maior in melle post hyfopum est vis attenuatoria & deterforia: radix verò dulcis moderatè humectat, leuigat, & applanat asperitudines in thorace, & alijs etiam partibus. Vnde medicamentum est tussientibus commodissimum. Sed & saccharum & penidiæ, eandem ferè vim habent, nempe humectandi: præsertim cum ex aqua coquuntur, ac aperiendi deliniendi que exasperatas partes pulmonum, aquam rosaceam cum author addiderit, non possum aliam asserere rationem, nisi propter conciliandam ex grato odore aliquam medicamento gratiam: nam quòd nonnulli referunt, inijci vt aliqua moderata

adstrictione robur particulis illis addat, vt deinde violentis possint extrudere tussienda intrusa excrementa, vt non damno, ita non admodum probo, quia astringēda, vt loco antea citato monet Galenus, quantum ad id quod primum prestant, non admodum vtiliter immiscentur medicamentis sputum iuuatibus, quòd si aliquid omnino addendum sit ob illarum partium robur id oportet vt sit modicum. In alijs autem simplicibus ex quibus hic syrupus conficitur, tanta est astrictio, quanta ad id officium potest esse satis: nam & radix dulcis non est astrictiois experts, & huius etiam magis particeps est capillus Veneris. Est syrupus hic téperati cuiusdam & modici caloris, qui pleuriticis etiam potest esse commodus, si quando crassa & lenta expuunt: nam citra hoc quod possit calefaciēdo inflammationem irritare, extenuans & disseccans crassitiem humorum facilius sputum reddit. In hoc ergo horum syruporum ordine qui crassas & difficiles in thorace materias ad facilem excreationem parāt, post simplices is primus sit, & alijs mitior & temperatior. Secūdum verò locum in his qui passim in vsu sunt est, qui ab hyfopo appellationem habet, & ex his conficitur.

Accipit hyfopi,

Radicum apij,

Fœniculi,

Radicis dulcis, sing. 3. x.

Ordōi

Ordei mundi, ℥.v.

Seminis maluzæ,

Cotoneorum malorum,

Tragacanthi, sing. ℥. iij.

Capillorum Veneris, ℥.vj.

Zingipharam,

Sebestea, sing. ℥.xxx.

Passularum exacinarum, ℥.xij.

Ficum aridarum pinguium,

Palmularum pinguium, singul. numero

decem.

Penidiarum albarum lib. x.

Prædictis decoctis ex aquæ communis copia, quanta satis sit, decocto addatur penidiæ, & postea per ulteriorem decoctionem fiat syrupus, qui priori vim maiorem habet extenuandi & detergendi: præterea verò suo humore cum quodam lentore læuigandi & applanandi omnem aptitudinem partium in thorace contentarum: nam hyssopo quod insigniter extenuat adduntur radices fœniculi, apijque, & liberalior copia capillorum Veneris, quæ omnia præter id quod attenuat, possunt etiam lotia ciere: quod si modeste fiat in his affectibus non parum est vtile. Partim enim aliquam materię partem attenuatam per vrinam deriuare poterunt. Vnde & vulnerarij medici iamdiu in curandis illis qui ex thoracis vulneribus suppurati sunt, tandem quibusdam vtuntur decoctis, quæ potiones ad cassatos suo

ipsi modo appellant, quæ præter vim desiccatoriam, insigniter & lotia proritant, ad quod valet & maluæ semen. Caricæ verò pingues vt Galenus secundo de Fac. alim. dicit. vim habent detergentem, cuius & passulæ hordeumque non sunt expertes, quanuis & hæc & tragacanthum zingiphæ, sebestem, & penidiæ, nõ minimâ vim applanandi & deliniendi internas thoracis partes habent. In eisdem autem affectibus vsus istius syrups est in quibus & prior, nisi quòd hic valentius eadem efficit, quæ & prior, vtpote qui maiorem vim attentandi detergendi que habet, maiorem etiam læuigandi & deliniendi particulas in thorace. Vnde à priori solemus incipere, & cum morbus inueterascit & pertinacior fit affectus, ad hunc mox accedimus.

Quemadmodum si pertinacior fiat affectus, & magis adhuc inueterascit, crassiorque & magis lenta euadat excreanda materia, syrupo tunc plerunque vtimur, qui ex Præfio hoc est, ex Marubio nomen habuit. conficitur autem sic:

Recipe præfij ʒ.ij,

Hysopi,

Capillorum Veneris sing. ʒ.vj.

Radice dulcis ʒ.j.

Calamenthi,

Anisi,

Radicum fœniculi,

Apij sing. ʒ.v.

Semini

Seminis malæ,  
 Fœnogręci,  
 Iridis ſing. ʒ. iij.  
 Seminis lini,  
 Cotoneorum ſing. ʒ. ij.  
 Paſſularum exacinatarum ʒ. v.  
 Ficus aridas pingues xv. numero,  
 Penidiarum,  
 Mellis deſpumati, ſing. lib. ij.

Is eſt aliis potentior & calidior, & præterea vim  
 maiorem habet extenuandi, digerendi, & de-  
 tergēdi. Nam praſium in primis, ſatis inſignem  
 facultatem habet attenuandi & detergendi, ac  
 digerendi, nec non eſt iris, præterea & calamen-  
 thum, neque his caret fœnum Gręcum, quanuis  
 non eam admodum vehementem habeat, vt hy-  
 ſopum in præſentia & capillum Veneris, radi-  
 ces fœniculi & apii, & ſemen aniſi, præterea,  
 vt pote quorum antea facta ſit mentio. De ſemi-  
 ne autem lini & mali cotonei hoc tantum dico,  
 quod mea hæc eſt ſentētia, iſta in compositione  
 huius ſyrupi accipi, propter mucillagiноſum  
 ſuccum, qui in cortice eſt, qui que dum hæc ſe-  
 mina ex aqua, præſertim ſi aliquantulum ſit ca-  
 lida, concutiuntur, detrahitur, & à iunioribus  
 Mucillago dicitur, & vim habet deliniendi &  
 læuigandi aſperitudines omnes. neq; enim eo-  
 rum mihi probatur ſententia, ſemen cotonei hic  
 admitti, vt ſyrupus ſit alicuius aſtrictionis par-



ticeps: nam capillus Veneris, vt paulo ante dixi, potest hoc quantũ satis sit præstare. Ad difficiliores ergo thoracis affectus & concitatos ex crassiori magisq̃ue lenta materia, & pertinaci, vim maiorem habere potest hic syrupus. Reliquum esset, vt de syrupo ex calamento imprimis confecto aliqua diceremus, qui & ipse in tussi difficili præsertim in senibus plurimum laudatur, ad extenuandos & digerendos crassos & lentos humores: præterea verò ad liberanda omnia viscera ab infarctu & obstructionibus, præcipue verò lien, & merito quidẽ laudatur: nam vtrunque calamentum, syluestre sc. & domesticum, cuius vtriusque duas accipit vncias, potenter extenuat, detergit & digerit, idem etiã ligusticum, daucus, & schinanthum præstare possunt, quorum sing. ʒ. v. accipit. Passularum additur lib. semis, & ex lib. ij. mellis syrupus conficitur: coctis nempe prioribus medicamentis ex aqua de more aliorum, additoq; subinde melle. Sed in hoc particulatim exponendo non erimus multi: hæc enim pauca satis esse possunt ei, qui probè memoria tenuerit ea, quæ tradita sunt literis. Multi præterea & alij syrupi descripti sunt, tum à Iunioribus tum antiquioribus, quos si omnes prosequeremur, nimis in longum nostra protraheretur Introductio. Vnde cum maiorem partem eorum qui sunt in vsu frequentiori explanauerim, finem faciã, cum præsertim si quis animum diligenter

diligenter his quæ dicenda sunt de his aduertent, facile & omniũ aliorum rationẽ cõsequi poterit. Sed & decoctis quibus aliquando pro syrups vtuntur medici, sepe etiam ad diluendos syrups, quorum etiam vsus antiquis syrupsorum vice frequens fuit, nolo plura loqui, quia si quis rectè hæc estimauerit, quæ de syrups dicenda sunt, non egebit longiori sermone, vt illi ea quæ ad decocta pertinent explanentur: nam pleriq; syrupsorum ex decoctis conficiuntur. Tum ergo ob hanc causam, tum etiam quia rarissimè decocta seruari diutius apud apothecarios solent, aut possunt, nolimus in his explicandis tempus terere.

*De ratione & methodo rectè utendi syrups.*

Cap. VI.

**A** Commodatus & congruẽs horum medicamentorum vsus, mea quidem sententia ex Gal. præsertim in primo ad Glau. in his consistit: primũ vt medicamentum id eligamus, quòd ea sit natura, & illis qualitatibus præditum, quæ scopo nobis ab indicationibus propositum satisfacere possit, tam secundum qualitates, quàm secundum robur & ordinem siue gradum: deinde vt modum vel pondus seu mensuram præscribere discamus illi simplici si

simplici uti satis fore videatur, sin autem illud solum non sit satis facturum, sed additione alterius egere videatur, qua mēfura & proportione fit illi commiscenda. Tertio quo pacto illis oportet uti: quarto, quo ordine: quinto, quando & quo tempore: sexto, quoties & quousque. Quia verò omnium eorum quæ à medico rectè tractanda sunt, ratio ex mutua comparatione & collatione duorum præsertim capitum depromenda est, nempe eorum quæ corpori præter naturam accidunt, deinde illorum quæ ex propria natura illi conueniunt. In priori capite tria continentur quæ tamen ad vnum referuntur: primus est morbus, secundus quòd ipsum præcedit, id est, causa: tertium est symptoma quod morbum semper sequitur: quæ omnia à medicis res præter naturam dicitur. In altera autem ea omnia quæ naturalia dicuntur, ut temperatura naturalis tum corporis vniuersi, tum verò sigillatim omnium particularum, ex quibus corpus coagmentatum est. præterea conformatio eiusdem, atque eorum omnium vnitas continuata sive, ad quæ postea alia tanquam ad ea quæ magis præcipua sunt referuntur, sed horum aliqua, utpote quæ ad institutum nostrum non faciunt plurimum, missa facimus: ad rectam enim medicamentorum electionem, neque corporis conformatio plurimum facit, minus etiam vnitas, præsertim verò in eligendis qualitate quantitateque & natura medicamentis

mentis confert naturalis corporis temperies, & ea quæ illi attinent, vt ætas, regio, tempeſtas, & hora anni, ars & vitæ inſtituta, & cõſuetudo quæ eatenus conſiderantur, quatenus immutant naturalem temperaturam. Quantum verò ſpectat ad primum caput, duo quidem prima maximè ad noſtrum de eligendis medicamentis inſtitutum faciunt, nempe morbus & cauſa: nam hæc maximè medico rationem agendorum indicât, ſymptomata parum admodum, & niſi quia nõ nunquam ad eò excrescunt, vt iam cauſæ rationẽ ſubinduant. Sed exquisita horum definitio ad hunc locum non pertinet: præcipuè ergo morbus & cauſa indicant non ſemper tamen vtraq; hæc ſimul: nam aliquâdo ſola cauſa eſt præſens, aliquâdo ſolus morbus: aliquando vtrûq;, & aliquando maiorem vim indicandi habet cauſa, aliquâdo morbus, vt interdum ſoli cauſæ proſpicere oporteat, interdum ſoli morbo, nonnunquam vtriſque: ita tamen vt aliquando prius vni eorum, mox verò & alteri.

Non erimus autem multi in exponèdo, quod propriè & primùm reſpicimus cauſam in ea parte medicinæ cuius proprium munus eſt ſanitatem tueri, quam iuniores præſeruatiuam dicunt. Morbum autem præſertim & primùm in curatrice methòdo, præcipue ſi cauſa morbi nulla amplius præſens ſit, ſed vniuerſa iam reſerit: quia vbi cauſa adhuc eſt præſens, ſicut ſem-

per in morbis qui fiunt adhuc, necdum omnino facti sunt præfens est, necesse est vt illa etiam suam habeat propriamque indicationem: & sicut complicatæ sunt indicationes, ita etiam mixta sit actio medici ex curatione & tutela seu præseruatione. Quauis ex Galeni secúdo aph. & primo de Difer. feb. inualuerit apud medicos ea consuetudo, vt absolutè & hæc curatio dicatur. In eligédis ergo medicamétis aptis & opportunis, summè necessaria sunt hæc duo, primùm exquisita cognitio naturæ morbi, ad quam pertinet etiam causæ cognitio, deinde & cognitio naturæ corporis & particulæ laborantis, si particulatim morbus locum aliquem occupet: nam ex mutua collatione indicationum, quæ ab his duobus depromendæ sunt, innotescet omnis ratio congruentium medicamentorum. morbi enim ratio naturam & qualitatem medicamenti oportuni in vniuersum indicabit, particulatim verò illam definiet natura corporis vel particulæ malæ affectæ. Sed quæ hæctenus generali quadâ ratione tractauimus, particulatim iam exponamus. Primum quidem in illis affectibus qui propterea communes dicuntur, quia nulli certo loco sunt addicti, vt febres, & alij, in quibus non sunt peculiæ aliquæ indicationes, à certis illis definitis quibus particulis desumptæ, præsertim verò & primùm de febribus agamus, quæ cum aliquando vnâ simplicem habeant indicationem,

cationē, nempe ab ipsa febre, utpote quia à nulla alioquin causa foueantur, sicut tū Ecticæ, tum etiā multoties ephemeræ. In putridis enim quæ fieri non possunt nisi præsens sit humor, semper mixtæ sunt indicationes à causa & à febre. De illis ergo simplicioribus priorem rationem instituamus. in his sanè febribus quādo nulla alia est adiuncta affectio præter febrē, statim insurgit primū refrigerationis, mox & humectationis indicatio, cū sit affectus calidus & siccus. Vnde nobis statim se offerunt syrups quicunque superius numerati vim habent refrigerādi, & cū multi eorum desiccant, tamen & aliqui humectent, illi oportuniores erunt, qui minus exicare possunt. Sed quia syrupū diximus potionem significare, accipiam & alias potiones quæ refrigerare & humectare possunt, quamuis non soleant sub nomine syrups contineri, tanquā huic scopo attinentes. Occurret ergo primū potus aquæ frigidæ, deinde aquæ hordeacæ: nam & hæc in usu est his temporibus: deinde mulsæ. tertio syrupus acetosus simplex dilutus ex multa aqua, item syrupus violaceus simplex, syrupus ex florib. nymphæ, ex papauere, ex zingiphis, quiq̄ue ex portulaca dicitur, & alij multi similes, de quibus superius sermo est habitus. quare nus ergo ad affectum ipsum pertinet, nulla aliorum habita ratione, aqua frigida omnium aliorum præstantissimum esset remedium. Vnde

tãquam optimum, nisi alia obstet indicatio fortior, in ephemera & febre ardente, vbi ea indicatio quæ à morbo sumitur superat illã quæ à causa à Galeno indicatum est medicamentum: pariter enim refrigerat & humectat. In hectica verò nisi indicatio ab habitu & viribus corporis obstaret, vtile & salutare admodum esset, & Galenus in libro de Tabe in principio antequam corpus extenuetur, & sanguis absumatur, viresque fiant imbecilles vtiliter dari posse dicit. sed vbi iam corpus attenuatum & exangue factum est, viresque languere incipiunt, ab his alia insurgit indicatio, quæ vim maiorẽ habet, quàm quæ erat à morbo accepta, indicans longẽ maiorem læsionem subsequuturam, quàm vtilitatem: nam calornatiuus simul cù extraneo ab ea extinguere facillè poterit. In febre verò ardente optimum & præcipuum medicamentum id futurum est, quando neque morbus crudus fuerit, neque alius adsit affectus, cui id noxium sit, vt visceris alicuius inflammatio vel insignis obstructio: horũ enim indicationes priori illi omnino obstant. Sed & vniuersi corporis ratio sua habenda erit: nam si imbecillum sit & senile, si gracile & attenuatum, non facillè vim ferre poterit tãti remedij. Nec minoris etiã faciẽda est natura viscerum, præsertim ventriculi & iocinoris, nimirum si frigidiora, & imbecilliora hæc fuerint: quibus itidem addendum est & tempus anni vel tempe-  
stas

itas: nam istius remedij vsus hyeme non esset tu-  
 rus vt æstate: addenda præterea est consuetudo,  
 non facile & citra noxam potius ferre possunt  
 qui sani citra vllum commodum soliti sunt eam  
 bibere, quàm qui insoliti. Vnde quâdo hisce de  
 causis timemus ita confertim & multum corpus  
 transmutare, mitius esset agendum, & leuiora  
 essent attenuâda, vt essent aqua hordeacea, & a-  
 lia quæ subinde fuere proposita, quæ potius po-  
 testate quàm actu frigida essent. Nam talia cum  
 ad actum paulatim, & non in momento deducâ-  
 tur, non ita facile deterrent, ledunt, atque extin-  
 tingunt calorem natium. Vt tamen & illud sit  
 considerandum, quòd eorum aliqua quamuis  
 ratione propriæ naturæ possent esse commoda,  
 interdum tamen illa respuimus, vt philosophi  
 dicunt, per accidens, quia facile in bilem vertun-  
 tur, vt deinde ea de causa magis calefaciât & ex-  
 iccēt, quàm potuerint refrigerare & humectare.  
 qua ratione mel, & quæcunque ex melle fiunt  
 aduersaria à Galeno nono methodi iudicantur,  
 vt est apomeli, & multa: oximel tamen non ita fa-  
 cile in bilem vertitur, & quamuis desiccet, cum  
 tamen dilutius ex multa aquæ mixtione est, po-  
 tius humectat, & proinde sitim sedat, sed aceto-  
 sus simplex magis etiam humectabit & refrige-  
 rabit, quantum saccharum melle minus calefacit  
 & ficcat. Violaceus porrò pariter humectabit &  
 refrigerabit. In vniuersum ergo potiones quæ re-



frigerent, itemque syrupi refrigerantes. & cum multi eorum inter ea medicamenta relati sunt, quæ deficcant, febres verò hæc humectantia desiderant, dum tamen diluuntur aut multa aqua, aut alio humore qui humectat, sicut esset ius puli gallinacei iuuenis, eam etiam vim assequuntur qua possint humectare. In affectibus autem in quibus actionem mixtam esse oportet, quia nõ modò affectus ratio sit habèda, sed & causæ quæ præfens fouet & auget morbum, item electio medicamentorum fit collatis primùm inter se indicationib: tum à morbo tum à causis desumptis: considerandumque est, num ea inter se collata, in eadem conueniant temperiem, utpote si ambo calida sint, nempe morbus & causa, sicuti in tertiana in causo: nã & humor qui febris in causa est calidus & siccus, perinde est ut febris: an verò dissideant inter se, ut in quotidiana & quartana. Febris enim est affectus calidus, siccus: pituita verò sua natura frigida & humida, sicut atra bilis frigida & sicca: ob id primùm in eâ collatione considerandum est, quòd febris quatenus ad ipsam pertinet cum ex sola temperatura morbi rationem habet (ea enim apertiones lædit) solam indicat transmutationem, qua lapsus naturalis temperamenti corrigatur: at causa febris cum materia sit noxia qualitate & quantitate, ratione qualitatis & ipsa indicat transmutationem, qua itidem vitiosa eius qualitas qua morbum fo-

uct.

net, vel actu vel potestate emendetur: actu quidē si suapte natura calida sit: potestate verò quia quandoque licet natura frigida sit, calorē tamen putrescens contrahit, ratione autem quantitatis indicat euacuationem. Vnde quātum ad harum rerum rationem pertinet, cū causa morbum efficiat foueatque & augeat, licet primūm desideremus morbum, qui proximē actiones lædit remouere, tamen quia remoueri aut nō potest aut non facillē manente eius causa, ideo frequentius opus est curationem à causis incipere remouendis. aliquando tamen morbus adeò sc̄uit, vt timendum sit, nedum causæ incumbimus, vires à morbo dissolutæ fatiscant, quo fit vt cogamur statim ab initio reprimere sequitiam morbi, quo id periculum euitemus: hoc verò presertim in ardētibus febribus timemus propter magnum & continentem earum ardorem: nam quamuis & exquisitę tertianæ similem incendium in accessionibus afferant, quia tamen non continenter, sed per longiora interualla affligunt, non ita insigne periculum minantur: reficiuntur enim interim vires, dū intermittunt, & ideo in eis non adeò vrget indicatio à morbo, vt cogat ab eo summi curationis initium. Verūm cū utręque indicationes tam à morbo quàm à causa semper si alicuius sint momenti, tam morbus quàm causa vim habeant, nunquam ita vni attendimus, vt nullam alterius rationem habeamus, sed semper

& illi aliquid damus. Et si aliqua sint auxilia que vtraque ratione, hoc est, tam causæ quàm morbi possint esse commoda, ab eis statim incipimus sine vlla exitatione, modò vires non obstant. Sicui in febre ardenti & sinoca statim sanguinem copiosum mittere solemus, vbi per vires licet: nam refrigerat & quantitatem detrahit: quatenus verò ad medicamenta pertinet, cùm morbus maximus & acutissimus sit, atque ideo etiam præceps, indicat opus esse magna & celeri extinctione, quod officium nullum medicamentum præstantius aqua frigida præstare posset: verùm quia in febre putrida putredinis vniuersa ferè ratio ab obstructionibus pèdet, quæ ab impactis humoribus crudioribus fuere excitatæ, aqua autè frigida eos magis impingeret & inculcaret, præterea & recrudesceret ex nimio frigido vnde & subinde cresceret putredo & febris, ideo post sanguinis mixtionem, tantisper indicatio quæ à causa desumpta est, nos immorati, & differre potum aquas frigidæ cogit, donec aliqua concoctionis signa appareant, & sint aliquantulum apertè obstructiones: cito autem incipit concoqui calidus & tenuis humor qui suapte natura potest iuuare apertionem, postea vero aquam propinamus. Vnde extincto calore qui vires resoluebat, natura resumpto suo robore & collectis viribus, paulo post insurgens vniuersam noxiam materiam, aut per sudorem, aut per  
aliam

aliam illi commodiorem viam excernit. Sed si vel ætas, vel tēpus, vel affectus aliquis in visceribus aduersatur potioni aquæ frigidæ, aliis refrigerantibus erit agendum, tum externis tum internis, quæ non repente & valde refrigerent, sed paulatim dum tamen frequentius administrantur, & si non ita cito, tutius tamen opus saltem absoluunt, quales sunt syrups, decocta, cibi refrigerantes, olea, emplastra, epythematata, quæ exterius & ipsa refrigerant, & vt methodus febribus medendi præscribit, possunt ex his confici que refrigerant, non tamen stipant & obstructiones augēt, sed poti⁹ aperiūt, vt suo loco dicemus. Nunc enim sermo habendus est de electione syruporum, vel huiusmodi aliarum portionum, quādo magis & prius in febribus inseruendū est indicationibus, quæ ad causam pertinent. in quibus si causa cum morbo consentiat facilis & simplex ratio est, præsertim si tenuis vel acris, calidaq; materia sit: refrigerantia enim medicamenta eadem ratione vtrique apta sunt, hoc tamen plus causa habet quòd cōcoctionem desiderat & excretionem, concoctioni verò quantum attinet illi humori, oportuna sunt eadem, nempe refrigerantia & humectantia, vtpote quoniam satis concoquuntur humores, cum eorum vitia corriguntur. Sed quia in putridis febribus semper insunt obstructiones, quæ & putredinē fouent & materiæ excernēdæ sunt impedimen-

to, vt eæ remoueantur & corpus fluidũ fiat, maximè vtilia erunt medicamenta, quę refrigerent quidem, sed potius aperiant: vnde & fyrupus acetosus simplex, & qui ex cicoreo, vel endiuia, rosaceus quę etiã recens, præsertim vbi aliqua sit laxitas in aliquo viscere, & interdũ oximel simplex apti & congruentes erunt. Vbi verò sit ingens aliqua putredo quę febrem maligniorem reddat, acidæ res solent à medicis alijs præferri, ratione putredinis, vt rectè Auicenna sensit, sicuti quę ex oxalide, vel ex succo citri, vel limonis componuntur, vel vuzæ acerbæ: nam febr̃i, & calidiori humori, tum sua natura, tum ex putredine, præsidio sunt refrigerando, exiccando verò malignam putredinẽ reprimunt, præter id quod horum multa, etiam nonnihil astringentis habent, quòd visceribus robur addere potest, citra noxam, quę ex obstructiõibus esset suspecta. Difficilior verò est institutio, quando morbus & causa sibi mutuò sunt contraria, vt in quotidianis: nam pituita frigidus & humidus est humor, febris contrà. Sed quia febris hæc non habet ingentem calorem, imò lenta est & caloris quasi strangulati non plurimum periculi minatur febrilis calor, nisi ex morbi diurnitate, & ne extingatur & quasi stranguletur natiuus calor à crassa, lenta frigidaq; materia, ideo causę superadæ, præsertim operã nauamus: habemus tñ & febris aliquã rationem: nam eligemus imprimis

mis syrupos & alia medicamenta, quæ vim aliquam calefaciendi habent, insigniter tamen attenuent & secent, aperiantque. præterea verò quia viscera & ventriculus & iecur ab hac materia refrigerantur, laxa que redduntur, & obstructioni ea propter obnoxia fiunt, ideo semper his aliquid immiscemus, quod vim roborandi habeat. Incipimus tamen à facilioribus & leuioribus, quia inter initia, vt dicit Hippocrates, secundo Aph. omnia sunt imbecilliora, & facilius etiã omnia fert natura quando paulatim assuescit: vnde statim à principio nitimur humoré secare & attenuare, nõ admodum tamen calefacere, ne liquatus & quasi fusus crassus humor, moxq; in angustas venas digestus augeat obstructiones. vtemur ergo oximellite, melle rosaceo: in vtroq; enim est digerendi & attenuandi facultas. Sed hæc maior est in oximellite ex aceto. In melle verò rosaceo maior roborandi viscera ex rosis, verùm & syrupus ex betonica simplex, si eorum meminerimus que supra de eo dicta sunt, potest esse medicamentum accommodatissimũ, & huic negotio pertinentissimum. Hi verò syrupi, si diluentur decocto vel diluto aut infusione absinthij, vtiores erunt. Cũ verò res in lōgius protrahitur, valentiora in vsu sunt introducenda, vt esset oximel quod compositum, vel de radicibus appellant. Tandem verò ad syrupum ex hyssopo vel calamentho, qui in compositis sunt. Postre-

mò ad syrupū acetosum diarodon, cū iam ad-  
 eò viscera facta sunt imbecilla, vt res in malum  
 habitum vel aqua intercutem procliuis esse vi-  
 deretur. Ego verò & oximellite scillitico sæpe  
 in his tādē feliciter sum vsus: sed hos syrupos  
 diluere solemus ex decocto, ex radicibus com-  
 munitibus, de quibus nunc quædā paucula dixi-  
 mus: interdum ex decocto eupatorij veri, quod  
 nunc agrimoniam appellant. His enim & causa  
 antecedens febris ad facilē vacuationē paratur,  
 & corpus fit fluidum, & viscerum internorum  
 vires custodiuntur, quatenus fieri potest. Tertia  
 na verò notha, media quodāmodo est inter has  
 duas priores siue ad morbum, siue ad causam re-  
 spiciamus. Nam neque ita acris & vehementi ca-  
 loris est, vt exquisita: neque etiam ita obtusi &  
 veluti strangulati, vt quotidiana, sed quasi inter  
 eas media est. Materia etiam ex qua putrescente  
 accēditur, media est & ipsa, tū acrimonia & calo-  
 re, tum crassitie & lentore, vt pote quæ ex bile fla-  
 ua & pituita mixta fit, quare etiam rationem cu-  
 rationis mediam & mixtam requirit: nam ali-  
 quid requirit quod non omnino sit expers fa-  
 cultatis calefaciendi, attenuandi & secandi, non  
 tamen ita vt in quotidiana. Itaque inter initia  
 apti syrupi erunt oximel simplex, syrupus rosa-  
 ceus ex rosarum succo, quem Arabes dicunt ge-  
 leneabim, ex saccharo: aliquando etiam mel rosa-  
 ceum: postea utemur syrupo, quem byzantinum  
 vocauit

vocavit Mesue. Quia ex mixtura tū calcfacientium & attenuantium, & difsecantium, tum vero & calorem temperantium factus est. tum accedimus ad eum cui additur acetum, & quem byzantinum cum aceto dicunt: postremò etiam ad illum quem completum, additis nempe aromatis appellat. Veruntamen quia istiusmodi bilis quæ putrescens hanc febrem excitat, non est semper sibi similis: nam in miscella bilis cum pituita multæ sunt diuersæ pro ratione maioris minorisq̃, quoniam & crassior & mitius crassa, & magis vel minus lenta est, ita etiam magis vel minus calida. Vnde & syrups eligi debent sicuti & decocta, quæ huic diuersitati aptari & accommodari possunt, vt oximellite & syrupo ex betonica, addemus syrupum ex cicoreo: & si visum fuerit expedire vt vtamur diluto vel decocto absinthij, sicuti sæpe expedit, vt primo lib. ad Glaucum præcipit Galenus, illi & cicoreū addemus, ita & eupatorium vel agrimonium cum cicoreo componemus. Si iecur obstructum fuerit, & tensum, fiatq̃ inde imbecillum. Nec admodum differens erit ratio electionis horū medicamentorum in melancholicis febribus: nam nec in ipsis adeò multus erit calor, vt cogere possit medicum postposita causa morbo incumbere. Vnde prior & potior etiam in his est indicatio à causa & per comparisonem ad ipsa, medicaméta sunt eligenda, atque eatenus est morbus respiciendus



quatenus ipsum non nimis exacerbemus: nam  
 in quartanæ curatione duplici nomine caleface-  
 re oportet: primùm, quia humor frigidus est &  
 ficcus: deinde quia crassus & ferè terrenæ substã-  
 tiæ cuiusdam, & ideo attenuantibus secantibus-  
 que medicamentis, & aliqua ex parte digerenti-  
 bus opus est. quæ quidem omnia hæc aguntra-  
 tione partium calidarum & siccarum, quarum  
 nõ sunt expertia. Verùm quia hæc præterea non  
 parum ficcant, & ficcatio huic humori est omni-  
 nõ aduersaria, ideo ea sunt eligenda, quæ quan-  
 tum fieri potest attenuent quidem, sed non mul-  
 tum siccent, etsi aliquod quidẽ medicamentum  
 huic scopo congruens reperiat, eo utemur, sin-  
 minus, plura componimus. Sed quia quartanæ  
 rarò à principio inuadunt, plerunque verò alias  
 febres sequuntur, quod argumento esse potest,  
 quod vt Galenus secũdo de Diff. febr. exposuit,  
 sæpius fiunt quartanæ ex cinericia parte dereli-  
 cta, quasi ex assatione & putredine humorum à  
 quibus fouebantur febres præcedentes. Ideo  
 cum & in his sit optimum à leuioribus incipere,  
 solent statim à principio medici vti syrupo ex  
 fumaria simplici vel ex lupulis: nam exustis hu-  
 moribus sunt accommodati, sicuti in cinere &  
 calce, ideo multi syrups ex cicoreo addunt. Vsi-  
 tissimi præterea sunt syrups de buglossa, dictus  
 exboragine: nam herbæ hæc temperatũ quẽdam  
 calorem habent: sunt etiã vt Galenus dicit sexto

de Simpl. med. facult. herbæ humectantes, quæ hac ratione aptæ fiunt humori melancholico: interdum verò & syrupus ex succo pomorum dulcium, imò sæpe hoc vtimur, mox ad compositos accedimus, tum ex fumaris quæ ex pomis & alios qui particularius superiori capite sunt expositi. Sed quia quartanæ plerumque à liene fouentur, sicuti tertianæ à iocinore, ideo semper lienis rationem habemus in quartana, & vt in alijs febribus præsertim laudatur absinthium & eupatorium, ita in illis vbi lieni consulendū est, capares, præsertim verò cortex radicum ipsorum. Solet etiam esse in frequenti vsu asplenium vel scolapendrium, qui Arabicè nūc dicitur Citrac. ex quibus decocta fieri possunt, ex quibus syrupi diluantur.

Quia verò præterea multi sunt morbi, qui non ita vniuersum corpus respiciunt & occupant, sed in vna tantum particula consistunt, à qua sunt etiam indicationes depromendæ, quippe cum & hæ maximè vim habent ad aptè eligendum congrua medicamenta: ideo de his quoque aliquem breuem tamen sermonem faciamus, non est tamen admodum diuersa ratio electionis medicamentorum à priori, nisi quatenus in his non solum est spectanda illa indicatio, quam vniuersi corporis natura nobis efficit, sed & particulæ malæ affectę sua propria, quæ plurimum facit ad medicamenti electio-

nem : nam quo nobilior est particula, vt dignioris magisque necessariæ apertionis instrumentum, eo etiam maiori eget custodia, & magis quantum ad medicamenta pertinet, cautè tractanda. Vnde præter tria membra præcipua ventriculus, lien & pulmones quoque magnam vim habent, & magna egent custodia. In eligendis ergo medicamentis in affectibus harum particularum, particulatim aliquântulum, & quo breuius fieri poterit versabimur. Et primò circa ea quæ pertinet ad iecur, quod quidem cum molli & laxa constet substantia, facile laxantibus & digerentibus eius vi dissoluitur, facileque induratur à crassis succis, à constipantibusque & insigniter astringentibus. cum etiam contextum sit tenuissimis & angustissimis venulis, facillimè etiam obstructionibus occupari potest. Vnde in curandis eius affectibus horù maxima est habenda ratio : nempe primùm ne dissoluatur eius robur, & ideo illa medicamenta semper ei apta sunt, quæ experta nõ sunt omnino alicuius astrictionis, nectaman multæ, sed quanta robur visceris conseruare possit, non tamen vt in causa sit astrictionis. Præterea verò vt etiam vim aliquam aperientem habeant. Vnde præsertim ea medicamenta, quæ vel amara vel subamara sunt, si tamen cum amaritudine etiam partes alicuius astrictionis participes habeant, & ideo calidis affectibus maximè commendatur

mendatur endiuia, cicoreū, & cioracea omnia, rosęque & omnia medicamēta, quę ex his conficiuntur, vt præterea ea etiam sint timenda, quę confertim & plurimum refrigerant: extinguunt enim eius natium calorem, & proinde neque actu frigidis, tam internis quàm externis vtimur. In frigidis verò eius affectibus laudatur absinthium, betonica, fumaria, eupatorium, filix, pistacia, marrubium, camæpithis, camedris, priora tamen in maiori vsu sunt & familiariora, & ea omnia medicamenta quę hæc accipiunt dum componuntur, siue sint syrapi, siue decocta, siue troisci, vel alia quęcunque. Nō est autem ferè differens ratio medicamentorum quę ventriculo commoda sunt: nam & in suis medicamentis semper propter custodiam virium requirit astrictiōem: à solis enim laxantibus plurimùm lēditur, neque facilè fert, quę eximię frigida sunt. Vnde ferè à similibus medicamentis bene habent hæc duo viscera: commodè enim refrigeratur à cicorea rosaceisquę medicamentis, sed & vtrūque viscus si opus sit eisdem aptè cōuenit, præcipuè absinthio betonica, fumaria eupatorio, &c. Lien verò cum & ipsius actio necessaria ad sanitatem sit plurimùm, vt à fœculento succo sanguis & iecur depurgetur, constat autem substantia rariori & laxiori, quàm iecur, alitur verò crasso & fœculento sanguine, aptasquę vt in libro de Ratione cur. per sectam venam di-

cit Galenus ad fuscipiēdas fluxiones, vnde propter necessitatem defæcationis iocinoris & sanguinis, oportet vt eius robur feruetur, quare præcipiunt medici, quod in vsu & cōparatione medicamētorum, quib. curandi sunt eius affectus, ea eligamus, quæ roboratione & astrictione non careant, & quæ attenuent & detergant, propter eius procliuatē in obstructions & scirrhus obcrasitiam succi quem attrahit & quo alitur. Vnde & amara etiam probantur, & quæ in primis tenuis sunt substantiæ, quæ tamen neque plurimum calefaciant siccentque. & vt Galenus quinto de Fac. simpl. med. dicit, eadem ferè medicinali leni & iocinori accommodari possunt, præsertim in eorum obstructionibus & scirrhis, quando neque inueteratus plurimum creuerit affectus: nam tunc valentioribus vti oportebit in liene quàm in iocinore. Lieni enim valentius opem ferunt radicum capparum cortex, itē radices miricis, vel vt nūc dicūt Tamarisci, sed & fraxini cortex, & citrach, quibus plærunque in decoctis vtimur, quamuis ex Gal. ibid. diuersus erat antiquitus horum vsus in affectibus alterutris visceris. in affecto enim iocinore illis secundum se & scorsum vtebātur, vt pote in puluerem redactis, in liene verò ex aceto mixtis vel coctis: ego autem vterer oximellite eorum decocto immixto: inuò aliquando ex oximellite scillino: possemus & syrupum bizantinum addito aceto eorum

rum decocto inspergere, maximè enim lieni acetum familiare est. Quatenus autè ad electionem medicamentorum quæcunque per os sumenda sunt in capitis affectibus, non multa habeo quæ possint illis addi, quæ in vniuersum de alijs particulis, quarum hæcenus facta est mētio tractata sunt: nam propterea quia cerebrū & ipsum inter præcipua membra est, & melioris humidiorisquē substantiæ, & proinde quæ faciliè transmutetur, ideo vt eius robur seruetur, maximè illi commoda sunt medicamenta, quæ præter alias facultates modicè etiam astringunt: insuper vt in refrigerando & calefaciendo non admodum immodici simus, sed magis in refrigerando: facilius enim à frigore læditur. & quāuis Galenus interdum aqua vel oleo niue refrigeratis, caput cum æstuar iubet perfundi, voluit tamen mensuram refrigerationis accipi, & à magnitudine æstus & inflammationis, & ab habitu corporis, sexu, ætate, tempore, & quod ipse dixit de illis quæ exterius administrantur, putarim non esse etiam contemnendum in interioribus accipiendis: nam & diacodiō, & syrupo ex papauere vtimur, sed id cum cogit necessitas incommodi alicuius iam præsentis aut futuri. Præter alios syrupos quibus solent vti medici in affectibus capitis si frigidi sunt & à crassiori aliqua materia foueantur, sunt syrupus ex stæcade: à Mesue enim docti sunt, qui dicit, stæcas capiti maximè vtile esse.

se. Dioscorides tamen magis in thoracis affectibus laudat nulla facta capitis mentione. Galenus verò dicit, ipsum addere robur omnibus visceribus, eaqu; ab obstreccionibus vindicare. Item ex betonica, præterea melle rosaceo, quibus si lentus sit humor & oximel addüt. In calidis autem rosacei syrupi in frequenti sunt vsu & cicoracei, vt tamen simplices prius, deinde compositi cum fortiores sint in vsu veniant. Solent autem nostri iuniores Arabes immitantes, illis aliquid alicuius aromatis addere, præsertim nucis muscatæ à nostris dictæ, siue sit Mirica à Græcis appellata, siue aliud, quod ideo addunt, quia sperat facilius, ad cerebrum deducenda esse illius medicamenti facultatem ope illius aromatis & illius odoris: nam aromatum vapor facile caliditate & tenuitate sua, vt Hipocrates in Aph. visus est innuisse caput petit, & cum ita sit aromatizari syrupum dicunt. Quamuis autem instrumenta respirationis vt torax & pulmones actione exerceant vitæ maximè necessariam, non tamen quantum ad horum naturam spectat, tantam in eis vim habet indicatio quæ indicat per astringentia, robur visceri addendum esse, cum potius ferè astringentia his inimica sint: vias enim spiritus exasperant & angustant, quas tamen apertas in primis seruare oportet & lenes, vt & spiritus facilius per illas ferri possit, & excrementa quæ naturæ instituto per aliam ferè viam expurgare ne queunt

nequeunt, minori labore educatur. Vnde laxantibus potius, si nō omnino, saltem ex aliqua parte opus est & aperientibus, quamuis ex secundo Meth. morbus alioquin curandus esset astringentibus, vt in his qui sanguinem reiectant. Sed & alia est differentia, inter has particulas & naturalia viscera, quantum ad medicamentorum electionem pertinet, quōd dulcia non admodum ventriculo & iocinori illis ægrotantibus conferunt: nam multus eorum vsus ex Galeno ventriculum resupinat, in iocinore verō, præsertim si calidus sit, in bilem vertuntur, præter id quod eorum plurima illud obstruunt. Partibus verō respirationi deseruientibus, tanta est cum dulcibus familiaritas, vt sine mixtione alicuius dulcedinis nullum medicamentum possit in his efficax esse. Vnde siue lenientibus asperitates pulmonum & toracis opus sit, siue attenuantibus, seccantibus, detergentibusue, vt in difficultate respirandi quæ à crassa & lenta materia, impacta in vijs spiritus, vt in asthma exciatur, siue nobis incumbat munus astringendi, vt in reiectantibus sanguinem à torace vel pulmonibus, semper immiscemus dulce aliquod alijs oportunis medicamentis, & id quia hæc facilius, vt Galenus dicit, dum per gulam delabuntur deuorata in asperam arteriam quasi resudantia assumuntur, quo fit deinde, vt quoniam præcipue profunt in transitu per gulam: quando verō ad vetriculum de-



scenderunt parum, rectè à medicis institutum sit, vt huiusmodi medicamenta, quibus vt solemus in curandis harum partium affectibus non absorbeantur, vt deuorentur confertim, sed paulatim quasi delingantur, vnde syrupsis sepe vti solemus non alioquin ex aliqua aqua dilutis, vel si diluatur instituimus, vt veluti pitissando paulatim absorbeantur. Et hæc sunt obseruationes quæ à natura particulæ sunt desumendæ, quatenus verò ad naturam affectus pertinet in harum partium asperitatib. quæ ab acri, calida & tenui destillatione fomentum & occasionem habent, Syrupi vtilis erunt violacei, & qui ex zingiphis fit, & qui etiam ex portulaca: sed interdum si calida & plurimum acris fluxio fuerit, Syrupus ex papauere non erit ineptus, sicut & diacodion, præsertim cōfectum ex sapa vel saccaro: quando verò viæ spiritus & particulæ illi ministrantes, obsidentur à crassa & lenta materia, simplex oximel optimum erit: vltèrius verò re procedente, Syrupus ex radice dulci confectus, postea & syrupus ex hysopo: tandem & qui ex prasio, qui omnes sunt in compositis: postremò præstantissimum medicamentū erit oximel scilliticum. Sed cum iam de electione medicamentorum habita ratione morbi & partium, quantum ad institutum hunc nostrum pertinet satis dixerimus, restat vt alterum iam caput tractemus. Id est de copia & mensura horum medicamètorum cum  
illis

illis vti volumus : nunc solis siue cum alijs mistis: Et ab ipsis syrupis incipiemus vt hactenus fecimus. Consueuere hac & priori tempestate medici, cum syrupos gratia præparandi humores noxios & corpus fluidum faciendi exhibent, plerunque à sex quinciam in corporibus adultis, vsque ad alteram vnciam accedere: & cum vsus iam diu inualuerit, vt illi ex aliquibus stillarijs aquis, vel ex aliquo decocto, vt paulò ante diximus, diluatur, in more etiam est, vt tres, aliquando verò quatuor vnciæ accipiantur ad hoc officium, ita vt vniuersa copia ad quinq; vel sex vncias perueniat: & id quidem mea sententia, quia huiusmodi medicamenta, neque odore neq; suo sapore grata sunt, imò ferè ventriculum dum assumuntur sæpius supinum reddunt: præter id quod humor quo constant (omnia enim saltem actu humida sunt) laxiorem substantiam ventriculi & viscerum lædunt. Ideo neque admitti si maiori copia afferatur, neque etiam ferri facile possunt, nisi interdum calidioribus temporibus, quando ægri multa cruciantur siti: tunc enim maximè si frigidi offeruntur longiores, vt dici solet syrupos cupiūt. Præterea verò cum ita liquidi facilius de ventriculo diffuunt, visum est me dicis quòd si maiori darentur copia, parum prodesse possent, & quòd de syrupis diximus, id etià ad decocta & potiones est referendū. Quòd si interdum non vnus syrupus, nostro scopo sa-

tisfacere videatur, sed pluribus sit opus, illorum pondus scopis est aptandus, qui nobis demonstrant pluribus esse opus: nam nos ad hanc comparisonem & mixturam accedimus, quia sint simul coniunctæ duæ vel plures res quæ diuersam rationem indicandi habeât, sicuti esset morbus & causa, vel duo morbi: vel quia etsi principaliter aliquid nos cogat ad vsû alicuius medicamenti, timemus tamen ne alicui alteri particulæ noxam afferat aliquam, vt vetriculo vel iocino-ri, vel vtero, vel alteri particulæ. Vnde eligemus quidem medicamenti illud quod præcipue affectui est accommodatum, sed illi aliquid aliud miscemus quod familiare sit alteri cui timemus. sicut id quod præcipuum est, primùm respiciendum est, ita & copia illius medicamenti maior est apponenda, quod accommodatius indicauimus esse præcipuo scopo nostro: vt verbi gratia, si sit febris biliosa cum laxitate & dolore ventriculi: accipiemus quidem vnciam syrupi ex endiua vel ex cicoreo, & illi semiunciam syrupi rosacei addemus, ita si causa morbi fuerit materia læta & crassa, morbus verò calidus, saltem ob putredinem vtemur quidem syrupo ex betonica, vel oximellite composito, vel syrupo ex hyssopo prout valentioribus vel imbecillioribus opus esse visum fuerit, horumque vnciam apponemus, semiunciam verò cicoracei alicuius addemus. Semper enim scopis & indicationibus secundum earum

vim & robur accommodata sunt medicamenta. Modi verò quibus his syrupis utimur duo sunt in vniuersum: nam aut illis dilutis & fluidioribus factis ex aliquo liquore vel humore, aut siccoribus & citra missionem alterius humoris. Hæc autem differentia est inter vtrunque modum. quod cum liquidi & fluentes sunt, vt citius fluunt per gulam, & descendunt ad imum ventriculum, ita & facilius assumuntur & digeruntur per venas etiam angustissimas: cum verò citra dilutionem accipiuntur, cum sint lentiori aliquis participes in via & transitu vetriculo hærentes diutius immoratur: quo fit deinde vt hac de causa quemadmodum supra dixi, sepe illis in toracis & aliarum partium in eo contentarum affectionibus utimur, non quidem dilutis: nam dum diutius in transitu moram trahunt, facilius penetrant & transmutantur à spiritalibus membris, sed & in affectibus etiam ventriculi hoc pacto maiorem impressionem facere possunt. Ordo verò quo illis solemus in curandis morbis vti est, vt ferè semper à simplicioribus, & leuioribus incipiamus, & paulatim ad magis cõposita & valentiora ascendamus: nam mutationes repente factæ & cõfertim, nature molestiores sunt vtpote quæ sint violentiores. Tempus autem oportune his medicamentis accipiendis quæ habenda sunt liquidiora & diluta, videtur esse cum ventriculus est inanis à cibo, & eatenus ante

cibum, vt ante illum ingestū, acceptus syrupus, vel decoctum potuerit esse ad actum deductus, & iam de ventriculo defluerit, & à venis mescraicis fuerit assumptus: nam si dum cibus in ventriculo est; assumitur, miscetur cum cibo, & confunditur, & eius facultas à cibo & alio potu remittitur, cūm differentis sit nature & qualitatis, præterea non attrahitur nisi post concoctum cibum simul cum eo, cui & hoc accedit, quòd si cū cibus coqui cœpit, accipitur, impedit & remoratur cōcoctionem, sicuti si ferculis dum coquantur aquam inspergas: feruor enim intercipitur. Sed & id addamus, quòd syrupi, licet vim medicamenti in primis habeant, habent tamen & aliquid nature cibalis: quantum autem lædat alterum cibum ingerere, antequam prior sit confectus, & de vētriculo descēderit, nemo est qui nesciat. Vnde rectè fieri putamus id quod plærisq; locis seruari solet, vt eiusmodi medicamēta quæ egrotis traduntur, ratione apparatus tam humorum quàm corporis, pertres horas vel circiter ante assumendum cibum detur. Noui tamen aliquos fuisse celebres medicos, quibus præsertim in affectib. capitis probabatur vt istiusmodi medicamenta post cœnam traderentur, eadem sanè ratione qua & catapotia. Sed mihi hæc illorum ratio satis inepta videtur, quia hæc medicamenta cūm & ipsa à ventriculo aut concoquantur, aut saltem ab eius calore transmutentur, dum in  
 ventriculo

ventriculo coquantur, non video cur minus eorum vapores ascendant ad caput, quàm vapores cibi: & cur minus cum per se coquantur, quàm cum simul cum cibo. Quòd si vapores eorum citra cibum possint ascendere, & suam vim magis integram seruent cum sola sint, quàm cum confusa in longe maiori ciborum moie. & licet illis hoc condonemus, quòd vapores vtrorumq; mixti ad caput efferantur, longe tamen efficacior & validior erit medicamèti vis, quando seorsum tribuerimus, quàm quado erit cibo immixtum: non negabo tamen, quin quòd interdum exhiberi aliqua medicamenta vtiliter possunt liquida etiam, vt esset syrupus ex succo cotoneorum & alter similis: sed id alia ratione quàm vt eius vapor ad caput referatur, sed potius vt astringendo tum robur ori ventriculi tribuat, tum etiam vt potius reprimat vapores, qui ascendentes caput replere possunt. Sicuti dyacitonite sæpe vti solemus, alioquin verò magis expedit vt hæc ventriculo ieiuno sumatur. Sed quoties & quousque id genus medicamenti in curandis morbis vti oportet? Si minus modici & parci fuerimus in vsu oportunorum medicamentorù, cum illis vtamur, vt naturæ in cõcoquendis & transmutandis humoribus laboranti opem feramus, aut illa non poterit, aut ægrè tardeque vincet noxiam materiam: quatenus etiam ad auxilia medici pertinet, protrahetur etiam in longius eua-

cuatio, quam sibi moliédam proposuit medicus cum sit necesse concoctionem morari. Si verò immodici & nimij fuerimus, cum eiusmodi medicamenta concoctionem iuuantia, plerunque vim præterea habeant digerendi laxandiq; reddét viscera laxiora & imbecilliora: itidem de incidentibus & detergentibus dicere possumus. sed & caliditatis cum hæc eadem nõ sint experia, possent calidam temperaturam afferre, sicuti è contrà quæ refrigerát. Vnde monuit Gal. quòd medici imprudentes quandoq; non curant morbum, sed potius in affectum contrarium transierunt. Oportet autem in hac re primùm præ oculis habere primam indicationem propositam, & eatenus vti medicamētis, quatenus præsens erit res quæ nobis eorum medicamentorũ rationem indicauit, quæ quidem remota ab huiusmodi etiam medicamentis abstinere oportet, imò interdum neque eatenus illis incumbendum. Sæpe enim, vt dicit Galenus, natura ipsa citra vllum medicamentorum vsum morbosa vitia corrigit, præsertim quando non sunt amplius ingentia, quod nos quotidie experimur. Videmus enim quòd postquam de morbi magnitudine non parum fuesit ope medicidetractũ, natura paulatim resumptis viribus quæ fuerant prius labefactatæ reliquias præcedentis morbi sponte, & nullum exigēs auxilium à medico, sæpe absomit, & hoc fortasse spectans Auicenna dicit, quòd non omnis

nis ægritudo suo medicatur contrario: in multis enim sufficit sola regiminis bonitas. Rem autem hanc sola prudentia & peritia poterit moderari, sed de syrups iam satis.

*De trociscis uel, ut Latini dicunt, pastillis.*

Cap. VII.

**T**rociscorum non est vna ratio, nisi quatenus ad eorum formam & figuram, & confectionis modum pertinet: nam omnes ex aridis medicamentis tritis & in puluerem reductis, moxque aliquo liquore ut coherere possint assumptis, ac in orbicularem formam depressam lupinis ferè similem conficiuntur. Vnde Græcè trocisci vel ciclisti, à Latinis Pastilli dicuntur. Facultatib. verò & modo quibus illis utimur, sunt differentes. alijs enim utimur interius per os assumptis & detractis: alijs verò exterius administratis: quibusdam verò utroque modo. Sed hanc vsus diuersitatem exponemus, cum de illis particulatim agemus. Primùm enim hoc arbitror considerandum, quòd inter medicamenta quæ ore sumpta vim habèt corpus immutadi præsertim attenuando, secando, digerendo, & exiccando aperiendoque, videtur trociscorum facultas & vsus maiorem vim habere, seruata semper aliorum paritate: quia simplicia ex quibus



fiunt secundum totam suam substantiam & uniuersas vires ingrediuntur. & præterea quæ ex plantis accipiuntur, si prius arefcât, & id ex arte fiat, assumpto aqueo illo humore, quem seruant dum viridia sunt maiorem vim calefaciendi, vt Galenus sæpe dicit, siccandi habent, & subinde attenuandi & disseccandi. Vnde multa eorum acriora arida sunt, quâ viridia, quod & de ruta & de alijs herbis à Galeno fuit expositum: quare in curatione febrium putridarum, Auicenna præcipit nunquam esse incoandâ curationem à trociscis, imò nõ nisi post quartam decimam diem. Eorum pastillorum quæ deuorari solent, alijs præsertim in febribus diuturnioribus vtimur, in quibus ventriculus & iecur, & tandem omnia viscera imbecilla fiunt, & multis obstructionibus obsidentur laxioraq; ex multa pituita reddâtur, quæ à cruditatibus ex infirmitate quotidie generitis ortum habent. Vnde omnes ex illis conficiuntur, quæ astringendi & roborandi aliquam facultatem habent, & ex alijs, quæ attenuandi, secandi & exiccandi, & calefaciendi. Alij etiam & illi multiplices ab authoribus descripti reperiuntur, qui aut in nullo aut in raro sunt vsu, quorum vires sunt partim vt refrigescât astringâtq; partim vt sitim sedent, quos non prosequemur hac tractatione, quæ rationem eorû medicamentorum explanare polliciti sumus, quæ in frequentiori vsu hac nostra tempestate esse solêt. In quibus

bus sunt trocisci, qui de rosis vulgo dicuntur, & sub hac appellatione seruantur, quorum duæ sunt compositiones. Ea quæ magis in vsu est, est illa quæ trociscorum de rosis minorum appellatur: simplicior enim est & minus etiam valida: altera verò quæ maiorum trociscorum de rosis dicitur, & valentior est, ex pluribus simplicibus conficitur. Prior in maiori vsu est, & plerunque paratur: conficitur autem ex rosis aridis ponderis 3. 4.

Radice dulci pondere, ʒ. v.

Spica nardi pondere, ʒ. ij. s.

Omnibus ex vino albo assumptis, fiunt trocisci, qui ventriculum ex multa pituita laxante etiam emolliente languidum, possunt reficere, roborare, & desiccare fluxiones ad ventericulum & iecur delatas: nam folia rosarum arida exiccant astringuntq;: spica verò attenuat, calefacit, obstructions aperit, modestè ventriculum calefacit, concoctoriam etiam modestè omnium vitiosorum excrementorum facultatem habet: & vim habet ciendi lotia, radix etiam dulcis alicuius astrictio nis particeps est, sitim sedat, & lenit omnes viscerum asperitates: diuturnis ergo febribus, in quibus multa pituita redundat vtiles sunt. His verò valentiores & fortiores sunt trocisci qui diarodon hoc est, ex rosis nuncupantur, non tamen Græcum potius quàm Latinum retinent, vt ab alijs discernantur, quæ suam à rosis appellatione-

nem habuere. Describitur sic à Mesue:

Accipe rosarum aridarum aureos vj.

Spicæ nardi, aureos ij.

Radici dulcis, aureos iij.

Ligni aloes, aureos ij.

Spodij, aureum .j.

Croci, semiunciam,

Mastichis, ʒ. ij.

& vino albo, omnia assumpta fiunt trocisci.

In his priori confectioni additum est Aloes appellatum, vel agalocum, quod cum sit altringentis gustus cum quadâ amaritudine, vt Dioscorides dicit, vim habet obstructiones aperienti, roborâdi viscera, extenuâdi crassos humores, & humida ventriculi vitia emendandi, iocinoris doloribus succurendi: præter id quod Auicenna illi tribuit vim s. cordi roborâdo idoneâ. Addit & spodium, quod Arabes Canç appellât, eo quod ex quibusdam cânarum radicibus combustis conficeretur, res (mea quidem sententia) his temporibus ignota. Additur & parum croci, qui calefaciendi aliquantulum & exiccâdi vim habet, & vt ait Dioscorides, ciendi vrinam, præfertim verò coquendi quæcunque concoctione egeant: roborant ergo viscera aperiuntque hi pastilli satis insigniter. excrementosum humorem desiccant, colliguntque laxiorem ex nimio humore redditum ventriculum, quare diuturnis febribus quæ ad malum habitum & aquam intercutem

tercutem adducunt, sunt maximè vtilis. Tertiū ordinem obtinere possunt qui ex rosis maiores dicuntur, à Mesue descripti, ita verò fiunt:

Recipe rosas aridas, ʒ. iiij.

Agalocum ad ʒ. ij. vel lignum aloes, vt Arabes dicunt,

Mastiches, sex quidragmam,

Spicæ nardi,

Cinamomi,

Cassia,

Schenanthi,

Absinthij, sing. ʒ. j.

Ex quibus tritis, & decocto quinque radicum communium, & vino veteri assumptis, fiant trocisci. In his præter decoctum radicum in quibus est vis aperiendi insignis, & locia ciendi, superioribus adduntur cinamomum, cassia, quorum quanta vis sit in aperiendis & roborandis visceribus & putredini obsistendi omnes norunt. Et ob id etiam in hoc describendo non erimus multi, sicut etiam in schenâtho & absinthio. Sed his etiam validiores sunt, qui à rosis & eupatorio appellantur:

Nam præter rosarum, ʒ. viij.

Et spicæ, ʒ. iiij.

Et Spodij, sex quidragma,

Et radicis dulcis, ʒ. iiij.

Accipiant rhabarb. ʒ. iiij.

Quod & mirificè obstructions aperit, & crassas

materias sua amaritudine & partium tenuitate attenuat, & detergit: vi etiam astringente laxata viscera colligit & roborat, excrementitiamque humiditatem desiccatur: aliquid etiam si quidem paratum ad euacuationem, nulla vi ineptis illata euacuare potest. Accipiunt etiam Eupatorij succi, ʒ. x. de quo satis in syrupis loquuti sumus, Credimus enim in his nos & vero eupatorio Dioscoridi, & noto Galeno vti posse, quod nunc agrimonium vocant, & Mesue etiam eupatoriū. Nam licet in nomine Arabes decepti sunt, in facultatibus tamen illius herbæ, vtpote quia ab ipsa experientia fuerunt edocti, non credo fuisse deceptos, quin & quod iocinori roborando, & aperiendo commodum sit medicamentum noverint. Præstantissimi verò in obstructionibus aperiendis, & faciliè educendis humoribus, qui obsident obstructa viscera: illisque roborandis atque etiam in locio ciendo sunt pastilli qui ex rhabarbaro dicuntur. Rhabarbari enim copia quæ accipiunt, longo interuallo, illa omnia simplicia superat:

Accipiunt enim Rhabarbari, ʒ. x.

Succi eupatorij, ʒ. iij.

Rosarum, ʒ. iij.

Anisi,

Rubiæ,

Abſintij,

Seminum apij,

Agarici,

Agarici, ſing. 3. j.

Amigdalarum amar. 3. iij.

Vnde apparet quòd maiorem vim aperiendi habet, quàm superiores, & ciendi lotia : Nam rubia & affarum, apij ſemen, & ſpica ea facultate ſunt prædita, & ex ea rhabbarari copia maioré etiam facultatē ciendi aluū habent. Vnde in diuturnis febribus, & illis in quibus iā adest cachexia, atq; ſubeſt futuræ aquæ intercutem ſuſpitió, optimi ſunt & in multo vſu, ſi rectè parantur. Sunt & ad eaſdem febres admodum vtilis, qui ex abſinthio dicuntur, & ipſi in frequenti vſu, quæmuis quòd à rhabbararo dicti ſunt, valétiores ſint: ſi quis rectè extimare voluerit: copioſius ſiquidē rhabbararum illi accipiunt: hi enim conficiuntur, acceptis Roſarum,

Abſinthij, ſing. 3. ij.

Rhabbarari,

Succi eupatorij

Aſſari,

Apij.

Spicæ,

Mafliches,

Malabatri,

Amigd. amar. ſing. 3. j.

illisque ex ſucco endiuizæ aſſumptis. Sed de his ſicuti etiam de illis qui ex eupatorio dicti ſunt, & in hunc modum componuntur vt accipiatur manzæ vel tereniabin, ſucci eupatorij vtriuſq;

dragmam vnam.

Rosarum, ℥. quinque.

Spicz, ℥. iij.

Rhabarbari,

Affari,

Anisorum, sing. ℥. ij. s.

Spodij, ℥. iij.

Componantur ex succo eupatorij. non multa discuturifumus. Ex illis enim quę de alijs dicta sunt facile & horū vires & robur percipi potest, quādo superfluum est in longiorem sermonem hæc protrahere. Ad pastillos autem ex capparibus transeamus, qui in plurimo sunt vsu apud omnes ferè in curandis affectibus lienis, præsertim in validis & antiquis illius obstructionibus & scirrhis tumoribus. Nam ex omnibus fermè medicamentis quę in his lienis affectibus, quos nuper recensuimus, solent ab authoribus plurimùm commendari.

Accipiunt enim primùm corticis capparorū & agni casti, vel vitricis seminum, sing. ℥. vj. quę vtraque attenuant, deterguntq; insigniter, cum sint tenuis substantiæ vel partium tenuium, amaritudinis non expertia, cum aliqua austeritate, quę indicat non deesse aliquam vim astringentem, qua robur viscerum seruari possit, quę omnia sunt vtilia & necessaria ad aperiendas viscera, & præsertim iocinoris & lienis obstructiones, & atterendos discutendosque eorum tumores

tumores duriores. item accipiunt nigellæ.

Calamenthi,

Succi eupatorij,

Acori,

Amigd. amar.

Nasturtij,

Amoniaco,

Florum rutæ,

Aristolochiæ rotundæ, sing. ʒ. ij.

Quæ omnia, excepto amoniaco, quod vim habet molliendi insignem, quod & ipsam durioribus affectibus commodissimum est, valenter attenuant digeruntque: postremo, accipiunt ciperi, ac scolopendrij, vtriusque ʒ. ij. quorum primum extenuat & incidit, cum modica quadam astrictione. De scolopendrio non est cur multa dicam, quia à liene tanquam ei medicamentum aptissimum à Græcis Asplenon dictum est. Vnde validè cõfert ad tollendos induratos inueteratosque tumores eius & affectus, quod nõ modò interius sumptum ex aliquo huic rei idoneo decocto, quale id est, cuius Mesue meminit, nempe ex radice capparorum frasiisique, & ex miricæ folijs, ex vino decoctis, cui decocto Galenus oximel addidisset: nam in his affectibus esse nunquam præmittendam acetum, mirificè prodesse potest: sed & externis aliquibus oleis vel ceratis exceptum & illitum non parum solet esse utile. Sunt & aliæ duæ trociscorum descriptiones, qui iidem tam



exterius quàm interius administrati solent esse vtilis, & eandem vim habent. Qui cum & ipsi in vsu sint, & parati reperiantur, non sunt silentio prætereundi. Habeat autem consimiles ferè facultates. Ambæ enim possunt sanguinem reprimere & sistere vnde quaq; ille profluat, & id vel illinantur, vel deuorentur. Primùm autem de illis agemus, qui à terra Lemnia vel terra sigillata nomen habuere, quorù author fuit Mes. Et quia sanguis fluens reprimi nõ vna facultate, sed multiplici potest: nam & per refrigerátia & per exiccantia & agglutinantia, & per astringentia, vt etiam præteream quæ exurèdo induceta quadam crusta quasi operculo quodam præcludunt exitù fluenti sanguini: nam his nullis in medicamentis locis vidètur esse, quæ deuoranda, interiusq; sumenda sunt. Si quis diligèter compositionem horum pastillorum considerauerit, ex omnibus illis facultatibus constare faciliè percipiet. fiunt enim sic:

**Recipe sanguinis draconis,**

Gumæ Arabicæ appellatæ Assatæ,

Ramich medicamenti,

Rosarum aridarù, & earumdé seminum,

Amiliq;ue Afsiz,

Spodij,

Acatiz,

Hipocistidis,

Canapis,

Lapidis

Lapidis hematitis,  
 Balauftiorum,  
 Boli armeni,  
 Terræ Lemniæ,  
 Seminis canapis,  
 Corallorum, Charabe, hoc est succini, vel  
 electri, singulorum ʒ. ij.  
 Margaritarum,  
 Tragaganthi,  
 Papaueris nigri, sing. sexquidragmam,  
 Portulacæ affæ,  
 Cornu cerui vsti,  
 Thuris,  
 Gallarum,  
 Croci, sing. ʒ. ij.

His omnibus tritis fiunt trocisci ex aqua plan-  
 taginis, in quibus aglutinant amilum, tragacan-  
 thum, non nihil & portulaca quæ præterea & re-  
 frigerant, exiccant cætera omnia, & eorum pla-  
 raque astringunt, imò vt & magis exiccant ali-  
 qua earû affantur: Nam affatio, vt Galenus sæpe  
 dicit, ficcitati & astrictioni addit, ficcant autem,  
 refrigerant & astringunt sanguis draconis, ro-  
 farum folia & femina, spodium etiam arabum,  
 quicquid illud fuerit, ficcant & refrigerant. Acacia  
 autê hipocistis, lapis hæmatites, balauftia, terra  
 lemnia, corallus lapis, margaritz, omnia refrige-  
 rant, ficcant plus minusûe, astringunt. Sed & thus  
 non sine astrictione est, quamuis ea non multe

fit, adiuvat ad sistendum præterea sanguinem: tum quia emplasticam habet facultatem, tum vero quia etiam desiccatur: crocus verò & ipse astringentis est particeps & exiccat, quamuis calida hæc sint. desiccando item & succinum solet fluxiones sistere, quamuis potius caloris quam frigoris videatur esse particeps. quod autem nigrum papauer refrigerando possit sanguinem fluentem reprimere, nemo est qui non nouerit. Potest ergo in hoc officio præstare hoc medicamentum, si modo aliquibus aut non careremus, aut rarissimè haberemus, aut etiam ficta ea non afferrentur: nam neque terram lemniam, neque bolum armenum me vnquam vidisse puto, quæ vera & fidelia sint. Existimo tamen terram illam quæ allata ex oris Orientis pro Armenia utimur non fore inutilem, quia quæcunque illa sit siue rubrica, siue quid aliud, refrigerat, desiccatur: præterea lentorem quædam habet: quibus nominibus etsi forsitan non sit par bolo armenæ, illa tamen non multò est inferior. Valet autem medicamentum hoc non modò deuoratum, verum & per clysteres, præsertim verò in affectibus dysentericis iniectum ex rebus & decoctis huic rei accommodatis, imò & exterius si illis ex aliquo astringente succo aut oleo illinantur particulæ, unde sanguis emanat. His verò facultate similes sunt pastilli, itidè à Mesue descripti, qui ex Charabe ab eo dicuntur, quia accipiunt Charabe ut Arabes

Arabes dicunt. Succinum verò, vel electrum, vt  
Græci authores. Vnde & Galenus septimo de  
Comp. med. per loca tradidit literis confectio-  
nem pastillarum qui dialectim dicti sunt, & in  
Asclepiadem relati, qui maximè vtilis esse dicū-  
tur sanguinem ex partibus. Mesæe hos suos di-  
cit vim habere reprimendi sanguinem vnde cun-  
que manantem. Sic componitur:

Recipe Charabe partes sex,

Cornu cerui vsti, quod dum vritur, magia  
exiccatur & astringit,

Gumi Arabici,

Corallorum vstorum,

Tragacantz,

Acaciaz,

Hipocistidis,

Balaustiorum,

Mastichæ lacæ,

Papaueris nigri alsi, sing. partes duas,

Thuris,

Croci,

Opij, sing partem vnam & dimidiam.

Hæc compositio est cautè tractanda, vt pote que  
non parum sit soporifera, & quamuis in ea nigrū  
papauer, & tostam imponatur, quod, vt tertio  
de Comp. med. per loca dicit Galenus, propter  
ea torruere antiqui medici, vt aliquātulum vim  
soporiferam remitterent, ad eò tamen copiosum  
opium recipiunt, si quis supputauerit, vt valde

soporificum sit medicamentum: præfertim verò  
 cum nihil accipiat quòd vim aliquam insignem  
 habeat, qua possit se appio & facultati eius op-  
 ponere. De simplicibus autem ex quibus fiunt  
 hi trocisci, nihil est quod plura dicamus, quàm  
 quæ dicta sunt in expositione priorum trocisco-  
 rum, nisi quòd in his & lana imponitur, siue illa  
 ad cascamum Dioscoridi, siue ad quidpiã aliud  
 referatur: vnum tamen hîc noto, quòd cum vim  
 habeat in primis ciendi lotia, & obstructions  
 eperiendi, non videtur fortasse satis apta huius  
 cum alijs commixtio. Possumus tamen huic rei  
 respondere, quod duplici nomine potest & hoc  
 medicamentũ in his esse vtile: primũ quia sic-  
 cat, deinde quia dum humores ad vrinarias vias  
 mouet rationem reuellentis auxiliij sibi compa-  
 rat. Sed & hoc addo, quòd si illis vteremur in his  
 qui ex thorace vel pectore sanguinem expuunt,  
 neque priores neque isti possunt plurimũ pro-  
 desse, nisi ex melle, aut sapa, aut syrupo aliquo ex  
 hibeatur, quæ, vt Galen. septimo de Comp. med.  
 per loca dicit, eos ad particulas quæ laborãt pos-  
 sent perducere. Ultimo loco loquamur de pastil-  
 lis qui ab Arabibus & Mesue, de Alchachengi:  
 quæ est herba quam inter species solani recen-  
 set ram Dioscorides quàm Galenus, eam Latini  
 vesicariam dicunt, quia rubentes fructus ce-  
 rasus ferè similes in quibusdam quasi vesicis fe-  
 rant, Græci Phissalida & Alicacabum nuncupãt.  
 Vade

Vnde & Paulus pastillorū quos *ὀπιρροασπιρίων* appellat, meminit: sicuti Galenus in quinto de Comp. med. secūdū genera aliorū meminit *ἀλλυζαζαβών* dicit. Hi verò de quibus acturi nunc sumus, multum laudantur in ardore vrinæ, & in renum & vesicæ vlceribus, & conficiuntur sic: Recipe fructuum vel granorum vesicariæ, ʒ. iij.

Seminum cucumeris,

Melonis indi, quem nos **anguriam** dicimus,

Cucurbitæ, sing. ʒ. iij. s.

Boli armenæ,

Gumi Arabici,

Thuris,

Sanguinis draconis,

Seminum papaueris albi,

Amigd. amar.

Succi rad. dulcis,

Tragacanti,

Amili,

Granorum pini, sing. ʒ. vj.

Seminis apij,

Succini, siue carabæ boli,

Seminis hiosciam,

Opij, sing. ʒ. ij.

Fiunt autem pastilli ex Iuleb, aut mulsæ. In his trociscis est facultas deliniendi, demulcendi que omnem in lotijs acrimoniam: nam primus medicamentorum ordo, nempe fructus vel acini

vesicariæ, & tria illa maiora femina, quamuis vim habeant ciendi lotia, refrigerando tamen, & subinde acrimoniã quæ soboles est nitrosarum & biliosarum partium, quæ mixtæ cum vrina feruntur & abradunt, vellicantque vias, per quas transeunt, obtundere & reprimere, & muliebri quadam humanitate demulcere possunt. sed radicis dulcis succus temperato calore & humore resistit acrioribus humoribus, & idem pineæ nucleus præstare potest, qui leuigare potest asperitates ab acri humore excitatas. Semen autem papaueris albi & hyosciami refrigerando præter id quod mitigat ardorẽ & acrimoniã, obtundendo etiam quasi soporatum sensum, doloris sequitiam leuiorem reddunt. Thus maturando sua facultate concoctrice non parum vtile potest esse. Tragacantha autem & gumi, & ipsa applanandi & leuigandi vim habent: quia verò vlcera antequam ad cicatricem ducantur aliqua semper detersione egent, ideo huic officio inseruiunt amygdalæ amaræ, quæ præterea vnâ cum seminibus apij aliam commoditatem medicamento afferunt nam cum alioquin ea quæ dissecant & attenuat, vt quarto Aph. dicit Galenus, aduersaria sint renibus vlceratis, commoda tamen est intermissio eorum his medicamentis, quando nõ multa copia miscentur: quia vt idem Galenus decimo de Comp. med. secũdum loca docuit, in causa sunt, cur medicamenta primaria citius & facilius perueniunt

ueniunt ad vlcera loca. Curant autem vlcera tandem quæ deficcant, vt bolus armena, & altera etiam bolus, quæ miltoſ quoque vel macra à medicis dicitur: & ſanguis draconis, ſuccinum-que præterquã quòd & fluxiones ad vlceraſſam partem inhihent, vt antea etiam fuit à nobis expoſitum. Sed & hoc iſtis eſt addendum. Nempe quòd duobus modis ſolent hi paſtilli cõfici: aliquando enim iniecto opio, aliquãdo citra illud opium videtur neceſſarium quando tanta eſt ſequitia doloris vt ferri nequeat: aliquando enim adeo excreſcit, vt & febres & animi deliquiũ adducat, & vires deiiciat. ſi verò facilè fertur dolor, præſtat citra opium illis vti. Innumera ſunt præter has dictas paſtillorũ differentie, quæ vel non ſunt nunc in vſu, vel ſi quis illis vti velit, illis cum iſtis de quibus ſumus nos nunc loquuti collatis, facile erit & eorũ rationes percipere. Sunt & alij qui potius exterius adminiſtrari ſolent, & præcipuè in externis vlcerebus curandis quæ ad præſentem locum non pertinent.

*De alijs medicamentis interius ſumendis, vt electuariis vel confectiones, quibus ad alia munia quam ad purgationem vtimur.*

Caput VIII.

**E**lectuarium vocabulum eſt medicorum Arabum, ab eo fortaffe deductum, quia ex electis & præſtantioribus ſimplicibus fieri



soleant, vt efficacia deinde sint, quod vocabulum retinet & nostri medici, qui Arabes in medicina vnde quaq; sequuntur. Græci verò quantum ex Galeni lectione assequi possum hæc omnia medicamenta Antidotus appellarunt. In primo enim libro de Antidotis statim in principio quid sit Antidotus hoc modo declarat. Quod est id genus medicamentorum qui nō exterius administrantur, sed intra assumptum malis corporis affectiones sanare potest, præsertim verò diurnas. addidit ille idem secundo libro. Vnde & triplices Antidotorum differētias exponit, quia aliquæ veneno epoto opem ferunt, aliæ venentis ferarum morsibus auxilio sunt, aliquæ morbis ex mala victus ratione excitatis, vtilem operam præstare solent. Quamuis aliqui etiam reperiuntur antidoti, quæ triplici nomine & triplici hoc officio celebres sint. In quibus quæ Theriaca præsertim dicuntur, cuius Andromachus fuit author, tum verò Mitrydatica primum habent locum. Sed de illis antidotis quæ ad duas priores differentias pertinent, non sumus longiorem sermonem habituri: sed tantum hæc pauca satis erunt, quæ ad vnum institutum pertinent, qui de venenorum vel venenosorum alimentorum remedijs aut curatione ad præsentem libellum agere, spectare nō videntur, quia tamen cōposita medicamenta quæ præsentanea sunt vtriq; generi venenorum, præsertim conficiuntur ex pluribus

ribus aromaticis, ac alijs quoque quæ similem cum aromatibus vim habent in calefaciendo, attenuando, & aperiendo, præter eam facultatem qua priuatim venenosæ qualitati aduerfantur. Ideo veniunt sæpe & in usum alijs vbi nulla est veneni suspitio, præsertim verò in affectionibus diuturnis interdum capitis, interdum ventriculi, iecoriq̃ue atque aliorum viscerum, sæpe vteri, & articulorum, & id maximè cum à crassis & frigidis succis oriuntur: nam hæc medicamenta vi magna attenuandi, digerendi, & quasi atterendi crassos & pertinaces humores prædita sunt, præter id quod & robur addunt nativo calori: ipsis tamen non solemus vti inter initia horum affectuum, & non nisi prius aliquatisper expurgato corpore, & apparatus humoribus per coctionem: alioquin enim exagitant ineptos & multos humores, quos cum ob eorum pertinaciam non possint facile superare, maligniores & importuniores reddunt, quod sæpe, quartanarij experti sunt, qui ante concoctionem & corpus expurgatione theriaca vti voluerunt, & quartanas duplicarunt triplicaruntq̃, imò & interdum in continententes mutarunt, cum tamen eo usu alij, qui ea oportuno tēpore sumpserunt liberati fuerint. Sed hac tantum tanquam communi regula his omnibus proposita, transeamus ad tertiam antidotorum differentiam quæ magis instituto nostro est oportuna, eas nempe antidotos continen-

te quę morbis excitatis à mala victus ratione curandis accommodatę sunt. Et quia in electuarijs ab Arabibus dictis est etiam magna pars eorum medicamentorum, quę vim purgatoriam habent, de illis nunc nullam faciemus mentionem: quoniam de his satis in priore lib. egimus. Quę ergo nobis exponenda restant duplicia sunt: alia enim primùm affectus primarios respiciunt, aliqua verò magis sunt excogitata, vt aliqua symptomata: quādo illa adeò excrescunt & sæuiunt, vt maius negotiũ faceant quàm morbus, reprimant & mitigent. In quibus præcipuũ locum tenet dolor qui pro sæuitia sua sæpe cogit medicum, destituta omni ratione curandi affectus incumbere repressiõni & mitigationi doloris, præsertim verò medicamentis illis qui tempore vel sopore inducto hebetant facultatẽ sentiendi, vt nequeat doloris causam percipere. Sed de istis posteriorem faciemus tractationẽ: priorem verò de his quę primùm respiciunt affectus & eorum causas. Quę verò omnes hæ antidoti, siue electuaria conficiuntur ex aridis semper ferè medicamentis in puluerem redactis, ac mox ex melle aut saccharo assumptis, & ex ratione artis decoctis, quamuis ex saccharo hæc medicamenta componi Arabum fuit inuẽtum: antiquiores enim non eam copiam sacchari, neque id in tanto vsu habuere, sed melle solũ in his utebatur. Vnde antiquis medicis vnicus tantũ erat modus

dus conficiendi Antidotos, nempe in forma teneriori, simile illis quæ eclegmata quasi delinctus dicas, à Græcis dicitur. Arabes autem sacchari vsum in his componendis medicamentis introducere. duas etiam formas vel modos conficiendi hæc medicamenta introducere: alterum à priori non dissimilem, dum per mel assumunt pulueres ex aliquo syrupo, vt infra dicemus: alterum verò quæ saccharum ex aqua dissoluunt, deinde coquant, & alquanto etiam plus cogunt quàm si syrupus esset cõficiendus: nam cùm magis excoctum fuerit saccharum refrigerescens postea cõcrescit & indurescit: sed paulo antequam refrigerescat placentulas confingunt, aut rotulas: interdum verò quosdam quasi morsus, & septarij morseillas vocant. Medicamenta autem in hunc modum conformata, Confectiones appellant: nam vulgares dulciora quæ in vfu sunt in bellarijs in splendidioribus conuiuijs, confecta vel confectiones appellat ex saccharo factas. Sed & hoc antequam magis particulatim rem tractemus, iuuenes aduertant, quòd cuicumque libræ mellis vel sacchari addunt binas vncias pulueris, quamuis antiquiorib. temporibus (qui tirones adhuc sunt) vt est cõmunis medicorum opinio, trinas vncias puluerum, libræ sacchari vel mellis iniicere solerent, vt quadruplum esset saccharum vel mel ad pulueres. nostris autem temporibus sextuplum est. Hoc verò introductum est, vt mi-

nus ingrata essent medicamenta assumentibus, quamuis habeant postea vires minores. Nostra enim hac tempestate, magis indulgemus delicatioribus moribus hominum, quàm prisca faciebant, & hac etiam causa commenti sunt medici rationem conficiendarum harum, quas confectiones vulgo appellamus. Sed & hoc addamus quòd cum tota ferè vis horum medicamentorum deriuetur ab aridis medicamentis, ex quibus fiunt pulueres, & eorum maxima pars vim potius exiccandi habeat, ideo id genus medicamentorum quatenus ad primas qualitates pertinet, potius desiccant quàm humectant: In alia autem contrarietate alia calefaciunt, alia refrigerant. Vnde in sicciore affectibus, quantum ad id spectat, non est admodum utilis eorum usus, nisi aliquid aliud sit adiunctum, quod aliam indicationem maioris momenti haberet, vt esset laxitas, vel imbecillitas, vel frigus, vel calor alicuius visceris, & maioris faceremus robur quod horum usu esset addendum illi particulæ, quàm desiccationem, cui alia ratione possemus deinde occurrere. Neque illud præterea omittendum, nempe quòd cum mel sit calidius aliquanto ipso saccharo, & magis etiam aliquanto desiccet & detergat: ideo medicamenta ex melle confecta, aliquanto vires maiores in his habent vbi calefaciendum sit, & attenuandum, vel digerendum & detergendum. Non solum autem hoc medicamentorum

mentorū genere vtimur, propter corrigendas intemperaturas, præcipuè verò humidās aut frigidās aut calidās, sed & propter multa alia comoda. Aliquando enim vt astringendo & colligendo laxiorem substantiam particularum, illis robur addamus, & interdum vt reprimamus influentes humores. Ad hoc autem opus ea præsertim idonea sunt, quæ constant illis simplicibus, quæ astringentis facultatis non sint expertia: aliquando verò vt crassos & lentos humores attenuemus & digeramus, si qui sint in ventriculo aut intestinis, aut in alijs vijs communibus, atq; ita subinde obstructions aperiamus, cui muneri oportuna sunt, quæ ex medicamentis calidis & tenuis substantiæ confecta sunt. Vnde sæpissimè hæc eadem, vim etiam flatus discutiendi, dissipandi que retinēt. sed magis particulatim remagamus, & incipiamus à faciliorib. illis quæ potius refrigerant, & ita ad temperatiora progredientes, ad calidiora tandem perueniemus.

Quia verò duo medicamenta his temporib. sunt maximè in vsu frequētissimo: alterum quidem quod maximè commodum est in calidioribus affectionibus naturalium viscerum, præsertim verò ventriculi & iocinoris, quamuis nec parum vtile esse possit cordi calidiori intemperie laboranti. Et hoc Diatriosandalon nunc dicitur, quamuis etiam Triasandali vulgo dicantur, accepta appellatione à triplici sandalorum

genere, vnde maiori ex parte conficitur. Alterum verò quòd affectionibus gutturis, faucium asperæ arteriæ, & harum partium asperitatibus maximè conducit, atque à tragacátha quod simplex præcipuum ferè est in hac confectione nomen sortitum est. Diatragacanthum enim dicitur. Sed de priori primùm, mox de hoc loquamur. Accipit ergo primùm trium generum fædalorum,

Alborum,

Rubeorum,

Luteorum,

Itemque rosarum aridarum,

Saccari, sing. ʒ. vj.

Rhabarbari,

Spodij,

Succi radic. dulcis,

Seminis portulacæ, sing. ʒ. iiij. s.

Amili,

Gumi Arabici,

Tragacanthæ,

Seminum mellonis,

Cucumeris,

Mellonis Indi

Cucurbitæ,

Scariolæ, sing. ʒ. iij.

Comphoræ, ʒ. ij.

His cõmixtis & tritis duplex deinde est modus confectionis: primus veteribus consuetus, & à

Nicelao

Nicolao describitur. Ille enim omnia hæc medicamēta assumit ex rosaceo syrupo, ea copia, quæ possit esse satis ad dandam illi formam elegmatis, vel, vt aiunt, electuarij. Nunc tamen passim in solidiori compage factis placentulis, vel rotulis, hanc confectionem parant: Accipiunt enim saccharum & aqua macerant, præsertim verò rosacea, donec diluatur dissoluaturq; , postea in vase consueto, quo coqui solent id genus medicamanti, decoquunt quantum satis est. postremò additis pulueribus, probè commiscent, & facta proba commixtione effundunt in paratum instrumentum, efformatum in formam rotularum, vel placentularum. Est verò in hac forma magis in vsu, quia est magis hæc grata ægrotis. Non enim ita videtur spectantibus habere medicamenti effigiem, gratior deinde etiam gustu assumentibus. Maximè verò, vt dixi, affectionibus calidioribus iocinoris & ventriculi, & cordis, quibus præ laxitate substantiæ accidit imbecillitas. vtile est medicamentum, & præterea capite dolentibus, præsertim vbi à biliosa materia oriatur dolor: refrigerat enim non exiguè, nã sandali & rosæ ad secundum gradum refrigerantium ascendunt, quamuis non desint iuniores, qui in dubium reuocauerint, an sandali refrigerent, nec ne: quia tamen alij quicunq; authores eorum notitiam habuere: nam Græcis & antiquioribus videtur hoc medicamentum fuisse i-



gnotum) volunt omnes eos esse facultate frigidos, & quicumque eis vsi sunt, tanquam in refrigerantibus sunt vsi. præterea verò ex Auicenna in octauo de Viribus cordis aliquam habent astrictionem, qua laxa viscera colligere & roborare possunt, præter id quod, vt ait idem Auicenna, cui & Arabes subscribunt, spirant odorè quasi aromaticum, quo spiritus omnes in primis reficiuntur & roborantur. Vnde roborata omni ferè ratione membra, non facilè defluentes excrementosos humores, præsertim verò biliosos admittit. In hoc etiam adiuuat rhabarbarū, quod præter vim roborandi, præcipuè verò ventriculum & iecur quam habet astringendo, tenui etià sua substantia & calida, potest siquid iam defluerit, partim digerere, partim quoquo modo inferius ad intestina ducendo, ea qua præditum est facultate leuiter aluum soluendi, influentes biliosos humores deriuare. Sed semen portulacæ refrigerat & ipsum sicut portulaca cum aliqua astrictione, vnde omnes affirmant, portulacam plurimùm valere æstuanti vetriculo, & alijs visceribus, semina verò illa quæ maiora, frigida à nothis medicis appellatur, quòd refrigeret omnibus est in confesso: sed & ipsa cū soleat ad vias urinæ fluentes humores mouere, aliquam etiam rationem deriuandi habent. At verò quia biliosus humor præter caliditatem, potest sua acrimonia vehementiores in visceribus excitare dolores, pungendo

pungendo mordendoque, & quasi ea exasperare: ideo iure merito Auctor istius confectionis huic incommodo consulens, addit amilum, succum radicis dulcis, gummi, tragacatha, qui appanare & demulcere possunt omnem asperitatem: & omnem etiam acrimoniam obrundere hebetareque & morsum demulcere. Camphora vero & refrigerat, & spiritibus familiaris est. quæ autem vis sit saccaro, nempe leniendi, detergendi que, in qualitatibus vero actiuis ferè ad temperiem vergens, præter id quod bonum & gratum saporem gustui conciliat, omnibus est ferè notum. Quid plus habere possit, si ex syrupo rosaceo assumpti sint pulveres, & in modum electuarij ducti, facile norit qui eorum, quæ de syrupo rosaceo supra dicta sunt, meminerit. quod tamè non est multum in usu. Driatragacatum vero quod à Nicolao & proponitur & describitur, & his temporibus est in usu frequentissimo, atque ubique paratum reperitur: & quamvis si spectare vellemus ad modum, quo hæc medicamento uti solemus & debemus, & ad eius officium, magis fortasse pertinere videretur ad eorum medicamentorum ordinem, quæ eclegmata à Græcis, ab Arabibus vero & nostris Loch dicuntur. quod medicamentorum genus in affectionibus præcipuè membrorum quæ respirationi famulantur, in usu est: maximè enim profunt dum paulatim frequenterque deliguntur, facilius siquidem dum

paulatim & iugiter per gulam feruntur delincta aliquid ad asperam arteriam, quasi abfortū transfuit, ac ita ad pulmones & thoracem defertur: nam alioquin quando confertim in vētriculum confluunt, in veloci illo transitu nihil quod insigne sit ad internas thoracis partes permeare potest, quòd si deinde morandum postea tantisper est, donec medicamentum per venas digestum pertingat ad affectum locum in thorace, adeò longa est via per quam illi est transeundum, vt interim ita transmutetur in itinere ab ipsis particulis, quod non multas vires cum eò peruenerit seruare possit. Vnde quamuis fiat hoc medicamentum de quo nunc sumus loquuturi, forma & compage solidiori & duriori, perinde vt medicamenta alia quæ vulgo confectioes dicuntur, non tamen ita manditur & deuoratur, vt illa, sed diutius in ore vel sub lingua detinetur, donec à saliuâ molitum liquefcit, paulatimq; quasi delinctum defluat vt elegmata: nos tamē sequuti potius formam & substantiæ modum in hunc ordinem retulimus illum. Componitur sic:

Recipe tragacanthæ, ℥. ij.

Gumi, ℥. j. & ʒ. ij.

Amili, ʒ. s.

Radiciſ dulciſ, ʒ. ij.

Seminum melopponum,

Cucumeris,

Cucurbitæ, sing. ʒ. ij.

penida

penidiarum, ʒ. iij.

Camphorę, ʒs.

Syrupi violacei, quantum satis.

De his simplicibus ex quibus hoc medicamentum constat, supra satis dictum est: quare patet vires huius medicamenti esse vt possit refrigerare, leuigare exasperatas partes, præsertim fauces, guttur, asperam arteriam: præterea reprimere acrimoniam fluentium destillationum calidarum & acrium, & eas temperare & delinire.

Vtilis ergo præcipuè est destillationibus istius generis, & tussi ab ea excitata. Diacodion verò, quod ex capitibus papaueris fit, à Græcis dicitur & Arabibus & Latinis. Est autem frigidius medicamentum priori ex tragacanto, & in quo vt maior est vis refrigerandi ita & sistendi subinde fluentes destillationes, & illas incrassandi. Non est autem vna eius forma vel confectionis modus, neque quatenus ad ea ex quibus fit, neque quoad modum substantiæ vel compagis ad quam redigitur. Fit ergo primo sic vt maceratis capitibus papaueris quæ mediocris sint magnitudinis, & neque omnino viridia & recentia, neque omnino arida: nam in aridis ferè succus desiccatus & absumptus est: in viridibus verò ex septimo de Comp. med. per loca, aqueus humor nimis vires medicamenti languidiores reddit. maceranda autem sunt hæc capita, numero x. in sextario aquæ pluuiæ, vel fontanæ, hoc est in libris

ij. & semisse alterius per diem naturalem integram, moxque coquenda: & nonnulli præscribunt cocturæ modum ex partibus aquæ per coctionem absumendis: nam alij quibus subscribit Mes. ad tertiam aquæ partem absumptam coquendam esse dicit, alij plus minus. Galenus dicit quòd eatenus sunt coquenda, donec tenera & flaccida euadant, mox coláda & exprimendus est eorum succus vniuersus, vtpòte in quo fit vniuersa vis quam requirimus: mox addito melle aut sapa, ad eam mensuram, vt decoctum horum capitum ad mel vel ad saram duplum sit: iterum deinde coquitur ad syrapi consistentiam perinde vt syrapi coquuntur. Hoc autem modo confectum medicamentum, alij purum Diacodion vt Mesue appellat, alij simplicissimum. Cuius facultas eximia est ad sistédas præcipites destillationes omnes: vim enim non modicam habet refrigerandi & incrassandi, vt omnes norút, quibus natura eorum ex quibus fit nota etiam fit. Eius verò vsus utilis est inter initia, siue tenuis & calida sit destillatio, siue frigida & crassior. Sed tu dicis, cum refrigeret & incrasset destillantem materiam, quomodo potest esse utilis eius vsus in frigida & crassa materia? Dico quòd fluxiones præcipites, & quæ confertim fluunt, non possunt esse admodum crassæ: nam crassi succi non multum fluxiles & mobiles esse possunt, sed mox in locum in quem defluunt, crassescunt,

crassescunt, vel digestis tenuioribus illorum partibus, vel alia ratione: & præterea lentescunt. & hoc spectantes præstâtissimi medici, præsertim verò Galenus, duplicem excogitarunt eius confectionem, nempe quia aliquando ex melle, aliquando ex sapa conficiunt. quando fluxio frigidior est & crassior ex melle componunt, quod calidius aliquanto est, & detergit & attenuat. vn de pro facultate capitum papaueris potest fluxionem intercipere. Ex melle autem defluxam iam materiam, maximè autem ad pulmones & thoracem, vbi maximè crassescit attenuando & digerendo parare ad facilem excretionem. In calidiori verò tenuiori que destillatione, vttilior est si ex sapa conficiatur, quippe quæ neq; calida vt mel fit, neque attenuet. Sed & id notandû, quòd si ea duntaxat quæ hætenus dicta sunt considerentur, videtur potius medicamentum hoc ad ordinem syruporum pertinere. Sed quia & alio modo in præsentia à seplasiarijs paratur, & in vsu venit, nempe quòd ex saccharo fieri solet, & eo adeò excocto, vt concrefcens in placentulas, vel rotulas confingatur, perinde vt alia medicamenta quæ confectiones dicuntur. Ideo eius tractationem in hunc locum distulimus: nam saccharo pro sapa vel melle vtuntur, atque in hunc modum factum, facultate inter primum quod ex melle fit, & illud quod ex sapa medium est. quia saccharum minus attenuat & detergit, quàm mel

magis verò quàm sapa. Vnde huiusmodi forma  
 vsus est eius frequenter, cum neq; in tenui & ca-  
 lida, neque in frigida & crassa, adeò possit læde-  
 re vt aliæ duæ compositiones, sed in vtrisq; pos-  
 sit esse utilis, quamuis non ita efficax in frigida  
 vt prima, neque in tenuiori vt altera. Præterea  
 verò hæc tertia est gustui gratior & suauior. Cū  
 verò propter vitia thoracis & pulmonis hoc me-  
 dicamēto vtimur, eo vt Diagrágato & alijs me-  
 dicamentis vtimur, nempe vt in ore diutius de-  
 tentum, & liquefcens paulatim deglutiatur vt  
 delictus, elegmata. Cōsueuere autem medici an-  
 tiquiores ex eodem septimo de Comp. med se-  
 cundum loca, huic medicamēto dum id additis  
 melle vel sapa coquendo absoluunt, alia iniicere  
 vnde fiat efficax ad reprimendum sanguinē spu-  
 to vel vomitu reiectatum ex aspera vel fracta, vel  
 corrosa vena in spiritalibus partibus, vel etiam  
 alijs visceribus: cuius additionis & Mef. memi-  
 nit. iniiciunt autem astringentia, vt sunt acacia  
 hypocistis, crocus: alij præterea & thus, & mir-  
 rham: quidam, vt Mef. balaustia, rubiam, & me-  
 dicamētum quod ramich Arabes appellant, in-  
 iiciunt quotæcuique librę medicamenti horum  
 sing. vt ait Mef. 3.j. Possimus autem præfertim  
 vbi ab acri & calida fluxione oriretur sanguinis  
 reiectio, nos armenam bolum vel terram Lem-  
 niã, aut hæmatitem lapidem, vel id genus huius-  
 modi addere. Sed iã ad illas cōfectiones transe-  
 mus.

mus, quæ licet in aliquod frigus inclinent, à temperamento tamen parum recedunt: primùm autè de illa loquamur, quæ à rossis Diarodon dicitur, cuius duplex reperitur descriptio, vna Mes. quæ communis dicitur, alia Nicolai, quæ in Abbatis cuiusdam gratiam fuit composita, à quo & cognomine fortitum est: vulgo enim diarodon Abbatis dicitur, & licet aliqui interdum etiam illa communi vtatur, altera tamen magis vulgata est, & in maiori vsu, quæ differunt, quòd prior aliquanto frigidior videtur, Abbatis verò temperatior quamuis non sit insignis inter ipsas differentia. Constat autem prior communis ex ʒ. xxx: foliorum rosarum aridarū, trociscorum verò diarodon, trociscorum item ex spodio, præterea & radice dulcis sing. ʒ. iij.

Gariofillorum,

Galizæ moscatæ,

Trium sandalorum, sing. ʒ. iij.

Spodij,

Croci,

Mastiches,

Ligni aloes, sing. ʒ. ij.

Affari,

Spicæ indæ,

Maceris,

Cardamomi,

Seminis portulacæ,

Lactucæ,



Scariolæ,  
 Cucumeris,  
 Cucurbitæ,  
 Melonis,  
 Citrulli,  
 Margaritarum Alfehen,  
 Gefnich,  
 Ozimuni, interpretantur Rafuræ eboris,  
 Tragacanthi,  
 Gumi Arabici, fing. ʒ. j.  
 Camphoræ, sexquidragma,  
 Moschi, ʒ. s.

Materia cōfectionis est syrupus, qui fit ex aqua  
 rofacea & faccaro. Vnde patet quod Mef. confi-  
 ciebat in formam & compagem Antidoti, vel vt  
 nunc aiunt, electuarij, ficut & suum Nicolaus, cu-  
 ius compositio ita se habet:

Recipe Sandalorum alborum,  
 Rubeorum, fing. ʒ. ij. s.  
 Tragacanthi,  
 Gumi Arabici,  
 Spodij, fing. ʒ. ij.  
 Assari,  
 Spicæ,  
 Mastiches,  
 Cardamomi,  
 Croci,  
 Ligni aloes,  
 Gariofillorum,

Galliz muscatæ,  
 Anisorum,  
 Fœniculi,  
 Cinamomi,  
 Succiliquiritiæ,  
 Rhabarbari,  
 Seminis basiliconis,  
 Berberis,  
 Scariolæ,  
 Portulacæ,  
 Maluæ,  
 Lactucæ,  
 Papaueris albi,  
 Cotoneorum,  
 Citrulli,  
 Mellonis,  
 Cucumeris,  
 Cucurbitæ, sing. scrup. j.  
 Margaritarum,  
 Ofsis ex corde cerui, scrup. s.  
 Saccari candidi,  
 Foliorum rosarum, sing. ʒ. j. & ʒ. iij.

Materia verò qua assuméda sunt omnia, & com-  
 miscenda in hac confectione est itidem syrupus  
 ex saccharo & aqua rosacea, vt ad formã vel com-  
 pagem antidoti deducatur. His tamen tempori-  
 bus syrupo vltieris excocto confingunt placen-  
 tulas, vel rotulas, aut etiam morsus, vel, vt vulgo  
 dicunt Seplasiarij, morsellas. Quamuis auté nunc

in frequentiori usu sit Diarodon-Abbatis, quia tamen viribus & natura vtrunque proximum est, ideo de vtroq; vna & eadem tractatione, breuiter loquemur. Si omnia simplicia ex quib. hec medicamenta fiunt, seorsum examinemus, ac eadem mox simul mutuoque conferamus, facile videbimus: ea quæ refrigerant copia & numero alia vincere, quamuis non multo interuallo: & ideo vniuersum medicamentum refrigerabit quidem, vt tamen non insignis admodum sequatur inde refrigeratio, sed modesta. Cum verò ex diuersis simplicibus constet, & illis natura & facultate differentibus, ipsum quoque non simplices sed potius multiplices vires, quibus laborantibus visceribus, presidio esse potest, retinebit: nam ex multis calidis constat, quæ tenuis substantiæ & tenuium partium sunt, quæque illi facultatem impartiri possunt, attenuandi, digerendi crassos succos, desiccandi excrementitium humorem, qui laxando languida reddit viscera: præterea verò aperiendo eorum obstructions: multa etiã insunt, quæ cum vim satis insignem habeant cindidiloria, ea ratione possunt educere reliquias vitiosorum humorum, si quæ iam inclinantibus morbis reliquæ sint. Sunt quoque multa astringentia quæ possunt astringendo & colligendo, laxiorem & languidiorem viscerum substantiam roborare: præterea verò cum nullam habeant ingrati qualitatem, non odorem, non saporem,

non

non quippiam aliud quod fastidium possit affumentibus afferre, maximè commodum est medicamentum conualescentibus, præsertim fastiditis, iam à præcedentibus. medicamentis tam purgantibus, quàm alterius generis quæ ingrata ad modum sunt: vnde vtile est ad finiendas reliquias morborum, præsertim calidorum, cum possit, si quid relictum sit calidæ intemperaturæ in visceribus, tâquam fomentum quoddam morbi præcedentis illud paulatim tollere, reliquias obstruccionum auferre, roborare languidiora viscera: præterea verò ventriculum & iecur, quamuis & capiti nõ sit inutile & cordi, cum multa recipiat, quæ illi comoda sunt, quæq; eius spiritus quoquomodo fouere potest. Nolumus autem omnia simplicia singulatim exponere, ne nimis longifimus, maximè cum de piuribus illorum ante loquuti simus, Reliquorum verò vires facultatesq; clarè à Galeno, Dioscoride, & alijs fuerunt explanatæ. Modus verò eo vtendi idem omnino est, qui & aliorum id genus antidotorum, nempe vt mane & ieiuno ventriculo accipiatur, ita vt ante ingestum cibum possit à natura in actum deduci. Alias antidotos exponendas alterius naturæ & temperaturæ, nempe calidæ aggrediamur: quæ valèt ad corrigenda vitia quæ oriuntur à frigida intemperatura in frigidis tempestatibus: calefaciunt enim, attenuat & digerunt reliquias frigidi & pituitosi excrementi, præsertim

verò ventriculo & reliquis visceribus insidentis & flatus insigniter discutunt: nam & multis aromatibus constant, & alijs præterea medicamentis, quæ fundatam habent caliditatem in partium tenuitate. Sed eorum etiam pleræque multa recipiunt, quæ astringentis sunt expertia, & proinde roborant colligendo languidiora & laxiora viscera. Incipimus autem à temperatiori in hoc ordine, quod aromaticum rosaceum nuncupavit Mes. deducta appellatione à rosis, quarum insignem copiam aliarum comparatione recipit, tum verò à multis aromatibus ex quibus conficitur, nisi quis dicat, ab aromatico odorem quem spirat esse in hunc modum vocatum. Sed quomocunque res se habeat, parum refert. ex multis autem descriptionibus quas Mesue refert, ea solum est in usu, quam ipse in Gabrielem authorem retulit. Constat verò his.

Recipe rosarum aridarum, ʒ. xv.

Radice dulcis, ʒ. vij.

Agalochi vel ligni aloes,

Sandalorum citrinorum, sing. ʒ. iij.

Cinamomi electi, ʒ. v.

Maceris,

Gariofillorum, sing. ʒ. j.

Spice, scrup. ij.

Moschi, scrup. j.

Ambrae, scrup. ij.

Materia verò qua hæc omnia in puluerē redacta  
post

post concoctionem in formam Antidoti vel electuarij assumatur: sunt syrupus rosaceus, & qui ex corticibus citri fit, pari copia: quamuis in frequentiori vsu in præsentia sit, vt ad solidiorem formam redactū in placentulas vel rotulas confingatur. In hac cōpositione, quamuis rosarum sit præ cæteris maior copia, tamen præcipuum & simplex, & basis est cinamomum, rosæ verò ea copia accipiuntur, vt medicamentorum aliorum, præsertim aromatum, insignis calor temperetur. Scopus enim authoris fuit medicamentū conficere, quòd à temperie non multo recederet interuallo: numerus autem & copia aromatum & eorundem vis aliorum comparatione maior, quæ calore & tenuitate partium possunt rarefaciendo laxare substantiam viscerum, quamuis eorum nonnulla alicuius astrictionis non sint expertia, ea tamen satis modica est: & ideo rosæ & sandali, præter id quod aliorum caliditatem temperant, astrictionem etiam addunt, qua potest etiam robur particulis conciliari, sicuti radix dulcis satis copiosa additur, quæ potest exasperatas particulas ab exiccantibus insigniter & astringentibus medicamentis mitigare, & delinire, acrimoniam que si qua sit calidorum medicamentorum demulcere. cui auxilio esse possunt, & gumi & tragacathum, præcipuam tamen vim vt dixi, à cinamomo habet: quod cum ex octauo de Comp. med. per loca, calidum sit in tertio or-

dine, sit etiam tenuissimarum partiū potest ob-  
 structiones aperire, si quæ in ventre sint, crassos  
 quoque & lentos humores visceribus hærentes  
 attenuare & extergere. Præterea verò cum eam  
 facultatem habeat vt vitiatos humores corrigat,  
 ac transmutet vitiatas qualitates in id quod se-  
 cundum naturam se habet, præsertim verò putre-  
 factiones humorum emendat, & vitia non mo-  
 do serosorum atque aliorum, verum & veneno-  
 sis qualitatibus resistit, quod & reliqua aromata  
 quæ à cinamomo, vt ibidem dicit Galenus, non  
 plurimum dissidentis naturæ sunt, non parum  
 iuuant. merito ergo videtur Mes. hoc medicamē-  
 tum tot laudibus extulisse, nempe quòd ventri-  
 culum ac viscera nimio humore madida, & defi-  
 cientia roboret & firmet: cum possit serosos hu-  
 mores in eis absortos resiccare, crassos & lentos  
 attenuare & detergere, flatu ea extendentes di-  
 scutere, languescentem natium calorem fouere  
 & putredinem in eisdem corrigere. Est autem in  
 conualescentibus præsertim medicamētum val-  
 de vtile ad viscera frigida & laxiora, & diuturnis  
 morbis reddita, & reliquias vitiosorum humo-  
 rum tollendas & corrigendas. Describit mox  
 idem Mes. & alia medicamenta quæ item aroma-  
 tica nuncupantur, vt moscatum, gariofillatum,  
 nardinum, quæ quia in nullo vsu sunt nostris  
 temporibus, ideo in illis non immorabor. Non  
 parum autem calidiora medicamenta sunt quæ  
 Diacimino

Diacimino, & quæ Diagalanga dicitur, utpote, quia ex omnibus consistit quæ calida sunt insigniter, nullumque simplex admittant, unde possit horum calor remitti, vel temperari. Conficitur Diacimigon sic.

Recipe cucumeris prius ex aceto maceratis, postea exiccati, ʒ. j.

Zingiberis,

Cinamomi, sing. ʒ. iij

Gariofillorum,

Ligni aloes,

Maceris, sing. ʒ. ij. s.

Galangæ,

Piperis longi,

Cardamomi, sing. ʒ. ij.

Moschi, scrup. j.

Fit autem medicamentum secundum præscriptionem Mesues, ex melle despumato, ea copia quæ satis sit, ut redigatur ad formam antidoti, seu ut Arabes dicunt, electuarij. His tamen temporibus, plerique ex saccharo medicamentum hoc pinde ut ea quæ hæctenus à nobis sunt exposita parant, cōfectis ex eo placētulis vel rotulis, eadē nempe ratione. Hic singulatim singula simplicia non expono, cū ea nota sint omnibus, sed omnia satis erit in vniuersum complecti. Cumino enim excepto quod calidum est in tertio ordine, & partium admodum tenuium, quarū tenuitati additur maceratio ex aceto, siccū etiam



infigniter est, quodque ad attenuandos & discutiendos flatus crassiores & contumaces validum est medicamentum: reliqua omnia in genere aromatum, quæ & calida insigniter sunt, & tenuium partium vnusquisque mediocriter in hac arte instructus iudicare poterit. Videbitque ex his medicamentum hoc efficax non parum esse ad superandas & corrigendas frigidiores ventriculi & aliorum viscerum maiores intemperaturas, exiccandosque serosos humores absortos in substantia viscerum, eosque omnino absumentes, & subinde madorem viscerum vnde languida & laxa fiunt, tollendum, id attenuandos, detergendosque crassos & lentos hærentes visceribus humores, flatusque crassos & contumaces discutiendos. Vnde & non parum concoctioni facere poterit. Diagalanga præterea non multum ab hoc viribus est diuersum, ita conficitur:

Recipe galangæ,

Ligni aloes, sing. 3. vj.

Gariofillorum,  
maceris,

Cardamomi maioris, sing. 3. ij.

Zinziberis,

Piperis tum longi tum albi,

Cinamomi, sing. 3. j. s.

Calamenti aridi,

Menthæ aridæ,

Ligustici,

Spicæ,

Spicæ,  
 Seminum fœniculi,  
 Caros,  
 Anisi, ſing. ʒj.  
 Calami odorati, ſexquidragmam,  
 Saccari albi, ʒ. x.

Conficitur ex melle deſpumato ea copia quæ fit fatis. Sed in præſentia ex hoc etiam medicamento murato melle in ſaccarum rotulas conficiant vel placentales, ſicuti & ex priori, cum quo ſi cõferatur, non eſt omnino æquæ calidum vt illud: nam ſi aliud non eſſet, dragmæ x. ſaccari cum alijs medicamentis permixtæ, præter mel vel ſaccarum, quod tanquam materia eſt qua fit medicamentum ex aqua coquendum, aliquantulum poteſt aliorum calorẽ remittere, cum ipſum in calorem, parum admodum mediam temperiem excedat, & vt alia præteream, quæ vti communia ſunt, & valde calida non ſunt, vt macer, ſi Galeno credimus, & lignum aloes, & calamus aromaticus nõ multũ calefacit magis hoc ipſum medicamentum. præterea astringit aliquanto: nam ſpica & mentha maceri addita & reliquis quæ vtrique medicamento ſunt communia, & quæ astringendi facultate non carent, aliquanto hoc alterum astringentius reddit: cum verò omnia ex quibus conficitur conſtent tenui ſubſtantia tenuioribusque partibus, ideo hoc vt alterũ, ſcilicet aliquanto minus calefacit, extenuat ta-

men & detergit crassos & lentos succos, eosque ad urinæ vias facile deducere potest. Præterea vero serosam humiditatem qua venter & iecur reliquaque viscera madida & laxa languescunt, deficcare, ac illis astringendo aliquod robur addere: flatulentum etiam & crassum spiritum omnia viscera infestantem dissipare, concoctionem illorum à frigore & laxitate factam imbecilliorum adiuuare. Sed & muliebres menses valde fatiscere. Vnde his temporibus in frequenti usu vel obstetricibus etiam est in puerperis, quæ à flatu vel vitiosis halitibus ab utero, ob modicè fluentia puerperia malè habent, & interdù strangulantur. Prodest quoque non parum eadem ratione hysteris mulieribus. quæ ex utero pariter ob suppressos menses strangulantur. Consimilis ferè naturæ est medicamentum, quod Diambra dicitur à Mes. & à reliquis posterioribus. quod & ipsum vniuersum ferè ex aromatibus confectum est.

Recipe Cinamomi,

Doranici,

Gariofillorum,

Maceris,

Nucis muscatæ,

Folij,

Galangæ, sing. ʒ. iiii,

Spicæ,

Cardamomi, maioris & minoris,

Zinzib.

Zinziberis, ſing. ʒ. j. ſ.  
 Sandalorum luteorum,  
 Ligni aloes,  
 Piperis longi, ſing. ʒ. ij.  
 Ambræ, aureum j.  
 Moſchi, ʒ. ſ.

Fit ex ſyrupo roſaceo & aqua roſacea. Mea ſententia aliquantiſper minus calidum eſt prioribus & ſandali, & ſyrupus roſaceus, & aqua roſacea, poſſunt non nihil aliorum ſimplicium calorem remiſſiorem reddere: ſed minus etiam aliquanto poterit meſes muliebres ciere & vrinam calamentum ciminumque potentia ſunt medicamenta ad euocanda menſtrua & lotia, que in Diagalanga adiuuant ſemina aniſi, ſceniculi, & caros: ſed ob eximium præterea odorem moſchi & ambræ, que copioſa accipiuntur in hoc medicamento. Multæ mulieres que hyſtericis ſtrangulatibus ſunt obnoxie, non facile id ferre poſſunt: mouetur ſiquidem ſtatim uterus ab inſigni odore ſurſum, & sæpe eas ſtrangulat: nam odor prius percipitur, & quaſi momento, quam reliqua deuorata in ventriculo ad actum deducta conferre poſſint, alioquin autem eas omnes laudes meretur hoc medicamentum quas illi Meſtribuit, tam cordi, capiti, ventriculo & reliquis viſceribus, ſi ob frigidiorem intemperaturam langueant, præſidio eſſe poteſt, etſi à craſſis

frigidisq̄ue vaporibus, vel alioquin vitiosis offendantur, aut à reliquijs crassorū & frigidorum humorum pituitosorum, vel melancholicorum infestentur, atq; illis digestis potest hilaritatem vel letitiam conferre: præter id quod suaui & grato odore fouet & dilatat spiritus omnes. Dubitaret tamen fortasse quispiam, propterea quòd inter laudes ferè omnium horum antidotorum, & hæc recenseretur, nempe quòd caput firment & roborent: cùm tamē ex aromatibus maxima ex parte conficiantur, quæ hac ratione in aphorismis damnantur, quòd capiti grauitatem afferant. Mihi Mesue in cap. de Dolore frigido capitis optimè sensisse videtur, & probè rem hanc tenuisse. Sententiam enim Hippocratis esse limitandam ait, duabus conditionibus, atque ita intelligendam, quòd aromatu vsus immodicus ac dum corpus plenum est excrementis nocet, & caput grauat: vtpote, quia & ipsa calidiora suo vapore sursum lata possunt caput implere: & præterea alijs etiam excrementis, digestis & rarefactis, in vaporosam substantiam occasione sunt, cur subinde in caput ferantur. Sed modestus horum vsus, præsertim corpore exinanito probè prius roborare cerebrum possunt, correctà nimirum eius frigida, si qua adsit intemperies, & digestis vitiosis vaporib. & humorum reliquijs quib. occupabatur. Omnium verò horum medicamentorum antiquissimum & ab antiquioribus

ribus medicis, præfertim verò à Galeno laudatū est id, quod Diatrion piperō, eo quòd ex tribus piperum generibus fiat ex parte, dicitur. Id autem quarto de Tuend. san. docuit conficere Galenus, quem alij quidem posteriores imitari voluere: non tamen exquisitè, quia longè fuit simplicior Galeni cōpositio, alij verò plura addere, prout vnicuiq; visum est magis expedire. nam & Galenus interdum, illud simplicius parabat, paucioribus sanè simplicibus acceptis: interdum verò pluribus. Simplicissimum fiebat acceptis trium piperum, sing. 3. 50.

Anisi Thimiq̄ue, sing. 3. viij.

Illis mox commixtis & tritis aliquando addebat, & zinziberis, 3. viij.

Et hoc minus simplex dicebat, & adhuc minus simplex, quando aliorum pondus præter piperum duplicabatur, vt sing. illorū acciperētur, 3. xvj. Arabes autem plura addidere, variato etiam aliquatenus priorū pondere: nam Mesuē ita conficit, vt accipiantur trium piperum, sing. 3. v.

Zinziberis,

Anisi,

Thymi, sing. 3. ij.

Spicæ,

Amomi, sing. 3. j.

Cassia, semiss.

Sileris.

Apati,

Enulæ aridæ, ſing. ʒ. v.

Conficitur autem ex melle deſpumato. Nicolaus verò adhuc plura addit. Ego tamé vti ſoleo hoc medicamento ex præſcripto Galeni: nam neque video cur tot additis ſit opus, cum ita ſimplicib. poſſit crudiori vètriculo ſuccurrere: pituitoſos, lentos, craſſos que ſuccos extenuare, detergere, atque eorum coctionem iuuare, partim etiam diſtentionem iuuare, flatuſque vètriculo & vètri vniuerſo moleſtos diſſipare, refrigerata quoque viſcera vniuerſa calefacere: vnde & hac etià de cauſa arida tractantibus vtile eſt medicamentum. Si quis verò cuperet & hoc percipere, quænam eſſet iſtius medicamenti differentia, quando ſimplicius in vſum venit, nempe citra zinziber, & quâdo illo addito, tum ex alijs locis, tum præterea ex Gal. de Simpl. med. fac. id percipiet: nam cum medicamentum hoc ex ſimplicib. omnibus ſit confectum, quæ ſunt inſigniter calida, ea tamen tenui adeò ſubſtantia conſtant, & partib. tenuibus, vt neq; ob id multam poſſint impreſſionem facere & validè calefacere, præfertim verò loca quæ remotiora ſunt: citò enim digeruntur partes illæ in quibus fundatur vis calefaciendi. Vnde ſi ad refrigeratum vètriculum, aut ad illud in quo collecta ſit materia, quæ præ lente & craſſitie non ſit admodum diſtentioni & attenuationi contumax, ſatis erit illud ſimplicius. item etiam cauendum ſit, ne iecur alioquin calidum

dum à medicamento magis calefiat : nam calor ante diffoluitur, quàm ad remotiores partes peruenire possit. Sed si maiori & diuturniori egeamus impressione & calefactione, zinziber addemus: cum enim id sit non omnino ita partium tenuium, vt ibidem exponit Galenus, sed aliquàto crassiorum, possunt illæ diutius seruato calore, quem tamen non æquè citò statim ab initio, vt piper ostendunt, in causâ sunt vt magis imprimatur medicamento calor, & ad remotiora interiorum loca pertingat. at hoc longè etiam magis si duplicetur pondus eorum simplicium, quæ piperibus sunt addita. Sed neq; prætermittendum est, cuius item Galenus quarto de Tuenda sanit. meminit, & non parum facit ad præsens institutum, nempe quòd modus conficiendi medicamenta, non parum momenti ad variandam rationem virium & operationum illorum facit. & vt alia prætereamus, hoc tantùm exponemus, quod ad contritionem & tusionem aridorum simplicium pertinet. antequam ex melle vel alia materia assumantur, conteri & in puluerem redigi solent : nam interdum minutissimè trita & tenui cribro excussa accipiuntur, interdum verò crassius illud fit, & in crassiora frustra. Primus terendi modus congruentior est illis medicamentis quæ operæ pretium est, vt in tenuiores venas sicut in iocinore sunt, & in remotiora loca, & tandem in habitum vniuersi corporis digerantur,



quemadmodum maximè sequens medicamentum quod Diacalamentum nūcupatur, requirit, vt paulopost dicemus. Diatriopiperon etiā aliquādo quidē vno modo, aliquādo altero melius se habebit, si lenius & crassius fuerit contritum, sicut quando propter affectum proprium ventriculi, & primarum venarum illi attinentiū illud conficimus, & cauendum putamus, ne illius vis viterius ad iecur vsque perringat: nam crassiores partes cū non possint facile penetrare in penitiora loca, diutius in ventriculo immorantes, magis illum afficiūt. Quod si præterea cuperemus vt esset cōmune medicamentum, & alijs quoque visceribus vtile, in tenuiorē puluerem essent conterenda simplicia medicamenta: neque mihi probatur alioquin quorundam sententia, qui in vniuersum pronunciarunt, semper medicamentum hoc esse conficiendum simplicibus crassiori modo, non autē exquisitè contusis, quibus Auicenna quinto can. fauere visus est: quia ab hac sentētia videtur Galenus dissentire, quarto de Tuend. san. qui modum exponēs quo conficiendum sit medicamentum hoc, omnia simul tādenda esse, ac per tenue cribrū transmittēda esse præcipit. Triplex autem modus potest esse vsus istius medicamenti: nam & ex melle despumato, vt reliquæ quæ ab Arabib. & nostris Iunioribus electuaria dicūtur, & ex saccharo confectis rotulis, vel placentulis . præterea verò  
possimus

possimus & folis vti pulueribus in ferculis, vt nunc aromata passim inspergi solent, inspergis aut illis ex aliquo liquore epotis: neq; enim ingrati odoris aut gustus est, præter acrem saporem qui est aromatū proprius. Hæc autem itidem à Gal. de Diapolitico antiquitus appellato medicamento, eodem quarto & sexto de Tuend. sanit. literis tradita sunt: de quo etiã pauca dicemus: cum præsertim facultatibus plurimùm simile sit huic nuper exposito, & alijs etiam prioribus. simplicia ex quibus constat considerētur. Fit enim ex quatuor simpliciorib. calidis & partium tenuitate præditis, præsertim verò ex cumino, quod in hoc etiam medicamento prius in aceto maceratum, vt in Diacimino macerandum est, piper etiam quod aut longum aut album, accipiendum esse Galenus voluit, quamuis iuniores tantùm longi meminerint, & ruthæ folia, neque omnino arida, neq; viridia: nam arida nimis calida & acria euadūt: viridia verò excrementiam quandam humiditatem habēt, quæ flatuum diffusioni non nihil est impedimēto. Nitrum præterea, quod quamuis non eam in partibus tenuitatem habeat, quam tria priora: habet tamen maiorem vim dissecandi atque abstergendi crassos & lentos succos ventriculo, & intestinis hærentes: vnde non parum iuuat alui deiectiones: quo deinde fit vt Galenus consuluerit, medicamentū hoc dupliciter conficere, nempe vt nitrū pari

cum alijs pondere iniiciatur, tum præfertim vtile futurum, cum alius fuerit astrictior, nec probè deijciat: exiccabitur enim à nitro copiosiori, in quo est vis absterforia fatis insignis: aliquando verò vt nitri dimidium pondus aliorum apponatur, cuius vtilior vsus est futurus, quando fluidior fuerit alius. in vniuersum autem medicamentum vim habet extenuandi pituitam crassam & lentam ventriculo & intestinis herentem crassiore flatum discutiendi, dissipandiq; aluum etiam modeste citandi: vnde vtile admodum medicamentum erit, ad tollendos dolores à flatu & ventriculo & inferiori ventre concitatos. maximè verò senibus congruè erit, quod & tutum & facile est id quod modus & vsus, quem præscribit Galen. poterit ostendere: nam & ex melle, vt alij Antidoti confici potest, & ex saccharo in placentalis vt reliquæ, quæ confectiones vulgò dicuntur. potest etiam puluis ita citra saccharum vel mel, tanquam inspersibile medicamentum feruari, ferculis inspergendus: nam vtile fore medicamentum dixit Galenus, siue in cibus imixtum fuerit assumptum, siue ante cibum, siue à cibo: nihil enim habet quod possit concoquentè ventriculum interturbare & impedire. Sed iam de Diacalamento aliqua etiam dicamus. Diacalamentum & ipsum non modò ad morbos depellendos vtile cernetur, sicut & illa de quibus hætenus sumus loquuti, verum & ad tuendam sanitatem.

nitatem. Vnde & eius sanè longam mentionem sicut & diatrion piperon & diaspolitrion, quarto de Tuenda san. Galenus facit. Et quamuis in communi vsu sit in præsentia, vt medicamētum à nostris pharmacopolis fiat, vt Mes. descripsit, & in ea descriptione non nihil à simplicibus Galeni sit varius, quamuis parum: nam ille duplicis calamenti, nempe fluuiatilis, quod mentastrum dicitur, & montani, quod absolutè calamentum à Græcis, à Latinis verò Nepita dicebatur. Galeus tamen istius tantùm meminit. maior autè est diuersitas in pondere simplicium: nam Galenus duos tantùm ordines describit, in primo sunt calamentum, petroselinum, siler, vel sereti, pulegium, sing. ʒ. xij. In altero semen apij & cacumina thymi, quorum vtrorumq; accipiuntur ʒ. ij. His adduntur lybistis, ʒ. xvj. piperis autè ʒ. 48. quæ omnia exquisitè tusa & tenui cribro excusa assumenda sunt melle despumato: quia tamen Mes. profiteretur se in huiusmodi medicamenti confectioe Galenum sequi, ideo conficiendum putarem potius, vt Galenus præscripsit: neque tamen multùm referre existimo, siue hoc, siue illo paretur modo. Porrò medicamentum insigniter calefacit, crassosq; quoscunq; humores secare, & attenuare potest, & digerere, flatuq; crassos & difficiles circa naturalia membra concitatos dissipare, ventriculo crudiori & reliquis visceribus ex intemperie frigidiori infirmioribus

fuccurrere. Hoc autem præcipuum & eximium habet, vt præ alijs faciat ad digestionem & penetrationem alimenti in omnes partes & vniuersum corporis habitum. Neq; tamen propterea quod illud tot laudibus ferè omnes homines extollant, putandum vtile fore, si eo promiscuè & incautè fuerimus vsi, vtpote si inter initia morborum, quando corpus, & præsertim viscera & primæ venæ scatent vndique crudis crassisque excrementis: nam cum validum sit medicamentum, poterit excrementa ab eius vi liquata digerere in angustas venas, & tandem in vniuersi corporis habitum. Vnde aut excitabunt, aut maiores & difficiliiores fient obstructions. plerunq; ergo post commodè expurgatum corpus aptus & appositus erit eius vsus. In his autem medicamentis inde speramus facilem distributionem digestionemque in venas & habitum corporis. Consultauit Galenus vt exquisitius tundantur, & tenuiori cribro excutiantur, cuius præsertim in exploratione huius medicamèti meminit. Mel verò ait, quòd eius vsus non modò interius assumpti & deuorati, quo modo hætenus dixi, sit futurus utilis: verùm & si exterius dorso, præsertim spinæ illinatur, vel in modum cataplasmatismis apponatur: maximoperè. n. potest febriù frigidarigoresue depellere aut mitigare. Sed de his satis. Iam tempus est vt ad aliud genus antidoti accedamus: nisi quis dicat nos præterisse celeberrimam

berrimam Antidotum quæ in languescensibus visceribus, quando cōtracto malo habitu instar iam timor aquæ intercutis admodum est utilis. Ea verò est, quæ cyphaides à Græcis, vt à Galeno, Andromaco, & alijs his posterioribus dicitur, à Iunioribus autem nostris alectuarium de vino vel de passulis: sed cùm adeò fuerit examinata & explanata eius confectio à Galeno octavo de Comp. med. secundum loca, diligenter & exquisitè, ideo de hoc nihil aliud dicemus. Neque etiam tempus conteramus in exponendis duabus illis antidotis, quæ plurimum ab Arabibus medicis celebratur, præsertim in curandò malo habitu, ac subinde aqua intercute, præsertim verò cùm hi affectus sequuntur validas & inueteratas induratasque obstructions: nam cùm eorum præcipua causa sit infirmitas virium, præsertim verò concoctricis viscerum, & maxime iocinoris, quæ aliquando solam causam habet intemperaturam absque alio affectu particulatim: & quamuis omnes intemperaturæ possint vires istius visceris dicere, hydropes tamen frigida intemperatura proxima causa est: nam quamuis interdum etiam sequatur febres ardentes, id tamen fit quado ab immodico calore extraneo dissoluitur vis caloris natiui, vnde illo postea defuescente succedit frigida intemperatura: aliquando autem præter intemperaturam adsunt etiam alij affectus intemperiem fouentes, præsertim

## 402 DE COMP. MEDIC.

frigidi, vt obstructions à crassis humorib. scirrhis, & huiusmodi alijs morbis, quamuis etiam summopere laudentur in malo habitu & hydrope Cyphordes, & hęc alię, nempe Dialacca & Diacurcuma. Si tamen rectè res examinetur, quàm res omnes possint esse vtilis in omni differentia hydropis, vt pote quia omnes & intèperiem frigidam possint remittere, & tãdem tollere: præterea verò & attenuare crassos humores, & obstructions aperire, accommodatior tamen erit Cyphordes, vt octauo de Comp. per loca, insinuat Galenus, quando sola erit intemperatura & inter initia morbi. efficaciora autem & valentiora medicamenta erunt Dialacca & Diacurcuma, in validis & induratis obstructionibus: nam conficiuntur ex ijs quæ vires maiores habēt extenuandi, extergendi, & secandi crassos humores: præterea verò flatus discutiēdi, & lotia ciēdi, quod & maximum est in ratione cūrādi hydropen, cūm non modò crassam aquæ intercutem respiciant: sed & ipsum iam factū morbum: nam cūm in hoc affectu intumescat venter repletus aut vento aut seroso humore, plerunque verò vtroque, cūm rarò altera hydropis differentia sine altera cōsistat, nempe timpanites & ascitis, discutio flatus & serosi humoris vacuatio per vrinam, non modò in his, verūm in anasarca, vbi crudo humore madida caro occupans habitum corporis tumet, videtur ferè totius rei summam continere,

continere. Quod autem hæ antidoti has facultates habeant, potest vnusquisque facile percipere, qui & eorum quæ suprâ dicta sunt, memor erit, & compositionem horum antidotorum legerit. Diacurcuma enim à Mes. ita describitur:

Accipit Spicæ,

Mirr hæ,

Cassia,

Croci,

Schenanti,

Costi,

Cinamomi, sing. per pondus.

Fit autem confectio ex melle despumato. Diacaeca autem accipit laccæ lotæ, quam plerique credunt esse cacamum Græcorum,

Rhabbarbari, sing. 3. iij.

Spicæ,

Mastiche,

Seminum apij,

Schenanti,

Abfynthij,

Succi eupatorij,

Ameos,

Sauinæ,

Amigd. amar.

Costi,

Mirr hæ,

Rubiæ tinctorum,

Semin. fœniculi,



Anisi,  
 Afari,  
 Aristolochiæ,  
 Gentianæ,  
 Croci,  
 Cinamomi,  
 Hyfopi,  
 Sumitatum fchenanti,  
 Bdelij, fing. sexquidragmam,  
 Piperis,  
 Zinziberis, ʒ. j.

Cætera teruntur, mirrha & bdellium ex vino dif-  
 foluuntur omnia ex defpumato melle affumun-  
 tur. Nemo autem non videt hâc antidotum vi-  
 res habere maiores, quàm Diacurcuma in ape-  
 riendo, ciendoque tum lotio, tum maximè mu-  
 liebribus menfibus. Vnde quando ex illis fup-  
 preffis ortum habuiffet malus habitus vel aqua  
 intercutis, optimum effet fi quod aliud medica-  
 tum. His expositis, fi quod aliud fait præter-  
 miffum quod ad hoc genus pertineat, id ad nor-  
 mam eorum quæ fæpius à nobis, fuere fuprà ex-  
 planata reuocatum, facile percipi ac iudicari  
 poterit. Prætermiffæ autem à nobis de in-  
 duitria funt duæ Antidoti, quæ à Nicolao de-  
 fcribuntur & plurimum commendantur ad  
 cienda lotia & atterendos lapillos, præfertim  
 verò renum: nam quamuis multa fuerint ab  
 Antiquioribus & recentioribus medicis literis  
 tradita

tradita medicamenta, quæ apertè pollicentur, postea calculos infringere in vesica, ego tamen nunquam vidi neque audiui quemquam, qui medicamentorum ope fuerit curatus, & liber euaserit à lapide in vesica, & si qui curati sunt, opera chyrurgi, & per sectionem fuere curati. Lapilli autem renem quotidie & per has antidotos, & per alia medicamenta tum simplicia, tum composita infringuntur & excernuntur. Vitales præterea sunt duæ hæ antidoti, ad renales dolores, siue à calculo fuerint concitati, siue à mucosis & crassis excrementis in renibus impactis, siue à crassiori flatu. Vocatur autem medicamenta alterum ab authore, vel ab illo, in cuius gratiam & commodum fuit excogitarum, Iustinum nempe, à Iustino imperatore, alterum verò ab effectu Litontripon, utpote quòd lapillos possit atterere. Conficitur autem vtrunque ex illis simplicib. quæ omnia calida sunt & partium tenuium, quæque vim habent extenuandi dissecandi crassos humores, & subinde lotia potenter proritandi. Nolo autem omnia particulatim examinare, cum nemo sit qui rectè attendarit his quæ hætenus examinata sunt, & velit naturam simplicium, quorum non meminimus, ex Galeno & alijs inquirere, non possit facile rationem inire istius examinis. Vnde hoc solo animaduerso, ad nostrum institutum redibimus, nempe quòd medicamenta hæc valida admo-

dum sunt, quib. si utamur dum corpus plenum & excrementosum fuerit, materias impetu quodam maiori exagitabunt, & confertim ad vias vrinæ & renes impellent. Vnde sæpe & maiorem difficultatem vrinandi afferent: magis utiq; repletis partib. illis & infarcta ibi materia, potiusque maius malum efficiunt, quam leuēt. Atque hoc in primis memoriæ mandandum est, quod magis præstat & inchoare ab inanitione corporis, & incipere à succi liquoribus antequam hæc fortiora tentemus.

*De Anodinis & Narcoticis medicamentis quæ soporem afferunt & torporem.*

Caput IX.

**M**edicamenta quæ soporifera sunt, anodina, hoc est dolorem leuantia vel sedantia dicuntur, improprie quidem dicuntur, quia proprie nõ tollunt dolorem: nam cum dolor sit vitiata sensus actio, cuius vniuersa ratio, vt Galenus ex Hippocrate, in primo de Natura humana, & in libro de Elem. docuit, in duobus consistit, nempe in repentina & confertim facta transmutatione alicuius particulæ, quæ sit prædita sensu per qualitates primas, aut in soluta continuitate requiruntur duo hæc ad dolorem, aliqua transmutatio instrumenti, & integritas facultatis,

eultratis sentientis. Hæc verò medicamenta non leuant doloré, quia obſtent quominus fiat tranſmutatio & corruptio instrumenti, ſed impediunt ne ea tranſmutatio percipiatur, & hoc quia lædunt ipſam facultatem, quæ vi medicamentorum horum redditur, quaſi torpida & ſtupida, & quaſi extincta ab illorum immodico frigore: nõ ergo cauſam doloris auferunt, ſed ſenſum doloris adimunt, & id quidem primum, quia aliquando poſſunt aliquo modo & cauſam doloris remittere ſi ea eſſet calida intemperies. Vnde & narcotica quaſi torporem inducētia hæc medicamenta à Græcis dicuntur. Quare neque etiam, vt Galenus sæpe dicit, hæc propriè curatio dici potest, quo deinde fit vt medici antiqui quicunq; celebres fuere, præſertim verò Galenus, tum ſecundo tum quarto & ſeptimo de Comp. medic. ſecundum loca, in hanc ſentētiam venerit, Omnino eſſe frigidum horum medicamentorum vſum, quatenus per nos fieri poteſt, neq; ad ea cõfugiendum, niſi à multa cogamur neceſſitate. Cogimur verò quando adeo sæuit dolor, vt nequaquam amplius ferri poſſe ſine euidenti periculo videamus, propterea quia aut conuulſionē aut virium caſum timeamus, aut etiam ſi nimis importuna & perpetua vigilia vrgeat: nam capto ſomno & interim reſumptis viribus, facilius poſſumus, mox & nos & natura pugnare cum cauſis doloris. Simplicia autem medicamenta,

quibus tanquam soporiferis vti medici solent præcipua sunt opium, radices mandragoræ, semina hyosciami, semen cicutæ: nam semina papaueris albi, etsi somno conciliando sint apta, adeò tamen familiare est medicamentum, vt neque inter narcotica medicaméta ferè sint recensenda. Priora verò eam vim habent, vt eis simplicibus & solis aut nunquam aut rarissimè audeamus vti. Componuntur enim cum alijs atq; ita tutior & salubrior fit eorum vsus. Duæ autem sunt occasiones præcipuæ, quæ nos & nuper citatis locis docuit Galenus ad eorum vsum adducunt, & duos scopos cum illis vsuri sumus spectandos afferunt: plærunq; enim illis vtimur in vehementioribus doloribus, primùm vt aliquâ quietem afferamus, qua vires aliquo modo refectæ, facilius deinde molestiâ illam ferre possint. Deinde verò in vehementi tussi, alioquin aut nimis & valde importunas vigilias affert, aut aliquam pulmonum vel aliarû in thorace partium morbum foueat & augeat, eiusque curationem impediat, vt in reiectione vel spûto sanguinis & vlceribus in illis locis, doloribus verò quo pacto remedio sint, nuper exposuimus: tussi eadè ratione conferunt: nam cum non exciteretur tussis nisi ex aliqua noxa vel molestia illata instrumentis respirationis, à qua earû partiû facultas expultrix incitatur ad expulsionem rei noxæ, ea quæ soporifera sunt torpido reddito illarû partium

tium sensu, occasione sunt, vt molestia percipi nequeat. Tum præterea aliquado, imò frequenter obstitendo causæ, quippe quia tusses difficiles oriuntur à destillationibus sæpe acrioribus & tenuibus, quarum impetus hæc medicamenta reprimunt, & sæpe intercipiunt, partim quia refrigerant & incrassant, atque ita sistunt, partim verò quia frigidis & soporiferis medicamentis in compositione immisceri solent, ex septimo & octauo de Comp. med. secundum loca, alia contrariæ facultatis, nempe calida & sicca, & tenuium partium, & id quidem propter multiplicem utilitatem: primò, vt corrigatur noxa quæ solet sequi usum medicamentorum soporiferorum, deinde vt vis illorum ad remotiores partes & intimas & profundas dolentes loci adducantur, ad quas pertingere requirer, utpote quæ stipando transitum sibi præcludant: præterea verò siccando & digerendo possunt fluentes humores digerere & absorbere: & cum horum quæ miscentur plura in superurinam ciere possint, poterunt etiam saltem aliquam eorum excrementorum partem auersam à membris spiritalibus conuerrere ad vias urinæ: sed & flatum discutere & crassas materias attenuare. & hac etiam ratione fit, vt cum has soporiferas antidotos ob vehementes dolores exhibemus, interdum non solum symptomati consulemus, sed etiam causæ, quando scilicet dolor eam habet materiam crassam, quæ

in flatum crassam & difficilem vertitur. Ex his autem ita expositis & illud depromprū est, quod nos Galenus eodem nono docuit, cum exponeret confectionem phylonij Antidoti cognitu optimè necessarium: nempe in his medicamentis componendis semper tres scopos præ oculis habendos esse, nempe primū vt stupor sensui obducatur, quod officium ad ea simplicia pertinet, quæ ea facultate prædita sunt, quorum paulò ante meminimus: deinde quia illa naturæ particularum, & earum calori natiuo sunt contraria curandum est quominus infigne aliquod detrimentum in læsa particula remaneat: tertio vt si fieri possit ita paremus, vt non modò symptoma tollant aut remittant, sed & affectui qui doloris in causa est, si non omnino, aliqua saltem ex parte consulamus. Sed & hoc addo ex eodē Galeno, quòd scilicet semper ad hos scopos dirigenda sit in vniuersum ratio compositionis horum medicamentorum, non tamen semper omnes æqualiter spectandi sunt, imò diuersimodè pro modo earum occasionum, quæ nos ad vsum horum medicamentorum impellit: nam vbi vehemens & intolerabilis dolor vrget, maiori ope foporiferorum medicamentorum egemus, vt pote in doloribus colicis, vbi & oportuniora sunt illa quæ maiorem vim habent in stuporē adducēdi: vbi verò aut facilius est dolor, aut potius tussis est importunior, non ita vehementibus stupefacientibus

cientibus est opus, & magis erit utilis commixtio aromatum aut communium feminum calidorum & spirantium gratum odorem. Vnde in priori illa differentia horum medicamentorum quæ valentiora sunt, compositiones illæ continentur, quæ colicæ nuncupantur propriè, aliæ verò potius tussiculares à priscis medicis, vt dicit Galenus, in quibus & aromatum & feminum habentium facultatem ciendi lotia, maior copia accipiebatur; quod si quis certius percipere cupiat, legat septimum & nonum de Comp. med. per loca, & medicaméta ibi descripta probè perpendat: nobis enim in præsentia non tantum fu- perest otij. Nos autem in præsentia, versabimur tantum in his narcoticis, quib. vbiq; ferè vtùtur medici, quorum aliquorum tamen meminero, quæ magis scilicet sunt vsitata. Antiquissimum itaque medicamentum omnium, quorum extat memoria, est Philonium, quod à Philone medico patria Tarsensi, ex Galeno dictum, id est, ab authore vel inuentore primo. Confectionem autem Galenus postea descripsit, eamque inter colicæ medicamenta, & primùm sanè recensuit, quæ est etiam omnibus alijs quæ à posteriorib. descriptæ sunt, vt ab Arabibus simplicior.

Recipe croci, ʒ. v.

Pyretri,

Euphorbij,

Spicæ, sing. ʒ. j.



Piperis albi,

Hyosquiami, sing. ʒ. xx.

Opj, ʒ. x.

Conficitur deinde ex melle despumato. Hic, ut ibidem dicit Galenus, ratio illorum trium scoporum est habita: nam soporiferorum habet insignem copiam, nempe hyosquiami & opij, ut possit quantumlibet pertinacem dolorem offuscare, Castoreum verò piper, euphorbium & pyretrum, detrahūt, si quid noxæ ex stupefactorijs dereliquatur in particulis ad quas vis eorum peruenit: præterea faciliorem etiam transitum medicamento parant. Spica & crocus eidem primariæ affectioni quantum in ipsis est, cōsulere possunt: nam hæc duo insignem vim concoctoriam omnium prauorum excrementorum habent: priora verò quæ calida & partiū tenuium sunt, eadē attenuare, digerere, & flatus discutere possunt. Efficax ergo est medicamētum, & ex recta methodo confectum, vnde meritò inter colica quæ maiorem vim requirunt, collocatum est: & si Galeno credimus, ut primūm fuit, ita fere est aliorum quasi basis & norma: nam posteriores hoc aliquantisper immutato, vel secundum pondus simplicium, vel alijs additis, vel etiam detractis alias confectiones fecere: quòd si ab Antiquis & Græcis prius, longè etiam magis deinde à posterioribus Arabibusque factum est. hoc facile viderit qui legat Mes. Auicennam, & reliquos

quos Arabes ubi de his agunt. Ecce enim Mesue post nuper expositum phylonium describit ut Hamec solitus erat conficere, in quo prætermis-  
sis pyrethro, euphorbio, & spica, addebat nigellam, castorium, ami, ciminum, baccas lauri, calamentum, margaritas, & cortices radicis mandragoræ, & omnium per pondus accipiebat: quæ si propriè considerentur, videbimus hoc medicamentum longè minus priori esse soporiferum. Vnde cum præscribit quantum possit semel tuto accipi, liberalior est in hoc quàm in priori: nam huius dicit, quòd dragmæ duæ excedi possunt, cum tamen prioris concedat solum quantum possit magnitudine cicer aut fabæ equare. Vnde Antiqui hoc quidem in tussicularibus medicamentis posuissent, primùm verò in colicis. Idem verò Mesue in cap. de Sputo sanguinis, aliud phylonium describit, quod & Persicum appellauit, in quo nihil de primo detraxit, neq; illorū simplicium pondus immutauit: sed addidit oppio par pondus terræ Lemniæ, croco verò par pondus lapidis hemaritis: quæ quidem, ut sæpe dixi, vim habent insignem reprimendi & sistendi sanguinem, sed cum terrena quadam & crassa substantia consent, cui non est facilis transitus ad inrimiores particulas, ut dicit Galenus, nisi ducantur ab aliquib. quæ sint tenuis substantiæ, & tenuitate partium secum ducant aliorum crassiorum medicamentorum facultates, ideo primæ

Philonis Tharsensis confectio: Castorij, dononici, zedoariæ, sing ʒ. j. adiecit. Et hæc quidē compositio in multo fuit vsu & est: præsertim verò utilis est & efficax in his qui sanguinem expuñt. quæ si rectè extimeretur, collectis simul simplicibus vnde fit, aliquanto minorem vim sopiferam habet, quàm prima illa Phylonij, vtpote quæ opium & hyosquiàmum pari cum illa ponere accipiat, plura verò alia simplicia, tum calefacientia tum refrigerantia & astringentia accipit. Vnde eorum duorum ad reliqua proportio aliquanto minor est quàm in primo: est autem magis potens ad inducendum soporem, quàm illud Hamec. Vnde dragma est id genus quod ad summum tutò dari potest: est ergo quasi medium hoc inter primū & alterum, quamuis primo sit propinquius. Auicēna autē quinto canō. aliud describit, & Romanum appellat: & est quasi medium inter Persicum & illud primū Phylonis: nam præter terram Lemniam, lapidem hematitem & succinum, ea omnia insunt quæ & in Persico. Consuevere autem medici hæctenus, in spūto sanguinis Persico vti, in alijs verò occasionibus hoc Romano. Sed de Phylonij composito hæc satis: ad alia iam transeamus. Alias tres Antidotus præter Phylonij confectioem adduco, quæ omnes adhuc in aliquo vsu sunt, licet in maiori fuerit prioribus temporib. Et primū eam quæ ab Arabibus, præsertim à Mesue, à quo desumitur

sumitur Egetea, interdum Sagzanea nomine Arabico dicitur. Est autem medicamentum quatenus ad facultatem soporem inducendi satis facile & modestum; nam fit ex duodecim simplicibus pari pondere acceptis, & ex melle despumato assumptis: nempe castoreo, mirrha, apio, pipere, pipere lógo, galbano, costo, cinamomo, phu, mendauco, assaro & croco: inter quæ solum opium vim habet soporiferam, reliqua verò omnia facultatem calefactoriam, attenuatoriam & digestoriam: sunt enim tenuium partium, unde & flatus dissipare possunt, & validè ad vrinarias vias attenuatos humores crassos deducere. Unde in doloribus membrorù naturalium concitatis à frigida, crassaq; aut flatulenta materia, commodum erit medicamentum, utpote quod & dolorem lenire possit, & causæ etiam affectuque primario consulere, & cum multa imò reliqua omnia, frigidæ & soporiferæ qualitati aduersentur, obstare etiam poterunt, quominus noxa aliqua in internis visceribus relinquatur. Maior autem, quomodo istius Mesue dixerit, ad sexquidragmâ dari posse, & Phylonij Hamec duos aureos, cum tamen hæc illa potius sit infirmior. Duæ verò reliquæ à Nicolao describuntur, altera quæ Requies magna ab illo dicitur, altera Triphera magna. Requies magna facilius est alia, neque ita propter dolores vehementes sedandos est confecta, sicut ad conciliandum somnum

in illis morbis, in quibus à vaporibus tum calidum sicis nimis importuna est vigilia, ut in febribus tertianis & quartanis, atque etiam in acutis, & adeò facile & leue medicamentum, est ut id audeant lactentibus infantibus nutrices dare, cum noctu vigiles & sibi importuni sunt. quod tamen laudare non possum, si temerè & incautè id fiat. Conficitur sic.

Recipe rosarum violarum, sing. ʒ. iij.

Opij,

Seminum hiosciam,

Papaueris albi,

Corcicum mandragoræ,

Seminum scariolæ,

Portulacæ,

Lactucæ,

Pfiliij,

Nucis miricæ, vel muscatæ,

Cinamomi,

Saccari, sing. sexquidragmam,

Sandalorum omnium,

Spodij,

Tragacanthi, sing. ʒ. ij. & grana quinque.

In his præter cinamomum quod & ipsum aliquid habet, licet calidum sit, quod possit somnum incitare, & nucem moscatam, quæ duo ad correctionem soporiferorum accepta sunt, præsertim vero opij & mandragoræ, omnia refrigerant, & acrimoniam excrementorum quæ somnum abi-

guant

gunt, demulcent. Vnde in materia crassa & dolore flatulento, nihil continet hoc medicamentum, præter illa duo, quod possit tertium scopum supra ex Galeno expositum respicere: respiceret autem si à calida materia & acriori dolor oriretur. Triphera verò magna contra se habet: est enim medicamentum quod præsertim frigidioribus affectionibus est opportunum, & quia duplex potest esse eius confectio: nam aliquando fit cum opio, aliquando non. Cùm fit cum opio, tunc etsi speremus utilem fore etiam primario affectui, cùm præter opiũ, hyosciamum, & mandragoram: cetera possint tollere frigidã intemperiem; crassos humores extenuare, flatus discutere & per lotia vacuare: præcipuus tamen scopus est intollerabili dolori stupidiori sensu reddito occurrere. Cùm verò citra opium, hoc medicamentò sumus vsuri, nulla doloris ratione habita, affectui præsertim curando, operam nauare volumus. Ex his autem constat:

Recipe opij, ʒ. ij. & grana xv.

Cinamomi,

Gariofillorum,

Spicæ,

Galangæ,

Zedoariæ,

• Zinziberis,

Costi,

Stiracis,

Dd

Calami aromatici,  
 Calamenti,  
 Ciperi,  
 Indis peucedani,  
 Acori,  
 Mandragoræ,  
 Spicæ celticæ,  
 Rosarum,  
 Piperis,  
 Anisi,  
 Apij,  
 Petroselini Macedonici,  
 Fœniculi,  
 Dauci,  
 Hiosciam,

Seminis citri, sing. 3. j.

Conficitur ex melle. Medicamentum celebre  
 est, & etiam mulierculis notum, utpote quæ nõ  
 consulto etiam medico sepe à Sephasarijs petat,  
 maximè quando ut errorè suum tegant cupiunt  
 abhortiri: in affectibus enim vteri, maximè si ex  
 suppressis menstruis purgationibus ortum ha-  
 beant, plurimùm valet: quippe cum magnâ vim  
 habeat ad ciendos menses, nec modò deuoratũ,  
 sed etiam confecta glande ex eo, vel solo, vel ad-  
 ditis præterea alijs pertinentibus ad eundem sco-  
 pum ut laudano, gallia muscata, & huiusmodi a-  
 lijs, atque supposita inductaque in membra ge-  
 nitalia muliebria. Et ego hoc modo sepe nec in-  
 utiliter

utiliter sum vsus & alios vti præterea vidi. Est & aliud medicamentum, quod si quatenus ad modum & formam confectionis pertinet, non videatur ad hoc caput pertinere, pertinet tamen si ad eius facultatem & materiam respiciamus. Catapotia enim potius quàm antidota & electuaria fiunt, de quo pauca quædam dicemus. passim verò in vsu est sub nomine pillularũ ex cynoglossa, & licet duæ reperiantur confectiones, quæ ex cynoglossa fiunt, altera quæ alio nomine à Mesue à quo describuntur appellatur: ipse enim pillulis ad omnes morbos catarrhi, nunc autem sunt in multo vsu, & dicuntur pillulæ ex cynoglossa. Altera autem à Nicolao describitur, & pillulas ipse ex cynoglossa nominat, sed nos priorem quæ in maiori vsu est paucis examinemus.

Conficitur ex his :

Mirrhæ puræ, 3. vj.

Thuris, 3. v.

Opij,

Hyoſciam, ſing. 3. iiij.

Croci, ſexquidragma,

Radicum cynogloſſæ, 3. iiij. s.

Ex his omnibus tritis & commixtis, fiunt pillulæ, quæ si rectè iudicentur, sunt validæ inducendo sopore, possunt & valenter sistere præcipitem destillationem. Nos autem, licet dicat Mes. posse summi à semidragma vsque ad dragmam, rarissime supra vnam pillulam quæ scrupulum pen-



dat exhibere solemus. Sed de his hæctenus.

*De eclegmatibus, quæ Arabes Loch appellant,*

*Cap. X. & vltimum.*

**L**oquimur hîc de his medicamentis quæ  
palsim Arabico vocabulo Loch, vel Lochat  
appellant: Græci verò Eclegma, quod La-  
tinè Delictû significat, à delingendo sanè : nam  
vt suprâ non semel dictû fuit, in affectibus mem-  
brorum respirationem inseruientium, medica-  
mêta quæ ad deliniêdas asperitates ab aliqua in-  
temperie, vel à materia destillante ad eas partes,  
vel ab aliquo tumore, vel tuberculo earum par-  
tium excitatas maximè profunt, si paulatim de-  
lingendo & lambendo fumuntur, quàm si con-  
fertim bibantur, vel deuorentur. Vnde appella-  
tionem à modo quo fumuntur sortita sunt. His  
autem ferè solùm in faucibus, gutture & parti-  
culis quæ thorace continêtur malè affectis vtun-  
tur medici. Horum autem medicamentorum in  
vniuersum, duplex est differentia: nam quædam  
eorum solent parari, & ita parata ad vsum & cõ-  
moditatem seruari: alia verò tum parâtur, quan-  
do visum fuerit medico iubenti, oportunum fu-  
turum eorum vsum. De his ergo primùm age-  
mus, & de compositis præcipuè: nam sæpe, vt an-  
tea exposui, & syrupis in hunc modum vti sole-  
mus. Incipiemus autem ab eo quod vulgatissi-  
mum

rum & nulli non notū, nostri vulgo Saponeā vocant, à quadam sanè cūm sapone, quando nō- dum concreuit, similitudine: nam tenerum quidem est & album cum quodam lentore. cūm autem conficiendum est, accipiunt aquam violaceam quæ ex floribus violarum, non autem ex folijs herbæ, vt quidam faciunt, destillauerit, & eam quanta ad dissoluendum saccharum, possit esse satis. Indunt verò saccharum illud albisimū quod per trinam concoctionem fuerit defecatum & depuratum: nam id aptius est ad hoc medicamentum, colore & sapore suauius & gratius reddendum. coquunt autē vt syrupi coquuntur, postea addunt amyllum, nōnulli verò & aliquid olei amigdalini dulcis indunt, & semper miscendo medicamentum, dum coquitur spata exagitant quoad ad congruam compagem deuenierit: postea impositum in aliquod vas vitreum, aut testaceum, aut etiam argenteum, seruant, quod solet cocleari summi & in ore teneri: donec lique scens paulatim defluat ac descendat. Medicamentum hoc aliquantulum potius ad frigidum inclinat. consistentia aliquantis per est emplasticum, mollit autem & lenit. Vnde cōfectio hæc ad molendas & deliniēdas exasperatas particulas quæ sunt respirationis instrumenta, comoda est, præsertim autem fauces, asperam arteriam, & subinde pulmones, quando tussientibus ob destillationem calidam & acrem utilis est. præterea

verò ob intemperiem calidam & siccam, imò etiam frigidam: nam propè temperamentum est in calore & frigore: saccharum enim præsertim verò album & probè purgatum, leuis est & temperati cuiusdã caloris, sicut & amigdalinum oleũ: amyllum verò ad leue frigus inclinat. Præter emplasticam autem atq; mollitoriam facultatem, habet etiam aliquid abstersionis ex saccharo. Unde accommodatum est medicamentum pro excreatione faciliè reddenda cum leniat, molliat, & aliquando detergat. Pleuriticis verò est in usu nisi quòd cum non modò sit medicamentum, verum & alar, cauendum aliquando erit, nedum facile reddere spiritũ paramus, plus alamus quàm requirat ratio victus tenuioris, qui in morbis acutis maxime congruit: neque enim est res gustui ingrata, nisi illorũ qui sua natura res dulces fastidiunt. Solent præterea & alia fieri medicamenta eandem ferè vim habentia, aliquantisper tamen varia pro diuersa eorum natura ex quibus conficiuntur. Communis fanè horum omnium materia est, tum saccharum quod vulgo candidum vel candum vocant, tum verò quæ penidi dicuntur, partim tragacanthi: item & Diacodion quod fit in placentulis siue rotulis, & saccharum violaceũ, & quæ nũc conferua violarũ dicitur: quorum vnũ vel plura conterunt, atq; ex aliquo syrupo diluunt, & eligunt quem putant esse scopo accommodatiorem: nam si delinire, incras-

crassare & refrigerare voluerit syrupo violaceo, aut illo qui fit ex zingifis. quòd si præterea & destillationem sistere somnumq; conciliare, opportunus erit qui ex papauere dicitur, at si materia excreanda crassa & lenta fuerit, egens attenuatio ne & deterfione, aptus erit qui fit ex radice dulci: valétior autem erit ille qui ex hysopo, verum & aliquanto etiam calidior: vnde si sine caliditate detergere cuperemus, non erit ineptum medicamentũ mel violaceũ. Sed & illa quæ misceri & conteri solere dicimus, itidem eligenda erunt pro ea ratione quam exigere videbitur propositus scopus: non erit autem difficilis eorum electio, cognita ipsorum natura. Sed ab aliquib. & hoc parari solet quod facile paratu est, lenitque & mollit exasperatas illas partes. Accipitur autem succus ex nucleis pinearum cõtusis, seu lac, interdum etiam ex amigdalibus dulcibus & his sac cari candidi, præsertim violacei, quantum possit ex succo dissolui addunt, mox coquitur lento igne donec spiffescat. Quæ hætenus sunt exposita non seruantur parata: sed cum eis fuerit opus conficiuntur. Multa autem etiam apud apothecarios parata seruantur, quæ nunc sumus explanaturi. Incipiemus verò ab illo quod vulgo appellant Loch de pine, quodque præcipuè ex nucleis piperum confici solet. eius verò descriptio ita se habet:

Accipiuntur ꝑ. xxx. horum nucleorum

Nucleorum pinearum,  
 Amigd. dulcium,  
 Auellanarum affatarum,  
 Tragacanthæ,  
 Gumi Arabici,  
 Radicis dulcis,  
 Succı eiusdem amyli,  
 Capillorum Veneris,  
 Radicum iridis, sing. 3. iij.  
 Pulpæ palmularum, 3. xxxv.  
 Amigd. amar. 3. iij.  
 Mellis ex passulis,  
 Saccari albissimi,  
 Butiri recentis. sing. 3. iij.  
 Mellis q. s.

Omnibus deinde cōtusis & mixtis, fit eclegma.  
 Si rectè perpendatur, hæc confectio optima est  
 ad parandas materias crassas & difficiles, ad ex-  
 cretionem, quæ in membris respirationi inter-  
 uientibus continentur, atque ibi tussim diffi-  
 cilem concitant, & spirandi difficultatem: nam in  
 illa ratio omnium eorum scoporum habita est,  
 quos maximè in his affectibus harum partium  
 spectandos esse docuit Galenus: nam aliqua cō-  
 tinent quæ vim habent detergendi, extenuan-  
 di, & dissecandi crassa & lenta excrementa, & ex-  
 pulsioni renitentia: alia verò multa quæ molliūt  
 applanant & leuigant vias, per quas naturæ ex-  
 crementæ sunt expellendæ. Est verò præterea  
 medica-

medicamentum modestè calidum, quod maxime necessarium in his est. Ostēdemus autē rem hanc ita se habere, si simplicia omnia ex quib. sit cōsideremus, & accōmodemus illis quę à Gal. tū in lib. de Fac. simpl. med. tum in libris de eorundē cōpositione, præfertim 7. secūdam locos scripta sunt. Vbi ea recensens quę vim habēt applandandi & deliniendi internas in thorace & pulmonibus vias, vt facilis deinde fiat excreatio & excretio superuacuorum humorum in illis contentorum, atque in suos ordines redigēs. In primum ordinem tragacanthum digessit, & gumi arabicum, amyllum & nucleos nucis pineę, in alterum verò butyrum, glycirizam, id est radicē dulcem, vel eius succum & decoctum, dulces amigdalas, pulpam palmularum, & mel quod passularum, appellāt in eundem ordinem referrem ego, quamuis ex melle, quod passularum decocto addunt, aliquid extersorię & attenuatorię facultatis habeat. Sed attenuāt quidem atq; detergunt reliqua ferè omnia, vt perinde ad expurgandas vias & loca respirationi seruiencia, cū à crassis & lentis succis obsidētur, non parū comoda sint: nam & auellanę assatę, vt insinuare videtur Galen. septimo de Simpl. med. fac. vim attenuandi sibi comparant: tenuiores enim partes ex assatione redduntur; sed & adiantum vel capillus Veneris vim habet crassos & lentos humores attenuandi: mel verò, amigdala amara, &

iridis radix maiorem vim attenuandi & detergendi, & secandi habent. Quare potest hoc medicamentum faciliè id quod pollicetur præstare, nempe opem diuturna tussis laborantibus ferre, si tamen illa à crassis & lèris succis habeat fomētum. Hoc eclegmate calidius & valentius est, ad attenuandos, detergendos, facilesque ad excretionem reddendos crassos lentosque & crudos succos in thorace derentos, medicamentum illud quod Iuniores Mesuem sequuti Loch, sanū & expertum nuncupant, & in præsentia est in frequenti usu. Vnde ad difficilem tussim diuturnamque, item & ad raucedinem tollendam existimatur esse commodum valde & efficax medicamentum, præsertim vbi nulla aut non vehemens adfuerit febris. Conficitur verò sic:

Recipe cinamomi,

Hifopi,

Radicis dulcis, sing. ʒ. s.

Zingifarum,

Sebesten, sing. fructus triginta,

Passularum exacinarum,

Caricarum pinguium,

Palmarū seu dactilorū pingui. sing. ʒ. ij.

Fœni Græci, ʒ. v.

Adianti pugillum.

Seminum anisorum,

Fœniculi,

Radicis iridis,

Calamenti,

Calamenti,

Seminis lini, ſing. ʒ. iij.

Omnia verò ſimul in lib. iij. aquæ ad medieta-  
tem coquantur, cui decocto mox addendæ ſunt  
duæ penidiarû librę, & ad craſſitudinem mellis  
iterum decoquatur, & additis nucleorum pinea-  
rum mundatarum,

Amigd. dulcium mundatarum,

Radicis dulcis,

Tragacanthæ,

Gumi Arabici,

Amyli, ſing. ʒ. iij.

Iridis, ʒ. ij.

Poſtea omnibus ſimul mixtis fiat medicamenti  
agitatio dum albeſcat. In hoc medicamêto præ-  
ter ea quæ cum priori cõmunia habet, ſunt zin-  
giphę, quæ tum refrigerât tum leuigant, vt tem-  
perare poſſint aliquanto calorem medicamen-  
torum calidiorum, ſunt & myrrha vel ſebeiten,  
quæ lento ſuo humore, applanare omnia exaſpe-  
rata & temperare delinireque acrimoniam &  
exaſperationem acriorum & calidiorum ſimpli-  
cium poſſunt. Caricæ verò pingues ipſæ quo-  
que vim habêt molliédi. Poſſunt verò potenter  
attenuare & diſſecare lentos & craſſos humores  
& ſubinde detergere, præter illâ quæ expoſita  
paulò ante fuere, cinamomum, hyſopum, cala-  
mentû, ſemina aniſi, ſceniculi, & nonnihil etiam  
ſemen ſcœnigræci. Vnde Galen. primò de Alim.



## 428. DE COMP. MEDIC.

fac. dicit, Medicamentum ex eo & melle confectum, esse vtile ad diuturnos thoracis affectus, qui sine febre fuerint. Sed vtile etiam quàm maximè est, & nulli fortasse secūdus, ad extirpādos hos eosdē thoracis affectus. Eclegma illud quod conficitur ex scylla, & summis laudibus à priscis omnibus, præsertim verò à Galeno pluribus in locis extollitur. Potest verò non vno tātum sed multiplici modo parari hoc medicamentum, sicut & multiplici modo antiquiores medici parauere: nam interdum ex succo eius addito melle & cocto vsq; quo ad compagem eclegmatis perueniat, quo pacto docuit Mes. conficere, sed longè ante illum, vt Gale. octauo de Comp. medic. secundum loca, testatus est Antonius Musa, qui ex Scylla cruda voluit succum exprimi, interdū verò ex vniuersa Scylla, sed ea cocta, affata nempe vel elixa, & ea postea ex melle cocta, coquere autem illam medicos consueuisse ait Galenus octauo de Med. simp. fac. vt de vehemētia virium aliquid detrahatur. modum verò quo affatur, idem Galenus nono de Comp. med. secundum loca cap. primo docuit. Docuit præterea & Dioscorides. Sed Mesue illius quidem medicamenti quod ex solo succo cōficitur, meminit, eius verò quod ex Scylla affata sola fit addito melle non meminit, sed illi hisopum, marrhubium, irimq;, & myrrham addit. Hoc tamen non est prætereūdum ita ficcis pedibus, cum dignum scitu sit  
nempe

nempe quòd antiqui medici vario modo componere medicamentù ex succo Scyllę soliti sunt Aliquando enim, vt & Mes. instituit, qui accipit expressum succù ex scylla cruda, & addito melle quantum satis fore videtur, decoquit donec consistentiam eclegmatis sibi comparet, quæ confectionis ratio à Galeno sumpra est septimò de Comp. med. secundum loca. neque tamen aliquē turbet, quòd ex scylla cruda exprimendum succum consueuerint antiqui, præsertim Asclepiades, cùm Dioscorides scyllam crudem humano corpori nõ parum esse noxiam dicat, propter vehementiam virium eius, de qua per decoctionem nonnihil detrahitur, cùm postea ex melle exquisito coquatur. Alio autem modo à Galeno in eo libro quo consulit puero comitali morbo laboranti, docuit succum extrahi ex scylla quasi per destillationem: non quidem ignem vsus, sed diuisa scylla in plura exigua frustra, atque in vas iniecta quo mel deferri solet & seruari, clausoque eius osculo, ac probè pelle aliqua contexto & deligato, canicularibus diebus soli exponi volebat, & sæpius verti, vt vndique pariter incaleresceret: sit tamen locus vbi vas collocatum in meridiem versus & à boreali plaga auersus, destillat enim vi solaris calor liquor ex scylla, qui collectus melli optimo immiscetur, atque ita conficitur medicamentum. Sed & reliquis frustulis eiusdem scyllæ quæ ita cocta reperiuntur ac si es-

sent elixa exquisitè tussis & leuigatis, atque ex optimo melle dissolutis vtile medicamentū parari potest. Præterea verò interdum scilla luto inuoluta, vel vt nunc solent in triticea massa sub antracibus, vel in clibano vbi coquitur panis, affatur, deinde conteritur, & ex melle fit medicamentum, vt nono de Comp. med. secundum loca docuit Galenus & Dioscorides. Et simplicior est isthæc componendi ratio, cui alij alia addunt sicuti quisque apud Mes. & Gal. nono de Comp. medicamentorum secundum loca legere poterit, quomodo docunque autem paretur, cum scylla vim habeat vehementem propter partiū tenuitatem, secandi citra tamen insignem calorē semper fiet arthropnoicis, & asthmaticis, qui à crassis & lentis excrementis malè habent, vt tum alibi, tum septimo de Comp. med. dicit Galen. quàm maximè salutare. Sed & de Eclegmate quod ex pulmone vulpis resiccato, & ex arte parato fit, pauca dicamus: nam & ipsum in frequēti vsu est nostris temporibus: eius verò compositionem à Mesue nostri medici desumpsere, quamuis id in Galenum authorem ipse referat, id tamen ego apud Galenum nunquam memini me legisse.

Conficitur sic:

Recipe pulmonis vulpis ficci,

Succi liquiritiæ,

Capillorum Veneris,

Seminis fœniculi, sing. ꝑ. iij.

fit

fit deinde medicamentum ex saccharo cocto ex aqua. Medicamētum hoc, vt & Mesue testis est & roborare pulmones potest, & attenuare detergereq; materias crassiores in illis contentas, atq; humiditates superuacaneas deficcare: nam vulpinus pulmo affinitate & proprietate naturæ, pulmonibus robur addit & siccat, capillus Veneris etiam attenuat quidem crassiores succos, eosq; ad excretionem parat, sed est alicuius astringentis particeps, vnde roborare potest pulmones languidiores factos. Addit verò Mes. quòd medici sepe rob myrti addunt, hoc est, succum baccarū myrti ad ignem inspissatum, nempe vt astringendo maius robur visceri impertiat. Quo loco est aduertendum, quod quamuis alia sint etiam medicamēta paria myrto in astringendo, myrtus tamen in hoc officio, affectibus thoracis & pulmonum accommodatior ea ratione videtur, qua substantiam habet diuersæ, non autem simplicis naturæ, vtpote quæ sit ex secundo de Alim. fac. saporis myrti ex austero & dulci Dulce verò thoraci & pulmonibus maximè cōmodum est & familiare. Est ergo medicamētum hoc maximè vtile asthmaticis, suppuratis vel emphyriticis & phrysicis, vel tabescentibus ex vlcere contracto in pulmonibus, cum pectus pulmonesq; possint attenuando & detergendo mundos à crassa lentaq; materia atque à purè seruare, & deinde exiccando consumere malas

materias & adiuuare vlceris consolidationem; non est autem insigniter calefaciēs. Quia autem & id medicamentum quod succo Brassicæ fit, & dicitur Loch ex caulis ab Arabibus, & Iunioribus in frequenti vsu est, ideo nec ipsum est silentio inuoluendum. Fit autem hoc modo:

Recipe succi ex folijs brassicæ expressi, lib. v quæ decoquuntur igne lento, semper auferendo spumam ad consumptionem librarum trium, mox illi inijcitur libra mellis, & tantûdem sape, ac vterius ad crassitudinē eclegmatis decoquitur. & quamuis ad tussim humidam laudatur, & id iure optimo: nam brassica vim habet attenuandi, detergendi, atque exiccandi, cum aliquo calore, vt lib. de Salubri victu innuit Galenus. præterea cum non sit alicuius adstrictionis expers, habet etiam vim roborandi: addito autem melle, additur etiam attenuandi & detergendi facultas: à sa paverò habet vt possit mollire, leuigare & appanare aspera in pulmonibus. Vnde quamuis non habeat ita vires validas hoc medicamentum vt præcedentia, non tamen spernendum utique videtur, cum & partes respirationi inseruientes astringendo possit roborare, detergendo & extenuando expurgare. Præterea verò desiccando superuacuas materias in eis absumere, & quia inde etiã habet vt possit agglutinare & sanare vlcera ex septimo de Fac. simpl. med. vel etiam maligna; & asthmaticis vtile erit, & phtificis vel tabidis

bidis ex vlcere, præterea tufsi laboriofæ & difficili, nec non & afperitati arteriæ afperæ, & raudinedini vocis quæ occasionem habet ex multo humore irrorante exafperanteque vias fpiritus. Sed iam de his medicamētis agamus huius generis quæ accommodatiora funt affectionibus harum partium quæ à calidioribus & tenuioribus excrementis vel deftillationibus oriuntur. Et primò de eo agamus quod à Mef. Diapapauer dictum eft. Conficitur fic.

Sem. papaueris albi, ℥. xxv.

Amigd. dulcium decorticatarum,

Nucleorum Pinearum,

Gumi Arabici,

Tragacanthæ,

Succi rad. dulcis, fing. ℥. x.

Amyli, ℥. iij.

Seminis portulacæ,

Lactucæ,

Cotoneorum malorum, fing. ℥. iij.

Croci, ℥. j.

Penidiarum, ℥. iij.

Syrupi qui conficitur ex capitibus vtriusque papaueris nigri, f. & albi atque ex violis & femine lactucæ, q. f. ad medicamenti confectio- nem. Non exponam particulariter fimplicia omnia ex quibus hoc medicamentū fit, cū nulum horum fit de quo iam non aliqua hucusque

Ec

dixerimus: nam nullus est qui mediocriter sit, versatus in illis libris qui ad medicinalem materiam pertinent, qui non facillè percipiat medicamentum hoc refrigerare posse, & incrassare destillantibus ad pulmonem & thoracem calidos, acres, & tenues succos, & subinde etiam reprimere & sistere fluxiones & eas maturare. Præterea verò vias & meatus in partibus inspirationi inferuentibus delinire, & quasi applanare: papaveris enim semina, lactucæque & portulacæ refrigerant non parum, & ea etiam ratione crassiores defluentes humores reddunt. Tragacantha verò, gumi, & amyllum applanant, deliniunt, & quoquo modo cum sint emplastice facultatis, incrassant: ad quod nonnihil etiam mucoso suo lentore faciunt semina malorum cotoneorum & portulacæ. de nucleis pinearum & amygdalis nihil nunc loquor cum satis de his supra. Vnde omnibus affectionibus in thorace existentibus ortis à calida intemperie, vel ab acrioribus & tenuioribus humoribus, ut sunt tusses asperitudines, pleuritides, & alij alioquin dolores accommodatum est medicamentum. potest præterea esse utilis febricitantibus, præsertim verò tertianarijs, & illis qui febre ardente laborant: nam & sistentibus illis præsidio esse potest, & afflictiis à nimia vigilia, & adiuuare concoctionem acris bilis, & tenuioris, & eius feruorem retundere. Sed & de Loch, Dono à Mes. dicto, agamus:

mus: confert hec̄ticis & cōsumptis phtificis: est enim alicubi in vsu frequenti.

Accipit autem feminis papaueris albi,

Spodij,

Seminum lini, torrefactorum,

Croci,

Amigd. dulcium, sing. ʒ. iij.

Amili,

Tragacanthæ,

Gumi,

Seminum cotoneorum malorum,

Cucumeris,

Nasturcij coctorum,

Amigd. amararum,

Fabarum, sing. ʒ. j. s.

Penidiarum ʒ. lx.

Penidijs ex aqua dilutis dissolutis que prius, addantur reliqua & coquantur. Potest hoc medicamentum leues & molles reddere pulmones, & particulas ad illos attinētes, quod commune est vt diximus, omnibus medicamentis, quæ affectionibus harum partium curandis accomodata sunt. Hoc verò præstant amigdalæ dulces, tragacantha, gumi, amilum, semina malorum cotoneorum, & penidiæ: quæ item vnà cum seminibus papaueris, cucumeris, tū emplastica vi, tum etiam refrigerando, possunt reprimere acrimoniam destillationum, à quibus vlcerari plærunque pulmones possunt, partim autem potest de-



## 436 DE COMP. MEDIC.

tergendo vlcus, si adfit, mundum reddere, quod in curandis vlceribus maximam vim habet, præfertim verò si id citra morsum fiat: citra morsum autem ex septimo de Comp. medicamentorum secundum loca, detergit semen lini tostum, fabaque pressa, & amaræ etiam amigdalæ. Vnde neq; mihi eorum sententia probatur, qui exponunt nasturcium coctum, hoc est probè maturum, quia potius existimarem quòd sicut medici, in his affectionibus semine lini tosto vti solèt quia sine mordicatione detergit, ita puto Mesuè voluisse nasturcij semē coqui, vtpote quia nimis acre sit, per cocturá enim acrimonia detrahitur. Postremò autem multa adsunt quæ desiccare possunt, vt spodium, semen nasturcij, amigdalæ amaræ: item & faba, de qua Galenus septimo de simpl. med. fac. dicit, quòd innoxie exiccat. Tertio autem meth. quod carnem procreat, viscera verò præfertim exiccatione curantur. Iure ergo à Mesuè laudatur hoc medicamentum, tãquam salutare phthisicis & tabidis, & in vniuersum tussientibus, vtpote quod facilem efficiat excretionem materiæ in thorace contentæ, & subinde plurimùm faciat ad mundas ab excrementis reddendas partes respirationi seruientes, vt medicamētum faris temperatum, non calidum, non immodicè siccans. Est etiam multis in locis in vsu, vt serapion istius medicamenti loquitur

**Loch ex lini semine.** Fit enim ex semine lini asfaro

fato quidem, si fit ut ille instituit, & ut antiquiores medici lini semine in hisce medicamentis uti solebant, quod ex septimo de Compositionibus medicamentorum, secundum loca facile percipitur, quamvis Seplasiarum multi id existius non assati farina cōficiunt: accepta ergo farina huius assati, & addito melle quantum videtur esse satis & illis simul mixtis, fit medicamentum, de quo nihil est ut plura dicamus, cum paulò antè de semine lini satis dixerimus, nepe quòd citrà mordicationem detergat. Vnde non inutile est medicamentum ad extergenda crassa excrementa viscida, obsidentia vias in thorace & pulmonib. Postremò dicamus de Loch ex amigdalibus, quod & id ipsum in frequenti usu est. Fit hoc modo:

Recipe amigd. dulcium,

item amararum,

Seminis lini assati,

Nucleorum pinearum,

Seminum anisi,

Tragacanthæ,

Gumi,

Radice dulcis,

Eius succi, sing. ʒ. j. s.

Saccari,

Penidiarum, sing. ʒ. iij.

Deinde ex melle & succo fœniculi, prius tñ pbè coctis & despumatis, & alijs adiectis, conficiatur medicamentum ex arte. quòd si rectè considerē-

tur, ea ex quibus fit, valet ad asperitates partium  
 respirationi inferuentium, quando id à siccitate  
 prouenerit: quamuis non parum etiam possit ef-  
 se utile ad faciliè reddendam excreationem cras-  
 sarum materiarum, si quæ sint in pulmonibus,  
 & thorace interceptæ: nam dulces amigdalæ, pi-  
 nearum nuclei, tragacantha, gumi, radix dulcis,  
 & eius succus, præterea & penidiæ molliunt, de-  
 liniunt, & humectas eas partes reddunt: lini ve-  
 rò semen assatum citra morsum detergit: deter-  
 git verò & mel, non nihil & saccarum, & aliquan-  
 tulū etiā amigdalæ amaræ, quæ præterea vnà cū  
 succo fœniculi, crassa excrementa attenuare pos-  
 sunt, sicut & semen anisi: quatenus verò ad pri-  
 mas qualitates pertinet, est medicamētum tem-  
 perati cuiusdam caloris, quod ad applanandas  
 asperitates viarum respirationis & ad attenuan-  
 das detergendasque crassas & lentas materias  
 occupantes instrumenta respirationis, non parū  
 sit utile, præsertim verò quando affectus nondū  
 fuerit inueteratus & pertinax. Sed iam ad tertiū  
 librum nos accingamus, finem huic secūdo im-  
 ponentes. In quo tertio de Medicamentis quæ  
 exterius adhibētur agemus. Prius tamē hoc di-  
 cam, quod valde utile illis est futurum, qui ope-  
 ram diligentem Pharmaceuticæ parti artis me-  
 dicinæ nauare volunt. Illud verò est, quod perin-  
 de in medicamentis vt in affectionibus non est  
 vna impartibilis ratio, imò ampla & spatiosa: est  
 enim

enim inter eorum supremum terminum & infimum magnum satis interuallum, vel latitudo, ut Iuniores dicunt, quæ quamuis certis quibusdam finibus claudatur & terminetur, media tamen non ita definita, imò, ut sæpe testatus est Galenus, multiplicia sunt, ut nullo numero definito claudi possint. Vnde cum in hoc magnū sit momentum, nempe ut vires medicamenti accommodentur & aptentur ipsi morbo, quod & Hippocrates velle visus est, cum dixit, Extremis morbis extrema remedia esse oportuna, & quod quanto ab extremis morbus recesserit, tanto etiam remedia si ab extremis recesserint erunt oportuniora. quod etsi Hippocrates sequenti aph. particulatim id de ratione victus explanauerit, docuit tamen Galenus hoc in more fuisse Hippocrati, ut quando plura erant eandem rationem habentia, illi satis erat, si vnum illorum particulatim exposuisset, cætera verò addenda, & eadem mensura mensuranda reliquisset. At verò neque postea fieri poterat, ut medici ita innumera medicamenta quibus tam multiplicibus affectuum differentijs posset satisfieri in promptu & parata haberent. Vnde coacti sunt eam inijcere rationem, ut aliquibus & illis diuersarum, imò inter se aduersantiū virium confectis & paratis, ex varia illorum quando opportunum videtur miscella multiplicem supellectilē medicamentorum sibi parant, mixtis sanè interdum mutuò simplicibus,

44° DE COMP. MEDIC.

nonnunquam simplicibus cum compositis & quâdoque composita cum compositis, atq; hoc modo per rationabilem cōiecturam mixturam variantes, apta & accommodata medicamenta affectionibus sibi comparant: & hoc quidem & in vniuersum in omnibus conspici potest, & particulatim in eclegmatibus siue Loch iam declaratis. Sed hîc consistamus, immensas gratias

Deo Opt. Max. agentes, cuius aspiratione  
& nutu finem tandem huic libro  
secundo imponimus.

*Finis secundi libri De medicamentorum  
Compositione & vsu.*

INDEX IN TRINCAVE-  
lam De Compositione medica-  
mentorum, perquam utilis.

<b>A</b> Cetum doloribus insensum.	6
ab Aceto ubi abstinendum.	7
in Accessionibus non purgandum.	43
Aegritudines ex bile.	118
Aegrotantis natura in exhibendis medicamentis con- sideranda.	36
Affectus & dolores per antidotos reprimi.	366
Agaricum preparatum.	173
Agaricum trosciscatum 179. eius compositio.	ibid.
Agaricum ut maceretur.	197
Alandahal preparatio.	179
Alcachengi.	279
Alexipharmaca.	11
Alicacabus.	362
Aloes lota.	69
Aloes, ut sumenda. 59. eius facultas.	62
Aloes illota.	69
Aloe pilularum materia.	26
Aloes privilegium.	52. 59
Aloes vsus quando, 71. eius incommoda.	73
ab Aloe qui abstinere debeant.	63
Aloe qui vti bene possint.	63
Amylium.	373
Andromachus theriaca author.	364

Et

# I N D E X.

<i>Anodina.</i>	10
<i>Antidoti siue electuaria.</i>	366
<i>Antidoti in quos morbos vim suam exercent.</i>	365
<i>Antidoti qua affectus respiciunt.</i>	366
<i>Antidotorum differentia triplex.</i>	364
<i>Antidotorum secunda species.</i>	364
<i>Antidotorum tertia species.</i>	365
<i>Antidotorum apud veteres conficiendorum vnus mo- dus nunc multiplex.</i>	366
<i>Antidotos ex aridis medicamentis fieri.</i>	368
<i>Aperientia posse quoq; astringere.</i>	274
<i>Apoplegmatisimi.</i>	18
<i>Apoplegmatisimi</i>	54
<i>Aqua frigida in calidioribus remedium prestantissi- mum.</i>	322
<i>Aqua cocta frigidior fit, quia rarior.</i>	254
<i>Aque destillate an odorē et alias qualitates seruet.</i>	190
<i>Aquas stillatitias purgare.</i>	189
<i>Aquarum distillatarum vsus.</i>	190
<i>Aquarum distillatarum vtilitates.</i>	191
<i>Arida magis astringunt.</i>	275
<i>Aromaticum rosaceum 384. eius materia.</i>	ibid.
<i>Aromatici odores quibus molesti.</i>	264
<i>Artes per vsum &amp; exercitium absolui.</i>	103
<i>Astringentia.</i>	378
<i>Astrictiones participantia.</i>	325
<i>Asplenium vel citrach.</i>	180
<i>Asplenon.</i>	355
<i>Assatio.</i>	258

# INDEX

<i>Autodidaxtoi</i>	99
<i>Auicennæ sententia de Aloe.</i>	52
<i>Auicennæ aurea sententia in exhibendis medicamen- tis.</i>	103
<i>Authoris intentio.</i>	12.
<i>Authoris fundamentum.</i>	2
<i>Authoris institutum.</i>	23

## B

<i>Balani siue glandes suppositoria.</i>	226
<i>Boli.</i>	14
<i>Buglossum hodiernū non esse antiquorū buglossū.</i>	270
<i>Basis cōponendorū medicamētōrū unde capienda.</i>	116
<i>Benedicta medicamētum. 150. eius dosis &amp; facultas.</i>	16
<i>Bolus Armenus.</i>	358
<i>Bilis quos morbos gignat, &amp; quando &amp; in quib.</i>	119

## C

<i>Calamentum duplex.</i>	316
<i>Calor naturalis si concoquere non possit iuuādus.</i>	240
<i>Camphora.</i>	128. 313
<i>Cana quid.</i>	350
<i>Cariola.</i>	138
<i>Cartamum.</i>	44. 88
<i>Cassia quid.</i>	9
<i>Cassia vt accipienda.</i>	60
<i>Cassia quibus noceat.</i>	29
<i>Cassia pro clystere.</i>	122
<i>Cassia quid incommodi habeat. &amp; ut tollatur.</i>	ibid.
<i>Catapotia.</i>	14. 83. 151.
<i>Causi.</i>	119



# I N D E X.

<i>Cheiron.</i>	237
<i>Centaurei maioris radix.</i>	73
<i>Cibus medicamentofus.</i>	109
<i>Ciclisti.</i>	347
<i>Clyster ex decocto malue &amp; betæ communissimus.</i>	217
<i>Clyster ex decocto lentium orizæ &amp; ordei.</i>	228.
<i>Clyster ex cassia &amp; eius compositis.</i>	218
<i>Clyster ex ptisana.</i>	215
<i>Clyster ex lacte.</i>	214
<i>Clyster ex iure.</i>	214
<i>Clyster pro pueris.</i>	214. 215
<i>Clysteris nomen multiplex.</i>	204. 205
<i>Clysteris modus utilis.</i>	214
<i>Clysteres.</i>	14
<i>Clysteres vnde dicti.</i>	203
<i>Clysteres cur inuenti.</i>	203
<i>Clysteres cur inuenti.</i>	208
<i>Clysteres vt exacuantur.</i>	221. 222.
<i>Clysteres quando adhibendi.</i>	209.
<i>Clysteres quibus de causis fiant.</i>	223
<i>Clysteria quousque purgent.</i>	207
<i>Clysterium varia genera. 224. &amp; varijs de causis. 224.</i>	
225.	
<i>Clysteres acriores. 218. quibus medicamentis consent.</i>	
229.	
<i>Clysteres ad flatus discutiendos.</i>	223
<i>Clysterium multiplex natura, vt reliquorum medicamentorum.</i>	210
<i>in Clysterium materia quæ consideranda.</i>	210
<i>Clyste-</i>	

# I N D E X.

<i>Clysterium qualitas &amp; natura diuersa.</i>	213
<i>Clysterium differentia.</i>	203.204
<i>Clysterium differentie.</i>	212
<i>Clysterium vsus.</i>	204
<i>Clysterium vsus diuersus.</i>	212
<i>Clysterium acrium dosis.</i>	222
<i>Clysterium acrium vsus.</i>	220
<i>Clysterium præcipuus vsus.</i>	214
<i>Clysterium tempus.</i>	213
<i>Clysterium apta hora.</i>	212
<i>Crassa materia.</i>	248
<i>Clysterium dosis.</i>	211
<i>Clysterium instrumenta varia.</i>	205.206
<i>Coccia.</i>	151
<i>Cocchie pilule: &amp; earum cõpositio. 152. facultas. 153.</i>	
<i>basis. ibid. Dosis.</i>	155
<i>Cocchiarum pilularum vsus.</i>	186
<i>Coctura qua plura simul medicamenta coquantur. 256</i>	
<i>Coctura duplex ratio.</i>	253
<i>Colocinthis dosis.</i>	201
<i>Compendium methodi Galenici. 248. 249. 250. 251. 252</i>	
<i>Cnicus.</i>	88
<i>Concoctio quid.</i>	237
<i>Concoctio absoluta quæ.</i>	238
<i>in Concoctione duplex agens.</i>	240
<i>Concoquens primum.</i>	237
<i>Concoquantur magis similia &amp; familiariora.</i>	238
<i>Cognitio quæ medico opus est in sanando corpore.</i>	
249. 250. 251.	

## I N D E X.

<i>Confectiones vt fiant.</i>	114
<i>confectiones quæ.</i>	367
<i>coniectura difficilis.</i>	98
<i>cõpositiones diuersæ medicamentorũ inter se.</i> 186.	187
<i>composita quæ clysteribus immiscentur.</i>	219
<i>consilium authoris pro iunioribus.</i>	112
<i>consuetudo obseruanda.</i>	63
<i>corpus quot modis ad euacuationem paretur.</i>	249
<i>corpus inaniri tripliciter.</i>	19
<i>in corpore duo consideranda.</i>	4
<i>corpora sana vsu medicamentorũ dissoluuntur.</i>	118
<i>corpora ad purgationem vt paranda.</i>	236
<i>corporum purgandorum differentia.</i>	33
<i>corporum purgandorum ratio.</i>	33
<i>in corporibus refrigerandis quid spectandũ.</i>	322. 323
<i>cyphades antidotus. 40. laborantibus aqua intercuti prodest.</i>	ibidem

### D

<i>Decoctum duplex.</i>	82
<i>Decoctum ex epythimo.</i>	82
<i>Decoctum senæ.</i>	83
<i>Decoctum fructuum.</i>	81
<i>Decoctum fructuum &amp; eius compositio.</i>	194
<i>Decoctum pro æstate.</i>	194
<i>Decoctum pro hyeme.</i>	194
<i>Decoctum pro melancholia. 195. eius compositio. ibid.</i>	194
<i>Decocta non seruari.</i>	82
<i>Decocta quas facultates habeant.</i>	273
<i>decoctionis commoditates.</i>	258. 259 destilla

# I N D E X.

<i>destillatis vel decoctis aquis in quib. sit vsus.</i>	192
<i>diacalamentum</i>	398
<i>diacatholicon.</i>	79
<i>diacuminum. 387. conficitur sic.</i>	ibidem
<i>diacodion.</i>	14
<i>diacodion. 375. frigidius medicamentum, ibid. vt fiat.</i>	ibidem
<i>ibidem. eius facultas.</i>	376
<i>diacolo. humidos.</i>	184
<i>diacolocintidos. 148. eius compositio duplex, facultas.</i>	149
<i>diacurcuma. 402. ita cõponitur. 403. eius facultas. 404</i>	
<i>diadamaſceni componendi duplex modus.</i>	120
<i>diamaſceni doſis.</i>	125
<i>diamaſceni compositio altera.</i>	124-129
<i>diamaſceni facultas,</i>	122. 123. 124
<i>diamaſceni basis.</i>	122
<i>diamaſceni vsus.</i>	124
<i>Diadamaſcenon non ſolutiuum vt fiat.</i>	120. 122
<i>diagridium quid dicatur.</i>	108
<i>diagalanga. 387. conficitur sic.</i>	388
<i>dialacca.</i>	402
<i>dialoes.</i>	83 184
<i>diambra medicamentum. 390. eius compositio. ibidem</i>	
<i>diamaſcenon.</i>	117
<i>diaphiaicon.</i>	67
<i>diaphinicon. 135. eius compositio. ibidem. facultas. 136</i>	
<i>doſis.</i>	137. 139
<i>diaprunon.</i>	78. 117
<i>diarodon Albatidis, eius compositio, materia.</i>	880

# INDEX.

<i>Diasene.</i>	79
<i>Diaſebeſten.</i> 77. <i>Montagnana eius author.</i>	<i>ibidem</i>
<i>Diatragacanthum.</i>	14.
<i>Diatragacanthum.</i>	370
<i>Diatrionpiperon.</i> 393. <i>eius compositio.</i>	<i>ibidem</i>
<i>Diatrionſandalon.</i> 369. <i>eius compositio.</i>	370
<i>Diaturbith medicamēti compositio.</i> 145. <i>facultas.</i> 146.	
<i>Dofis.</i> 147. <i>vsus.</i>	<i>ibid.</i>
<i>de Diamafceno obiectio &amp; ſolutio.</i>	126
<i>Diexodum.</i>	1
<i>Dilutorum, ſiue infuſionum facultates.</i>	273
<i>Diuiſio ad quid valeat.</i>	13
<i>Diuerſi ſyrupi idem ſerè ſcopum habent.</i>	289
<i>Diuretica.</i>	65
<i>Dolores &amp; affectus per antidotos reprimi.</i>	366
<i>Dofis quid.</i>	92
<i>Dofis medicamentorum ſecundi ordinis.</i>	98
<i>Dofis medicamentorum tertij ordinis.</i>	98
<i>Dofis medicamentorum quarti ordinis.</i>	97
<i>Dofis medicamentorum purgantium.</i> 95. <i>&amp; deinde.</i>	
<i>Dofis medicamentorum mutanda pro ratione compoſitionis.</i>	198. 199
<i>Dofis in ſcamonio varia.</i>	100
<i>Dofes vt diſcendæ.</i>	98
<i>Dofes antiquorum medicorum erroneæ.</i>	77
<i>Dofes incertæ.</i>	201
<i>Dofes metiri ex arte docetur.</i>	96. & <i>itidem</i>
<i>in Doſibus cur facilis error.</i>	99
<i>in Doſibus ſententiarum diuerſitas.</i>	101
	<b>Duplex</b>

# I N D E X.

<i>Duplex ostium per quod euacuari oportet.</i>	231
E	
<i>Egetea medicamentum.</i>	415
<i>Electuarij dosis.</i>	101
<i>electuarium rosatum, Mesues.</i>	130
<i>electuarium Montagnane. 132. eius compositio, ibid.</i>	
<i>    &amp; 134. eius dosis. 133. 134. facultas. ibid. &amp; 135</i>	
<i>electuarium vt fiat.</i>	114. 117
<i>electuarium lenitiuum.</i>	77
<i>electuarij rosati Mesue. dosis,</i>	131
<i>electuaria primi ordinis.</i>	79
<i>eclegmata.</i>	367
<i>elestiof.</i>	150
<i>elegmata.</i>	117
<i>elestiof.</i>	219
<i>elleborismus.</i>	229
<i>elixatio.</i>	253
<i>elixatio simplicium medicamentorum.</i>	253
<i>embroche.</i>	15
<i>epistropi medicamentum.</i>	220
<i>epistropi.</i>	150
<i>euacuatio difficilis.</i>	248
<i>euacuatio per vomitum quæ facilior.</i>	231
<i>euacuatio per anum cui humori magis conueniat.</i>	231
<i>in euacuatione corpus transmütandum.</i>	249
<i>excrementa transmütari.</i>	238
<i>excrementa vt concoquantur.</i>	239
<i>excrementa coqui nequeunt vera concoctione.</i>	138
<i>excrementa concoctionis signa.</i>	239

# I N D E X.

<i>Excrementa cruda non relinquuntur.</i>	238
<i>Errores à medico uitandi qui.</i>	102
F	
<i>Facultas naturalis. 241. eius robur.</i>	ibid.
<i>Febris quid.</i>	324
<i>Febribus autumnalibus curandis conueniens medicamentum.</i>	148
<i>in Febribus ardentibus quibus medicamentis utendum</i>	327
<i>Filicula.</i>	144
<i>Flores genistæ ad quid ualeant.</i>	232. 233
<i>Fructus cur coquantur.</i>	254
<i>Fructuum decoctum &amp; eius compositio.</i>	194
<i>Fumus terræ.</i>	81
<i>Fumaris.</i>	24. 81
G	
<i>Gallia.</i>	131
<i>Gargarismata.</i>	19. 55
<i>Gelencabim.</i>	330
<i>Glandes. 14. siue balani suppositoria.</i>	226
<i>Grabadin.</i>	188
H	
<i>Hamec.</i>	67. 413
<i>Hamec cõpositio. 141. eius facultas. 143. 144. dosis.</i>	145
<i>Hieræ laudes. 148. eius author.</i>	ibidem
<i>Hieræ facultas.</i>	26
<i>Humor quid.</i>	118
<i>Humor lentus.</i>	148
<i>Humorum tres differentia.</i>	116
<i>Hydreleum</i>	

# INDEX.

<i>Hydreleum quid. 233. ad uomitum ualet.</i>	<i>ibidem</i>
<i>Hyeme maior dosis proponenda quam aestate.</i>	81
<i>Hisopi facultas.</i>	65
<i>Hystericæ mulieres.</i>	264

## I

<i>Ἱπλάτια medicamenta.</i>	19.20
<i>Indicationes quot.</i>	4. 15. 16
<i>Indicationes tot, quot scopi in medendo.</i>	245
<i>Indicationes scopos pariunt.</i>	247
<i>Indicationes unde sumenda.</i>	45
<i>Indicationes ubi obseruanda.</i>	15
<i>Indicationes alicuius momenti.</i>	325
<i>Indicationum diuisio.</i>	45
<i>Indum maius &amp; eius compositio. 139. facultas. 140. do-</i>	
<i>sis.</i>	141
<i>Infusiones.</i>	189
<i>Infusionum usus.</i>	195
<i>Instrumenta medica.</i>	15
<i>Intestina cibum coquere.</i>	209
<i>Iuniores medici indulgentiores quam antiqui.</i>	368
<i>Ius lentium. 109. eius facultas.</i>	110
<i>Ius album.</i>	109
<i>Iusinum medicamentum.</i>	405

## K

<i>Κατάρπια medicamenta.</i>	20
<i>Κατάρπια.</i>	22

## L

<i>Lemnia terra.</i>	413
<i>Leniendo purgantia.</i>	40



# I N D E X.

<i>Libri secundi tractatio.</i>	236
<i>Lieni quæ opem ferant.</i>	336
<i>Litontripon.</i>	405
<i>Loeh.</i>	14. 117. 373
<i>Lupuli succi facultas in controuersia est.</i>	273
<i>Lybistis.</i>	349
<i>Lythargirium quid.</i>	261
<b>M</b>	
<i>Macerationum vsus.</i>	198
<i>Manna.</i>	24
<i>Mastix quid commodi habeat.</i>	68
<i>Masticatoria.</i>	18
<i>Masticatoria.</i>	55
<i>Materia infarctæ causæ.</i>	242
<i>Medicinam per praxim absolui.</i>	103
<i>Medici peritia ubi maxime requiratur.</i>	101
<i>Medicus ut naturam iuuet.</i>	241
<i>Medicus iunior ut se gerere debeat.</i>	103
<i>Medicus dubius.</i>	103
<i>Medicus ut concoctionem iuuet. 240, dupliciter.</i>	ibid.
<i>Medici instrumenta. 15. scopus duplex.</i>	17. 18
<i>Medici scopus habendus primo.</i>	244
<i>Medici præcipua diligentia.</i>	104
<i>Medico opus est distincta cognitio excessus.</i>	250
<i>Medicorum iuniorum consuetudo in medicamento dando.</i>	50. 54
<i>Medici in medicamentis dandis liberaliores non sequendi.</i>	103
<i>Medicorum iuniorum error.</i>	154
	<i>Medica-</i>

# I N D E X.

<i>Medicamentum quid. 37. ad aliquid dici. 3. alimentum etiam esse. 4. cur ante cibum dandum. 48. idem diuersos effectum gignere.</i>	31
<i>Medicamenti forma vnde petenda. 35. 36. qualitas. 30. quantitas. 32. formarum differentia.</i>	35
<i>Medicamento vt robur addatur.</i>	196
<i>Medicamēta paranda indicationib. sumptis vel à morbo, vel à tempore, vel à natura medicamentorum. 193. benedicta. 56. euacuantiã in duplici differentia. 18. 19. purgantiã methodo componenda. 112. purgatiã cibis incoqui. 109. purgantiã quando faciliora. 131. ore sumenda. 17. à cibo non sumenda. 51. 52. eius incommoda. 53. quando sumenda. 37. si post coenam danda. 55. cur bibenda vel deuoranda. 265. ex melle confecta fortiora eis quæ ex saccharo. 368. coctura obtundi. 109. coquendi ratio. 256. imbecillia quib. adiuuantur. 88. ingrata vt conciliãda. 262. 263. 264. quæ ingrata &amp; molesta sunt. 262. ingrata &amp; molesta, 92. quæ stomacho aduersantur. 91. quæ &amp; cur miscantur. 57. vt diluenda. 194. quæ eligenda. 260. quæ sola nihil in compositione multum valent. 260. 261. vt miscenda. 64. quæ venenum participant. 90. ex locis vires mutuantur.</i>	105
<i>Medicamentorum primus ordo.</i>	79
<i>Medicamenta secundi ordinis. 98. tertij ordinis. 97. 98. quarti ordinis.</i>	97
<i>Medicamentorum quæ in secundo libro tractantur duplex vsus. 242. affinitas.</i>	31
<i>Medicamentorum tradendorum post coenam opinio</i>	

# I N D E X.

<i>refellitur.</i>	344
<i>medicamentorum electio quid requirat.</i> 320. <i>temperatura.</i> 7. 8. & <i>deinde. incommodis quomodo obuiam i-</i>	
<i>tur.</i> 93. <i>mensurae incertae.</i> 33. <i>purgantium differentia.</i>	
113. <i>usus.</i> 12. 13. <i>purgantium usus.</i> 23. <i>usus ratio duplex</i>	
<i>usus congruus.</i> 29. <i>macerandorum rationes.</i> 196. <i>com-</i>	
<i>ponendorum occasio.</i> 6. <i>componendorum ratio unde.</i> 5. 6	
<i>Medicamentorum commoditates.</i>	260
<i>Medicamentorum duae differentiae.</i>	20. 21
<i>Medicamentis nisi experientia probatis uti nemo de-</i>	
<i>bet.</i>	113
<i>Medicamentis ingratis quae ratio adhibenda.</i>	262
<i>Medicamentis utendi ratio.</i>	106.
<i>de Medicamentis scribere arduum.</i>	1
<i>Methodus quid.</i> 3. <i>medicinalis unde sumenda.</i>	4
<i>Mirica.</i>	338
<i>Mirobalanorum genera.</i>	24. 69
<i>Mitridatica.</i>	364
<i>Mixa.</i>	21
<i>Mixuria.</i>	21
<i>Melancholici humoris apta purgatio.</i>	82
<i>Mel acreum.</i> 24. <i>cur coquatur.</i> 255. <i>saccaro in detergen-</i>	
<i>do praestantius.</i>	378
<i>Mellis &amp; saccari differentiae.</i> 266. <i>usus. ibid. septem co-</i>	
<i>moditates.</i> 265. & <i>inde. rosacci uis.</i>	339
<i>Membra praecipua tria.</i>	334
<i>Mesue à calumnia defenditur, de aloe.</i>	74
<i>Morbus quid.</i> 246. <i>simplex. ibid. compositus. ibidem.</i>	
<i>in tria genera diuiditur.</i>	245
	Morbi

# I N D E X.

Morbi quot, tot indicationes.	247
Morbi biliosi in iuuenibus ferè. 119. in estate magis excitari.	ibidem
Morbi initio rarò euacuandi. 235. principio quando purgandum.	39

## N .

Narcotica. 10. siue soporifera.	406
Nepita.	399
Noxæ ex medicamento occurrendum.	68

## O

Obstructiones in febris putridis.	327
Occasio prima componendorum medicamentorū.	10
Oleum ex amigdalibus amaris.	198
Oximel ut fiat.	258
Oximel scylliticum.	276
Oxiphenices.	24-122

## P

Palmule facultas.	138
Pastilli.	347
Pastilli diarodon & eorum facultas.	133
Philonium Persicum.	413
Philonium antidotum. 407. medicamentorum anti- quissimum. 411. eius author.	ibidem
Philosophorum sententia.	200
Phœnicobalni.	24
Pilule. 83. 151. ut fiant. 114. pestilenciales. 84. 85. ex biera. 83. mastichina. 84. assaieret. 83. Mezenon. 185. de elatorio. 185. que, Rusi.	84.
Pilule ut accipiantur.	188

# INDEX.

<p><i>Pilule de tribus.</i> 84. <i>cum rhabarbaro.</i> <i>ibid.</i> <i>sine quibus.</i>          158. <i>earum compositio</i> 159. <i>facultas.</i> <i>ibid.</i> <i>usus.</i> 160. <i>do-</i>  <i>sis.</i> <i>ibid.</i> <i>aureæ et earum compositio.</i> 157. <i>facultas.</i> <i>ibid.</i>          &amp; 158. <i>dosis.</i> <i>ibid.</i> <i>hermodactylorum maiores,</i> &amp; <i>earū</i>  <i>facultas.</i> 173. <i>compositio</i> &amp; <i>dosis.</i> 174. <i>minores.</i> 174. <i>cō-</i>  <i>positio.</i> <i>ibid.</i> <i>dosis.</i> 175. <i>cianeæ, vel lazuli.</i> 172. <i>composi-</i>  <i>tio</i> &amp; <i>facultas</i> &amp; <i>dosis.</i> 173. <i>de Agarico Mes.</i> 172. <i>ea-</i>  <i>rum compositio</i> &amp; <i>basis</i> &amp; <i>dosis.</i> <i>ibid.</i> <i>lucis maiores.</i>          166. <i>earum compositio.</i> 170. <i>facultas.</i> <i>ibid.</i> <i>dosis.</i> <i>ibid.</i>          &amp; 72. <i>pro oculis.</i> 169. <i>Arbitricæ.</i> 162. <i>foetide.</i> 167. <i>fa-</i>  <i>cultas</i> &amp; <i>dosis:</i> 168. <i>compositio</i> <i>ibid.</i> <i>dosis.</i> 169. <i>Inde.</i>          166. <i>earum compositio.</i> 167. <i>facultas</i> &amp; <i>quibus condu-</i>  <i>cunt.</i> <i>ibid.</i> <i>dosis.</i> <i>ibid.</i> <i>aggregatiue.</i> 164. <i>earum compo-</i>  <i>sitio.</i> <i>ibid.</i> <i>facultas.</i> <i>ibid.</i> <i>dosis.</i> 165. <i>Arabica.</i> 161. <i>earum</i>  <i>facultas.</i> <i>ibid.</i> <i>cōpositio.</i> <i>ibid.</i> <i>dosis.</i> 162. <i>ex rhabarbaro.</i>          166. <i>earum compositio</i> &amp; <i>dosis.</i> <span style="float: right;"><i>ibid.</i></span></p> <p><i>Pilule elephanginæ.</i> 83. 162. <i>earum compositio.</i> 163. <i>fa-</i>  <i>cultas.</i> <i>ibid.</i> <i>dosis.</i> <span style="float: right;"><i>ibid.</i></span></p> <p><i>Pilule, vt accipiantur.</i> <span style="float: right;">168</span></p> <p><i>Pilularum magnitudo.</i> 156. <i>materia.</i> 50. <i>compositio-</i>  <i>nes inter se.</i> 186. 187. <i>vsus</i> &amp; <i>dosis.</i> 85. <i>commodita-</i>  <i>tes</i> &amp; <i>compositio.</i> 151. 152. <i>dosis.</i> <span style="float: right;"><i>ibidem</i></span></p> <p><i>Pilularum lucis maiorum vsus.</i> <span style="float: right;">186.</span></p> <p><i>Pilulas magis euacuare, quàm electuaria vel boli.</i> 188</p> <p><i>à Pilulis quando abstinendum.</i> <span style="float: right;">37</span></p> <p><i>Placentule, siue tabellæ fiant.</i> <span style="float: right;">374</span></p> <p><i>Prasium.</i> <span style="float: right;">314</span></p> <p><i>Pruna damascena quando assumenda.</i> 60. <i>mirobalani</i>  <i>vt assumenda.</i> <span style="float: right;">61. 77</span></p> <p style="text-align: right;"><b>Pruno?</b></p>
---

# I N D E X.

Prunorum vsus.	60
Portulacæ semen.	372
Posca ad vomitum valet.	234
Potiones ex quibus fiant. 14. 158. quo tēpore dādæ.	44
Psillium.	133
Ptisane vsus.	93
Pulicaria.	133
Puluis senæ preparata. 179 hermodactylorum. 180. eius compositio	ibid.
Pulueris cuiusdam compositio. 180. eius facultas.	ibid.
Pulueres senæ. 85. hyeræ. 86. purgatiuæ.	85
Purgatio ubi necessaria.	115
Purgationem leuem quæ habeant.	70
ad Purgationem quibus utamur.	237
in Purgatione quatuor obseruanda.	30
Purgandi ratio vnde sumenda.	38
Purgantia in feбри hectica.	62
Purgantia bilem ut corrigenda.	119. 120
in purgandis corporibus quæ ratio habenda.	115
Purgatorijs lenientia commiscenda.	93
Purgandi tempora.	42. 45

## Q

Quartana in autumno prouentus.	145
--------------------------------	-----

## R

Ratio vsus medicamentorum triplex.	243
Rha duplex.	105
Rhabarbarum ex sententia Auerrois.	58. 61
Rhabarbari laus ab Auerroce. 147. duo genera. 75. vsus	28

# I N D E X.

<i>Rhabarbari non omnes uirtutes antiquis notæ.</i>	74
<i>Refrigerantia,</i>	357
<i>Remedia quæ infrigidant.</i>	321
<i>Requies magna, medicamentum.</i>	415
<i>Respirationis instrumenta.</i>	338
<i>Respirationi dulcia conuenire.</i>	339
S	
<i>Sacchari commoditates.</i>	265
<i>Sacchari &amp; mellis differentia. 266. usus.</i>	ibid.
<i>Sagazena medicamentum.</i>	415
<i>Sanitas quid.</i>	246
<i>Scamonium duplex. 104. ut exhibeatur. 106. &amp; deinde cū cotoneo parari. 107. quando diagridiū dicatur. 108</i>	
<i>Scamoniij dosis.</i>	100
<i>Scolopendrium.</i>	358
<i>Scopus quid. 244. communis.</i>	248
<i>Scopi medici uarij.</i>	244
<i>Sedes præcipuarum facultatum.</i>	140
<i>Senæ facultas.</i>	144
<i>Senæ decoctum.</i>	82
<i>Scrapium.</i>	268
<i>Siliqua Aegyptia.</i>	23
<i>Simplicia soporifera. 409. aperientia.</i>	274
<i>Simplicium quæ in Syrupos ingrediuntur facultates enumerantur.</i>	272. 273
<i>Spica quid commodi habeat.</i>	68
<i>Spodium.</i>	128
<i>Succi cur coquantur &amp; qui. 254. melle asseruari impu- tres.</i>	265
	Suppo

# I N D E X.

Suppositoria. 14. 226. ad capitis morbos. 228. ex sterco re muris. 227. 228. ex melle communissima.	227.
Suppositoriorum diuersa genera.	226
Syrupus quid.	113. 269
Syrupus quid significet.	113
Syrupus rosaceus Mesue.	118
Syrupus rosatus Nicolai.	118
Syrupus rosaceus. 80. eius usus & facultas.	ibid.
Syrupus uiolaceus solutiuis. 80. eius usus & facultas. ibidem	
Syrupus ex corticibus citri. 300. usus. ibid. compositio & facultas.	301
Syrupus de hepatica. 282. eius author, compositio, usus ibidem	
Syrupus de buglossa.	270
Syrupus absinthij. 293. usus, facultas & compositio. 294	
Syrupus de papauere nigro. 282. eius author, due com positiones. ibidem. usus. 283. & 284. facultas ibidem additi usus.	285
Syrupus de eupatorio. 291. eius compositio & facul tas. 292. Bizantinus Mesues. 287. facultas, compositio, usus. ibid. Bizantinus completus, eius facultas & usus. 288.	
Syrupus violaceus compositus. 386. eius facultas. ibidem. compositio, usus.	ibid.
Syrupus de Beronica.	271
Syrupus de eudiuia.	270
Syrupus acetosus diarodon. 290 eius facultas. ibidem	
Syrupus de stecade. eius facultas & compositio. 298	



# I N D E X.

Syrupus de marrubio & eius compositio. 314. facultas.	319
Syrupus cuius inuentum.	269
Syrupus ex epihimo. 307. eius compositio. ibid. facultas. 308. vsus.	309
Syrupus de calamento, eius facultas & vsus.	316
Syrupus de hyfopo. 312. compositio & facultas.	313
Syrupus de endiuia compositus. 280. eius author. ibid. facultas. 281. que ingredientur in compositionem. vsus.	ibidem
Syrupus de pomis regis Sibar. 302. eius compositio. ibidem. vsus.	303
Syrupus de mentha, compositio. 295. facultas, vsus. ibi.	
Syrupus de betonica & eius facultas. 296. compositio & facultas.	297
Syrupus acetosus.	289
Syrupus in affectibus capitis.	337
Syrupis vt quis bene utatur.	317. & deinceps
Syrupus de fumaria. 303. eius compositio. 304. facultas. ibidem	
Syrupus de pomis compositus. 305. eius compositio. 306. usus & facultas.	ibid.
Syrupi materia.	269
Syrupi rosati compositio. 126. eius facultas. 127. vsus. 128	
Syrupi bizantini triplex vsus.	269
Syrupi & mellis rosati differentia.	276
Syrupi qui dicantur simplices.	269
Syrupi simplices ex maceratione siue infusione. 271. 272.	

## I N D E X.

<i>Syrupi simplices ex fructibus.</i>	271.
<i>Syrupi simplices ex quibus fiant.</i>	270
<i>Syrupi compositi.</i>	269
<i>Syrupi compositi de cycoreo. 277. eius author. ibidem</i> <i>facultas. ibid. usus. 278. ex quibus componatur,</i>	279
<i>Syrupi compositi ualentiores.</i>	277
<i>Syrupi pro melancholicis.</i>	301
<i>Syrupi pro tussi.</i>	309
<i>Syruporum uel potionum progressus in febribus. 329</i> <i>&amp; deinceps</i>	
<i>Syruporum compositorum usus maior.</i>	276
<i>Syruporum utendorum modi duo.</i>	342.
<i>Syruporum usus à carta. 300. usq; ad</i>	340
<i>Syruporum simplicium facultates.</i>	272
<i>Syruporum duo genera.</i>	80
<i>Syruporum duæ primæ differentiæ.</i>	268
<i>Syrupos bene costos diu seruari.</i>	83

### T

<i>Tamarindi frigidi. 22. 121. refrigerant. 122. ubi condu-</i> <i>cant.</i>	69
<i>Tamarindorum nocumentum ut tollatur.</i>	70
<i>Therica. 364. ut cognoscatur an rectè parata sit.</i>	91
<i>Theriacæ author.</i>	364
<i>Triphera magna medicamentum. 415. eius compositio</i> <i>416</i>	
<i>Trocisci qui. 347. ad sanguinem sistendum. 356. com-</i> <i>positio eorum. ibid. ex Eupatorio &amp; rosis. 352.</i> <i>præstantissimi in obstructionibus. ibidem. facul-</i> <i>tas.</i>	353

## I N D E X.

Troisci siue pastilli de capparibus. 354. facultas. <i>ibid.</i> compositio. 355. ex Rosis maiores. compositio & fa- cultas. 351. ut fiant. <i>ibid.</i> eorum facultas. <i>ibid.</i> ex cara- be. 358. eius compositio. 359. ex agarico. 177. 178. de Alcachengi. 360. descriptio, <i>ibid.</i> facultas. 362. 363. A- landabal. <span style="float: right;">177</span>
Troisci non dandi principio curationis. <span style="float: right;">348</span>
Troiscorum duplex compositio. 177. duplex differen- tia. 176. variae differentiae. 363. tria genera. <span style="float: right;">375</span>
Troiscorum confectio. 175. facultas. 176. compositio. <i>ibidem.</i> dosis. 179. vsus. <span style="float: right;">176.</span>
Turbit. 136. eius dosis. <span style="float: right;">139</span>
Tussi quae profunt. 310. eius facultas. <span style="float: right;">312</span>

### V

• Vomitus priuilegium. 230. praesentaneum remedium. 230. capiti insensus. <i>ibid.</i> tripliciter moueri. <span style="float: right;">232</span>
Vomitum quae moueant. 232. excitent. <span style="float: right;">94</span>
per Vomitum totum uacuari corpus. <span style="float: right;">230</span>
Vomitorium ex ueratro albo. <span style="float: right;">229</span>
Ventriculus siccus a quibus abstinere debet. <span style="float: right;">62</span>
Ventriculus frigidus a quibus abstineat. <span style="float: right;">63</span>
Vlcera sordida. <span style="float: right;">267</span>
Vsus medicamentorum diuersus. <span style="float: right;">13. 14</span>

## F I N I S.

I  
VICTORIS  
TRINCARELLII  
PHILOSOPHI ET ME-  
DICI VENETI

De compositione ac vsu medica-  
mentorum

LIBER TERTIVS.

CAP. I.



**L**N his nostris explicatio-  
nibus, quas intituimus  
de Compositione, & vsu  
illorum medicamentorū,  
quæ medici in curandis  
affectibus quibus huma-  
num corpus exercetur, in  
frequentissimo vsu nunc habent, partim An-  
dromachum & Heram antiquos & illustres  
medicos, partim verò Galenum imitati su-  
mus. Illi enim vniuersam medicamentorum  
compositorum sylvam bipartiti, duo volumi-  
na confecere: quorum altero ea medicamen-  
ta complexi sunt, quæ interiori assumi solent:  
altero autem illa quæ exteriori adhibentur. In  
eundem sanè modum, & nos vniuersam hanc  
tractationem in duas secimus partes, & pri-  
orem, primo & altero libro (quantum per nos

clarius & exquisitius fieri potuit) exposui-  
 mus. Quia enim vniuersa eorū ratio quæ ad eā  
 partē attinere videbatur, tandem potest in du-  
 os scopos referri. præsertim verò, vbi vitiosa &  
 excrementosa materia adest, quæ morbum fo-  
 ueat et augeat: nempe vt illis excrementis de-  
 tractis corpus expurgetur, ad commodiorem  
 et faciliorem vacationem, tum corpus, tum  
 excrementa parentur, ac vires particularum  
 roborētur: ea propter omnia, quæ ad hæc duo  
 officia spectant duobus prioribus commenta-  
 rijs comprehendimus: in præsentī verò libro  
 alteram comprehendemus. Et quia hoc etiā  
 argumentū multiplex est & variū, ideo in di-  
 gerendis disponendisque eius partibus, Ga-  
 lenum, quantum poterimus, imirabimur, qui  
 vniuersam medicamentorum compositorum  
 materiam, duobus monumētis absoluit, quo-  
 rum alterum de Compositione medicamen-  
 torum secūdum genera inscripsit: alterum ve-  
 rò de eorundem compositione secundum lo-  
 cos: accepta nempe occasione istius distinctio-  
 nis, non ab ea inclinatione, quæ à natura mor-  
 bosi affectus accipienda est, quam priorib. du-  
 obus libris sumus sequuti: sed potius ab illa,  
 quæ ab ægris partib. vel membris petenda est.  
 Quia tamen hæc sententia aliquib. fortasse vi-  
 debitur aliquanto obscurior, non erit ab ressi  
 illam breui expositione explanauerimus. Por-  
 rò nul-

## LIBER III.

3

rò nulli medico notum non est, partes, ex quibus humanum corpus est coagmentatum, duplicis in vniuersum esse naturæ. aliæ enim primæ & simpliciores sunt, quas Aristoteles & reliqui Peripatetici ὁμοιομερῆ Græci, similes autem Latini nuncuparunt: et hæ quasi proxima, et vltima sunt animantis corporis elementa: præsertim verò hominis, quales sunt caro, nerui, ossa, copulæ vel ligamenta, mēbrana, cartilagines, arteriæ & venæ. Vniuersus etenim humani corporis habitus ex his conflatur, adeò vt sua communi ratione nullum particulatim sibi situm, nullum locum in corpore definitū vendicent, nisi quatenus illæ, quæ compositæ et instrumētariæ dicuntur, ex his coagmentantur. Aliæ verò, quarum nuper meminimus, posteriores natura sunt, et non amplius simplices, sed potius ex prioribus illis constitutæ et compositæ, quæ & instrumentariæ latine, græcè verò organicæ dicuntur: vtpotè quæ sint proxima et absoluta instrumenta, quibus in obeundis omnibus operationibus, quæ à facultatibus proficiscuntur, vtatur animus. cæterò omnes suum priuatum peculiaremque situm, tum locum in humano, imò cuiuslibet animantis corpore sibi vendicant: quippe quæ vt primò de Locis affectis, & primò de Vita part. cap. 2. tradidit Galen. propriam habeant circumscriptionem, per quam earum quælibet

#### 4 DE COMP. MEDIC.

bet in se vna, & ab alijs omnibus distincta: & proinde ab antiquis medicis loca in animamante appellantur, in quo sensu Hippocratis liber adhuc superstes est, cuius inscriptio est, de Locis in homine, et Galeni alter inscriptus de Locis affectis, et tertius de Comp. med. se cundū Locos. Hæ eēdem etiam partes, particulę appropriatā nūcupatione ab eisdem dicuntur: quod in libris, quos de Vsu particularū inscripsit idem Gal. ostendit. Sicuti aut̄ priores corporis partes quæ simplices sunt, omnibus cōmunes sunt, et propē in vniuersum corporis habitum digestę: et quātum ad ipsas, et cōmunem earū naturā spectat, nulli particulę ita priuatim accommodari possint, quin et alijs attribuatur: et propterea curationis ratio, & methodus, quæ ab istis indicationib. constituenda est generalis dicitur, vel penes genera accepta. Quæ verò à compositis particulis priuatim depromantur, & à peculiari & propria earum naturā à locis accipi dicuntur: & medicamenta, quæ componuntur ex collatione & comparatione cum his priuatis indicationibus et scopis, iuxta locorum naturā composita esse dici possunt, atque localia medicamenta vel remedia à medicis appellari solent. Et quemadmodum simplicia membra, quæ et communia à nobis nuncupata sunt, natura priora sunt, et indicationes quoq; ab illis desumptę:

sumptæ: & scopi qui has sequuntur communi-  
 ores et generaliores sunt, ita priorem etiam  
 sermonem de eorum medicamentorum vsu  
 & compositione instituemus, quæ ad has indi-  
 cationes spectant: postea verò de illis quæ re-  
 feruntur ad naturam certæ alicuius & defini-  
 tæ particulæ, vt sunt cerebrum, oculi, nares, au-  
 res, lingua vel os, pulmones, cor, iecur, lien,  
 ventriculus, intestina, renes vesica, vterus, ma-  
 nus, brachia, & id genus alia. Sed quia vniuer-  
 sa primorum membrorum ratio et natura,  
 tum in recta consistit temperie, tum verò in  
 vnitatem, vel contiguitate: ideo necesse est, vt  
 omnes affectus, vel morbi, quibus hæ simpli-  
 ciores partes tentari primū possunt, aut in vi-  
 tiatâ temperiem tanquam in propriū genus  
 referantur, aut in solutâ vnitatem continuita-  
 tē tue. Cum. n. morbus nihil aliud sit, quàm  
 quidâ recessus à naturali statu ipsius particu-  
 læ, vel (quod tamen tantundē valet) recessus à  
 sanitate, inde sanè cōficitur, vt sit necesse in eis-  
 dem generib. morbos consistere, in quib. sani-  
 tas, vel naturalis corporis cōstitutio. Semper  
 siquidem opposita in idem genus referuntur.  
 & eadē semper est oppositorū disciplina. His  
 tamen omnib. hoc præterea addamus, quòd  
 quamuis in his commentarijs simus professi,  
 nos esse eum ordinem sequuturos, quē osten-  
 debat ea indicatio, quâ nobis ratio affectz par



## 6 DE COMP. MEDIC.

tis primū afferebat: non est tamen ita id acci-  
 piendum, vt velimus perinde esse spectandā  
 hanc indicationē in cōpositione, et vsu horū  
 medicamentorū, quæ in considerationē reuo-  
 canda sunt, ac si altera quā nobis natura affe-  
 ctus demonstrat, esset omnino prætereunda.  
 imò necesse semper est, vt hæc illā præcedat,  
 et sit quasi primū iactum fundamentum in cō-  
 ficiendis atq; in vsum deducendis congruēti-  
 bus medicamentis. Vnde vt ratio vniuersa cu-  
 rationis variatur, partim ob diuersam naturā  
 ipsius affectus, partim verò propter diuersam  
 naturā corporis, vel partis affectæ: ita etiā ab  
 his duob. vniuersa ferè ratio tā compositionis  
 quàm vsus medicamentorum omnino est pe-  
 tēda. Quare vt aptè & concinnè possimus cō-  
 munē et generalem methodū proprijs et pri-  
 uatis accommodare præceptis, et à cōmunib;  
 & vniuersis indicationib. ad priuatas particu-  
 latim descendere: oportet prima indicationū  
 genera, partiendo differentias omnes, vsq; ad  
 vltimas inuestigare. Sed cum indicatio sequa-  
 tur naturā rei indicantis, omnis indicationū  
 differentia à differentibus reb. ortum habet:  
 quæ vim aliquā indicandi habeat. Aggredia-  
 mur ergo negotium. Omnis intēperatura, vt  
 aliàs etiā exposuimus, aut simplex est, in qua  
 nimirum excessus duntaxat est in vna prima-  
 rum qualitatū contrarietate, aut cōposita, in  
 qua

qua excessus est in vtraq; contrarietate. Præterea verò, vel is excessus nullum ab aliquo humore vel materia fomentum habet: ita vt quatenus ad illū attinet, sit citra omnē materiam: vel habet præsentem materiam à qua seruetur & fouetur, neq; tamen erimus longiores in illis differentijs tam simplicib. quàm compositi. particulatim exponendis: cū nullus sit medicus adeo ignarus, qui non nouerit, quatuor esse simplices, et quatuor cōpositas intemperaturas, quatenus ad rationem qualitatum pertinet, quodq; si ad rationē materierum respiciamus, tot sunt intemperaturæ, quot etiā materia, vel humores à quib. illæ suum fomentum habent. Sed hoc considerandū est, in quo maius videtur esse momentum: nempe quod duplex est modus earum intemperaturarum, quæ ortum & fomentū habent à materia præsentē. Nam vt 2. lib. comment. in primum Epid. docuit Gale. aliquando humor per vasa alicuius particulæ fluens alluit, & quoquo modo perfundens circumstantes partes, easq; transmutans per suas qualitates, vitiata illarū naturali temperatura, actiones inde provenientes lædit: & istius generis propriæ sunt morbi illi, qui in intemperie cum materia referuntur. aliquando autē à præcipiti et confertim facta fluxione humorum decubentium in aliquā partem, primū replentur vasa maiora eo perti-

## § DE COMP. MEDIC.

tinencia, & intumescunt: mox verò eadem fluxio & in minora impellitur: quæ itidem repleta distenduntur: demùm præ multitudine materiæ, et distentione vasorum pars aliqua, & illa quidem non exigua quasi expressa excidens extra vasa, replet inania spacia circumstantia, quæ nimirum intercedunt inter vasa et alias partes, vt sunt muscoli et aliæ vicinæ partes, replet, et angustos meatus ipsarum particularum penè ab ipsis absorpta, et ibi infarcta in tumorem particulam attollit: et quamuis interdum non ita præceps et confertim defluat humor, sed potius paulatim, vt in crasis succis sæpius euenire solet, nihilo secius tamen cum impletes infarciuntur, tandem fit eadem quasi expressio et repletio vicinarum partium, et hoc pacto vt docent medici, imprimis verò Gale, multis in locis, fiunt omnes differentiæ tumorum in quos attolluntur particulæ præter suæ naturæ rationem. Sed neq; hoc silentio inuoluendum est, quòd sicuti simplicibus his particulis nihil prius et intimius attinet quam suum naturale temperamentum: ita etiam quicumq; morbi primùm his ipsis attribuuntur, paulo post fere necessitate quadam comitem habent intemperiem loci morbosum, quod facile probatum est. Si quod enim est morbi genus, in quo sententia hæc anceps videri possit, illud est, quod in soluta continuitate consistit: præsertim

fertim, si ab externa occasione fiat, vt à gladio vel simili aliqua re. Si quis aut rectè animaduertat, & rerum naturam velit considerare, facile percipiet, necesse esse, vt statim aliqua intemperies sequatur. nam præter id, quod locus fit imbecillior (alioquin enim non duplex esset excrementum, quod medicum cogit in curandis vlceribus vti semper quidem medicamentis exiccantibus: sæpe verò & detergentibus,) vix fieri potest, quin aliqua excrementitia materia à partibus integris & valentibus affluat ad locum affectum & imbecillum, quæ immutare potest naturale illius partis temperamentum. Huic etiam accedit, quòd neq; ita fieri proba potest concoctio alimenti proprii à loco vlcerato: quin augeatur semper excrementitia quædam & superuacanea humiditas, quæ impedimento est vlceri, quo minus consolidari possit, nisi locus desiccetur. Tumores verò præter naturam propriè & primùm in genere morborum sunt, qui in intemperie consistunt, quæ cum materia est, vnde & medicamenta omnia, quibus in curanda soluta vinitate vtimur, vel in curandis tumoribus, quæcunque illa sint, siue composita, siue simplicia, primùm per suam temperiem agunt, & transmutant illam partem, cui adhibentur calefaciendo, aut refrigerando, aut desiccando, aut humectando: deinde verò per secundas,

10 DE COMP. MEDIC.

vel tertias qualitates, nempe astringendo, vel laxando, coquendo, detergendo, & id genus alia præstando. Et proinde, cum in omni horum medicamentorum ratione & usu oporteat primum particulatim meminisse sui temperamenti, per quod agere & transmutare possunt morbosam partem, atque scopos exponere, quod spectare sit necesse, quando ipsa componimus, & compositis utimur: ideò non seorsim tractationem de illis medicamentis instituemus, quibus uti oporteat in curanda, & emendanda vitiosa intemperie contracta in aliqua parte ex interna externaque occasione, sed statim sermonem aggrediemur, qui versabitur circa rationem medicamentorum, quæ solita sunt venire in usum in curandis duobus morborum generibus: nimirum tum illis, qui ad unitatem solutam pertinent, tum verò illis qui ad diuersas differentias tumorum præter naturam: sumpto tamen initio à ratione curandorum vlcærum & vulnerum.

*De ratione compositionis & usus medicamentorum, quibus medici uti solent in curanda unitate soluta.*

Caput I I.

**S**olutæ unitatis, si rem rectè iudicare voluerimus, duæ sunt primæ differentiæ, nã aliquando partes diuisæ, ita dehiscunt & mutuo

mutuò separantur, vt earum solutio sensibus comprehendatur: sicuti quando à re incidente, vel contundente, vel distendente, vel detergente, & erodente, vel vrente, vel mordente partes dilacerantur separanturque: aliquando verò, & si vnitas omnino soluatur, non est tamen ea solutio talis, vt partium diuisio oculis, vel aliquo sensu percipi, & discerni possit, sed cogitatione potius rationeque deprehenditur, Nam hoc constituto, quòd causa doloris sit vnitatis solutio, & proxima ei<sup>9</sup> causa, vt credimus sensisse Galenum, atq; ira rem se habere putamus, quicquid voluerit Auerroris, necesse est, quòd in quacunque parte dolor excitatur, in ea sit vnitatis solutio: attamen sapissimè dolores etiam vehementissimos in aliqua particula concitatos animaduertimus, in qua nullam diuisionem notare possumus, quæ ad eò insignis sit, vt sensu aliquo percipi possit. De hac autem solutione continui non agemus in hac tractatione primum & per se, neque de medicamentis, quæ illi remedio esse possunt: nisi quatenus interdum solent dolores vehementes vulnerum, aut vlcærum esse comites, qui ratione curationis, aut omnino, aut aliqua ex parte ad se cõuertunt: sed de medicamentis illis præcipue sermonem instituamus, quibus vsi medici, vlcera & vulnera, & alias consimiles in simplicibus & similiarib. mem-

## 12 DE COMP. MEDIC.

bris concitatas affectiones curare confucere, Hoc autem istorum affectuum genus multiplices & varias habet differentias, quæ omnes variam viam rationemque curationis, pro varia ratione & natura harum differentiarum ostendunt, & subinde variam quoque & differentem rationem medicamentorum requirunt. Porro autem diuersitas, & distinctio istarum differentiarum occasionem habet, aut ab ipso affecto membro, aut à natura affectus in se, & secundum propriam suamque naturam considerati, aut ab alijs symptomatibus, vel affectionibus, quæ cum soluta continuitate iungantur. Sed de prima diuisione differentiarum, quæ depromendæ sunt à varia natura affecti membri prius agamus. Sicuti igitur diuersa sunt, & dissimilis naturæ membra simplicia, quibus infligi possunt vulnera, ita & morbi, qui alioquin in seipsis considerati similes dici merentur, ita diuersi & differentes habentur, vt etiam diuersa nomina sortiti sunt, & differentem curationem desiderant. Quod enim differentia nomina habeant morbi, qui in solutam unitatem tanquam in proprium genus referuntur, ostendere medici antiqui ferè omnes, sed præsertim Galenus, tum alibi, tum vel maxime in libro de Differentijs morborum cap. secundo, qui dixit, Vulnera quidem & vlcera solutam continuitatem in carne significant, Græcè ve-

τὸ ἡγαῖμα

τὸ τραῦμα ἢ ἔλκος, & id si ex incisione fiat continui solutio: quanquam quæ ab externis sit causis Hipp. τραῦμα appellat. Nam si disrum-  
 patur caro alia ratione, ῥήξις potius, vel ῥήγμα  
 vt idem 3. Meth. cap. 1. & 6. cap. 1. tradidit, nuncupatur: at in neruis facta ex incisione continui solutio, nomen proprium non habet, neq;  
 Græcè, neq; Latine, sed eisdem nominibus in his abutimur, quibus & in carne. Nam vl-  
 cera & vulnera neruorum itidem appella-  
 mus: imò & eodem nomine significamus solu-  
 tam continuitatem in neruis concitatam nō  
 ex incisione, quo & in carne nuncupamus:  
 quamuis deinde habeant quoddam magis pe-  
 culiare nomen nerui, quo significatur quædā  
 differentia cuiusdam solutionis vnitatis parti-  
 culatim: nempe quando ex distentione di-  
 uelluntur, & dilacerantur fibræ illæ, ex quibus  
 præsertim contextus est musculus: nempe  
 ἀσμα quasi diuulsionem dicas. Sed hoc idem  
 nomē ad venas & arterias transferimus, quan-  
 do similem affectus rationem patiuntur. Cum  
 verò os solutionem continui patitur, Hipp. &  
 Græci nunc ἄσμα nunc τέρταγμα nuncupant:  
 nos fracturam. Sed de his hætenus: in sequen-  
 tibus vero magis particulatim agemus. pri-  
 mumque de vlcerebus vel vulneribus, vt solu-  
 tam in carne vnitatem significant, verba facia-  
 mus: exponamus autem in primis quæ iterū



fit differentia inter vulnus & vlcus, vt clarius & magis ex ordine doctrinam instituamus, & vt superius diximus, Galenus τραύμα & τραύση vulnus vocat ἡ δὲ τὸ πρῶσιον, quod vulnerare significat: vlcus verò ferè à Græcò vocabulo deductum est. ἕλκος enim illi appellant. Et si Arabes, præcipuè Auicennam sequamur, facilis & aperta est inter hæc differentia: nam vulnus continui solutionē appellat à re. pungente vel incidente factam, dum recens & cruenta adhuc est, & nondum purulenta, vel nondum pus procreat: vlcus verò eam à qua pus emanat, vnde vulnera cùm eò perueniunt, vt iam pus gignant, in vlcera transeunt, & proinde Auicenna 4. Fen. can. dixit vlcera fieri, aut ex vulneribus, aut ex ruptis abscessibus. Et quamuis Gal. aliquando hæc confundere visus sit: si tamen rectè loca examinentur, & mutuo conferantur, in quibus de his ab illo habetur sermo, facillè percipiemus, & illum in alià ferè sententiam non iuisse. Nos ergò hanc in præsentia sententiam sequamur, vtpote quæ clarius sit inferuitura præsentì nostro instituto. Et quia vulnus aliquantisper simplicior est affectus, cuius & curationis ratio est simplicior, ideo primùm de cõpositione, & vsu eorù medicamentorù agemus, quæ medicis vulnerrarijs (qui imppriè forsità hoc tẽpore chirurgi nũcupãtur) in curãdis vulnerib. in vsũ veniunt.

## LIBER III

*De medicamentis, quorum vsu curantur*

*vulnera.*

*Caput III.*

**Q**uoniam medicamentorum, quæ componenda sunt, quæq; in usum deducenda sunt, duplex à medico, qui probè ratione eorū tenere voluerit, iudicium faciendum est: primum earum facultatum, quibus præditū est illud medicamentū. nimirum, ut exactè calleat, an desiccet, & quatenus, hoc est, quo ordine, vel gradu potest desiccare vel calefacere, & quatenus id agere poterit, atq; eodem modo de alijs, ut qualitatib. tam primis, quàm secundis & alijs, ut quatenus refrigerare possit, quatenus detergere, quatenus astringere: & ne in his longiores simus, idem de reliquis medicamentorum compositorum virib. intelligendum est. hoc autem iudicium vertitur circa rationem medicamenti, ut refertur ad corpus humanum consideratum in vniuersum, & nondum per aliquas limitationes particulatim determinatam. Alterum verò iudicium medico necessarium est, ut medicamentum refertur ad usum. versatur autem id iudicium circa hoc, ut cognita natura, & facultatib. cōpositi medicamēti, iudicet in quo morbo, quo tempore, quibus in locis, quibus corporibus illo possit aptè & salubriter vti. Ex collatione ergo medicamentorū partici

latim ad ipsos vsus fit hoc alterum iudicium. Vnde primū illud fieri debet examinatis prius seorsim singulatimque simplicibus omnibus, ex quibus conficiendum aut confectum est medicamentum: deinde verò illis omnib. mutuo inter se collatis. Quemadmodum enim in compositis naturalibus ex mixtura proximorum elementorum, ex quibus constat mixtum, emergunt, & resultant vires, & facultates illius mixti: ita in compositis medicamentis ex mixtione & quasi confusione simplicium, vnde conficiuntur, existunt & quasi emergunt omnes vires, quæ possunt quoquo modo illi composito medicamento iure attribui. Quare maximè rationi est consentaneum, illum optimè iudicaturum aliquod compositum medicamentum, qui prius nouerit particulatim ea omnia ex quibus confectum, aut conficiendum est, probeque rationem inire ac conferre illa sciverit ex quibus medicamenti compositio constat. Alterum autem quod circa vsum versatur, illud est, quod perfectum medicum demonstrat. nam etsi primum etiam sit illi summè necessarium: nisi tamen & hoc alterum accedat, nihil ferè primum proderit: hoc alterum enim tum medicum omnino, tum cognitionem, peritiamque medicamentorum absoluit: primo namque iudicio innixi nondum possumus, vt Galenus sæpe restatus est præsertim  
verò

verò in libr. de Comp. med. secundum loc. pronunciare, num medicamentum bonum vel malum sit, recte compositum, aut secus, quandoquidem id cognoscemus, vbi primo præterea fuerit additum, & hoc alterum. istius verò omnis ratio petenda erit ab ipsis scopis, quos nobis offerunt indicationes, quæ vniuersam medendi methodum constituunt & regunt. consideratis ergo & recte perpensis omnibus illis rebus, tam naturalibus quàm etiam illis, quæ præter naturam rei accidentes, vim aliquam indicandi habent, rectè fieri hoc iudicium poterit. Vim autem indicandi habent, quatenus ad res naturales pertinet, propria et naturalis corporis temperatura, ad quàm ætas, regio, vitæ institutum, & consuetudo referuntur: deinde verò particularim natura & temperatura malæ affectæ particulæ. In rebus verò quæ sunt præter naturam in nobis, vim propriam indicandi habent præsertim affectus, deinde causa: Interdum tamen & symptomata aliquam sibi vim indicandi vendicant, quamuis tunc non habeant amplius rationem symptomatis. si autem affectus non vnus & simplex: sed multiplex sit, pro ratione multarum compositarum affectionum, multiplex etiam infurgit indicationis ratio. Porrò ab his omnibus, quamuis non æqualiter, petenda est ratio iudicandi appositum et

congruentem medicamentorum vsum. non æqualiter inquam, quia non semper, imo verò raro est eorum, quæ indicant æqualis vis. cum itaq; tractatio hæc instituenda sit de compositione & vfu externorū medicamentorū: vfus verò sit finis compositionis, de scopis primum quos spectare oportet, in iudicando aptum & congruentem medicamentorum vsum in curandis vulneribus, paucis agendū videtur. Sequemur autem in hac re exponendā methodum, quam nos Gal. primis libris method. nempe, 1. 2. & 3. præsertim docuit, & primum priores & communiore scopos, qui in vulneribus nobis ostenduntur, inquiramus. In vulnere ergo in carnosa particula, partes quæ prius unitæ & continuæ erant, à re incidente diductæ, disiunctæ & solutæ sunt. Unde rei istius natura & conditio nobis apertissime indicat, quòd si particula sit pristinae unitati restituenda, necesse est, vt partes ad se mutuo adductæ hæreant coniunganturque, & quasi agglutinentur. neque hoc cognitu difficile est, neq; vt ait Galenus, magnum aliquod in arte medica, cum ipsis etiam vulgaribus & fabris sit perspectum, atq; in hoc artifex ab inerti minimè differt. Sed differunt in ratione peragendi illa quæ nobis prima hæc indicatio, & primus scopus ostendit, nempe quo pacto & quibus instrumentis id sit peragendum.

dum. Nouit siquidem peritus medicus quæ ipse, utpote qui minister naturæ sit, possit in his, quæ indicantur peragendis præstare; quæque natura. Nam in aliquibus, medici ope omnino opus est, in quibus natura nihil potest: in quibusdam verò sola natura potest, neque quidquam à medico desiderat. Nonnulla verò præterea sunt, quibus vtriusque opera, tam medici, quàm naturæ utilis esse potest. Sed re hanc exemplo apertam, & claram efficiamus: præsertim verò in simplicioribus vulneribus, vbi nulla alia sit coniuncta alterius rei indicatio, præter illam, quæ ab ipso vulnere, vel soluta partium vnitatem depromenda est. In vulnere ergo ab incidente instrumento illato, primum partes, quæ prius coniunctæ erant, diiunctæ, & separatæ dehiscunt, ut in medio earum reliquus sit hiatus quidam, vel inanis locus, qui aut cruore, aut aere repletur. Si ergo restituenda est illi partiæ vnitatis, & integritas, necesse est ut partes, quæ diductæ dehiscunt, adducantur, & mutuò hærentes, primò agglutinentur, mox et concrevantur coalescantque agglutinantur autem ope sanguinis, qui tum in osculis exiliis venarum, tum etiam in angustis meatibus recisæ carnis continetur. Ille enim officio veri glutinis fungitur. coalescunt autem opera nativi caloris, qui eas etiam particulas sanguinis in substantiam &

naturam veræ carnis conuertit . perinde vt alimentum in substantiam rei, quæ alitur conuertitur quotidie solet, in quo quidem negotio ad medicum solum pertinet, aut administrantem illi chirurgum labia, vel diductas vulneris partes in vnum adducere, cum id natura, si vulnus aliquantisper insigne sit, ex se præstare nequaquam possit: mox verò procurare, vt adducta, quo ad mutuò coaluerint, coniuncta permaneant: id autem medicus non quidem medicamentis facere potest. sed potius manu sua, & fascijs vinculisq; tum etiam sutura, aut fibulis. Neque in his opus est medicamentis quantum ad hoc munus pertinet: nisi si quando paniculis glutinosis aliquo medicamento imbutis utimur, & illis vtrinque vulneratis partibus agglutinatis, atque assutis aliquibus vinculis, quibus tanquam instrumentis, vt suturam fugiamus, adducimus labia vel latera vulneris: quod in facie præsertim fieri consuevit. hæc itaque solus medicus conferre potest. Sola autem natura eos humores, quibus medijs agglutinantur, & postea simul coalescunt vulneratæ partes, tanquam aptam, & congruentem materiam potest subministrare: medicus verò, aut nihil aut parum: præterea verò & concretio, & coactio ille, non nisi opera naturæ fit, & caloris nativi, qui aut ipsamet natura est, aut eius proximum

ximum instrumentum. Medicus tamen tanquam eius adiutor, & minister illam in hoc opere potest iuuare, & id duplici ratione: primum ea administrans remedia, quibus siccescens modicè materia ea, qua media agglutinantur coalescuntque partes citius negotium absoluitur, & validius tenaciusque hærent: nam neque fieri potest, quia per solutam particulæ vnitatem, ea reddita imbecillior, non semper aliqua excrementitia humiditas subcreseat quæ remoretur, aut impediatur coalitionemque partium: quapropter huic rei utilis est exiccatio. Hac ergo ratione primum potest medicus suis medicamentis vtilem operam naturæ præstare: Deinde verò quando vulnere aliquod superuenit symptoma, quod impedimento sit, quo minus possit medicus disiunctas, & separatas partes adducere, & coniungere, & natura nequit ea moliri, quæ ad halitum & vnitatem faciunt, & subinde neque etiam eius minister medicus. Vnde prius ad medici officium pertinebit suis instrumentis procurare, vt symptomata quæ curationi impedimento sunt remoueantur: sæpe verò vulneribus inter initia possunt accidere, ac impedire curationem, vt profusio sanguinis, præsertim verò si venæ aliquæ vel arteriæ insignis alicuius magnitudinis sint recisæ, & potissimum in profundio





ribus, & latentibus partibus vulnerati loci: deinde dolor aliquis non contemnendus; tertio verò (& hoc maiora vulnera & profundiora solet sequi) cum incisio magna & profunda fuerit, quamuis suatur vulnus fascijs, que & vinculis quantum ars admittit, astringatur, nequeunt tamen ita exactè adduci latera vulneris, vt vndiq; & ex omni parte mutuo sibi hæreant & adiungantur: sed semper necesse est relinqui: saltem in fundo, aliquem hiatus & locum vacuum, in quo nunquam poterit fieri agglutinatio & coalescentia. Vnde in his erit necesse, vt carne regenerata locus repleatur, quo partes deinde vniantur, & continentes fiant possunt & alia superuenire symptomata, quæ in causa postea erunt, cur vulnus in vlcus transeat, vt intemperaturæ, & id genus alia: Sed de his postea suo loco particulatim agendum erit: in præsentia autem de illis instituemus tractationem, quæ propriè vulnera à nostris dicuntur *ῥαίματα* verò à grecis, interdum *ῥαίματα*, hoc est, cryentia vlcera. Et de simplicioribus primùm, simpliciora verò illa appellamus, vt Galenus 3. meth. & alij etiam præcedentibus libris appellauit, quæ nullum aliud adiunctum symptoma habent, nullam aliam circumstantiam præter ipsum vulnus. De compositione ergo & vsu eorū medicamentorū agemus in hoc capite, quæ

quæ faciunt ad curandum vulnus in quantum vulnus est: nulla nimirum habita ratione alterius rei, quæ cum eo cõiungi possit: & priuatam aliquam indicationem habere: Et quia ratio componendorum medicamentorum ad hunc vsum præsertim referenda est in rationali medicina: vñus verò ad propositum scopum: Ideo imprimis inuestigandum proponamus, quis sit is scopus, quem spectet vulnerarius medicus vulnera curaturus, & si ille non sit vnus tantum, sed plures, qui tandem illi fiat cum verò Galenus secundo meth. fusè & clarè hanc rem explanauerit, summatim verò & per capita in secundo de Compositione medicamentorum secundum genera, & in commentarijs librorum Hippocrat. de fracturis, ab eo vniuersam hanc rationem petimus. duo ergo imprimis esse vtilia his vulneribus agglutinandis & ad vnionem perducendis docuit ibi Galenus nempe exiccationem & astrictionem, neutrà tamè insignem & multam. Quòd vtilis & necessaria sit exiccatio, nuper hoc capite probauimus: quod tamen omnib, tam vlcerib, quàm vulneribus cõmune est: omnia enim ea desiccatione egent. Sed et astrictio vtilis est, vtpote quæ partes cogat simulque colligat: præter id quod agglutinationem validiorem reddit, non multa tamen in his exiccatione opus est, quia humorem cui acce-

pte referenda est agglutinatio, nimis siccan-  
do, aut assumeret, aut ineptum ad glutinatio-  
nem redderet: Sed & astrictione modica opus  
est: nam quæ valenter astringunt vt sæpe re-  
status est Gal. valide etiã exsiccant, sed & vali-  
de colligendo particulas in causa sunt, cur, si  
quis humor in earum meatibus sit conten-  
tus, qui utilis esset naturæ ad huiusmodi nego-  
tium, ab his ad alias exprimatür & impella-  
tur. utilis est ergo modesta astrictio, quanta ni-  
mirum satis sit ad colligendam & roboran-  
dam particulam, atq; ad firmandam agglutina-  
tionem, præterea verò ad illam tuendam, ne  
ab alijs integris superuacuas humiditates re-  
cipiat, quæ incarnationi, vt ita dicam, sint im-  
pedimento. Si quis autem vltterius progres-  
sus petat magis particulatim, & distinctè rem  
hanc diffiniri, ac quærat quatenus id genus  
medicamenta, quæ huic officio sint congru-  
entia, exiccantia esse oporteat: Dicemus nul-  
lã posse istius diffinitã & statutam mensurã  
describi, neque aliquem determinatum ordi-  
nem assignari, quia pro diuersa ratione tem-  
peraturæ corporis, aut vulneratæ partis, item  
pro ratione ætatis, sexus, artis vel institutio-  
nis vite, rationis, victus, & aliorum omnium,  
quæ modum & rationem temperaturæ cor-  
poris solent immutare, mutatur etiam ratio  
& modus vel mensura medicamenti. nam si

ita est, vt probauit Galenus sæpius, præfer-  
 tim verò 3. meth. cui & Auicenna 4. fen. 4. sub  
 scripsit, quòd eo medicamento in horum vul-  
 nerum curatione vti oporteat, quod cum lo-  
 co vulnerato collatum, vim habeat exsiccan-  
 di & tanquam axioma à philosophis accipi-  
 tur, quod inter ea quæ equalia sunt, & secun-  
 dum qualitates paria, non potest esse actio,  
 necesse est, vt siccanda sit particula, vel ad ma-  
 iorem siccitatem perducenda, medicamen-  
 tum facultatem habeat magis desiccantem,  
 quàm sit siccitas, quæ tunc in desiccandò mō-  
 bro reperitur. vnde temperaturæ & sexus, &  
 ætates, & reliqua id genus, quæ sicciora sunt,  
 in vulneribus curandis, desiderabunt ea me-  
 dicamenta, quæ maiorem vim exiccandi ha-  
 beant, & quæ humidiora, minus exiccantia  
 requirent. At verò quia neque etiam oportet  
 insigniter excedentem esse eam exsiccationem,  
 sed respectu corporis modestam & mo-  
 dicam: maiorem tamen, vt Galenus 3. & 4.  
 meth. affirmat, quàm illa sit, qua est opus in  
 vulnere, vbi caro desit & ea sit generanda, si-  
 cut maior requiritur in adducenda cicatrice  
 vulnere, quam in eo agglutinando. Vnde quã-  
 tum ad hæc pertinebit, triplex erit ordo exic-  
 cantium medicamentorum, quæ sint apta cu-  
 rationibus vulnerum, quatenus vulnera, nã  
 omnino eorum vniuersa curatio exsiccatione

absoluitur, & quæ carnem in vulneribus gi-  
 gnere apta sunt, in primo sunt ordine: quæ ca-  
 possunt agglutinare, secundum occupant or-  
 dinem, vel vt nunc loqui solent medici, gra-  
 dum: quæ verò cicatricem inducere, tertium.  
 Nisi quòd alia ratio est istius distinctionis vel  
 partitionis istorum ordinum in his medica-  
 mentis obseruandorum, quando in ea medi-  
 cinæ parte in qua de facultatibus simplicium  
 medicamentorum in vniversum, & generali  
 ratione agitur: quia ibi de illis & eorum di-  
 stinctione communi quadam ratione sermo  
 est institutus: nempe quatenus referuntur ad  
 corpus temperatum, illud enim est veluti cõ-  
 munitatis mensura ad quam primum referenda  
 sunt omnia communia theoremata ad medi-  
 cum spectantia. Hoc verò loca ordines hos re-  
 ferendos censemus, non ad temperatum cor-  
 pus, sed ad illud quod curandum est: nempe  
 vt cum est in vulnere generanda caro, illis v-  
 tamur medicamentis, quæ in exiccando, col-  
 lata ad naturalem siccitatem illius corporis,  
 quod vulnus accepit, illam per vnũ ordinẽ  
 excedant: si sit tentanda agglutinatio, per alte-  
 rum: si sit inducenda cicatrix, per tertium, quo  
 deinde fit, vt eadẽ medicamenta possint gene-  
 rare carnẽ in vno, quæ in alio non poterunt.  
 Semper enim sicciora corpora siccioribus in-  
 omnibus his officijs indigebunt medicamen-  
 tis: humidiora verò, minus desiccantib. Qui-

bus & hoc addendum putamus, quod nō modica ratio & ipsius diuersitatis habenda est, quæ in vulneribus solet plerunque conspici. Nam vulnera exigua leuioribus & facilioribus medicamentis possunt curari, maiora verò non ita: imò valentioribus est in illis opus. Sunt enim quædam vulnuscula, quæ natura sponte sine vlla medici ope agglutinantur, alia facillime leuiq; medicamēto, sicuti interdū solo albo oui: alia verò maiora vix efficacioribus & maioribus consolidari, & curari possunt, vnde Galenus 2. de Comp. med. secundum gen. istius rei memor, cum de Barbaris medicamētis esset sermo, & multas eorum compositiones exposuisset: descripturus illas, quibus ille imprimis utebatur, duas proponit circa calcē illius libri, quarum primam accommodandam esse ait magnis: alteram verò, minoribus vulneribus. Sed iam particulatim agamus de ipsis medicamentis: satis namque circa generalia theorematata sumus euagati. Hoc accepto tanquam cōstituto, quod scopus sit in his medicamētis huic officio futuris idoneis, manifesta vel conspicua respectu exsiccandi corporis exsiccatio, non tamen ea vehemens & multa, sed tanta vt possit citò, nempe antea quàm materia illa, qua agglutinadæ erant partes in pus vertatur, sicari quantum oportet, absumpta si qua sit excrementitia humiditas inte-

rim in ulcere genita. nam citò pus succrescit, secundo enim ferè vel tertio, vel vt Galenus tertio libro Commentariorum in librũ de Fracturis testatur, ad summum quarto die. Si ergo de his medicamentis nobis dicendum est, quæ his scopis accommodari possunt, illud in primis aduertendum quod in his aliqua simplicia sunt, aliqua verò composita: simplicia quidem ex propria sua ratione id habent, vt agglutinare vel incarnare, vt etiam vocabulo iuniorum vtamur, valeant: vnde medici illis solis citra aliorum medicamentorum compositionem & mixturam interdum vtuntur, vt in progressu sermonis à Galeno petitis exemplis ostendemus, Composita verò medicamenta, quæ ad hos vsus confecta à medicis fuere, quamuis vires suas à simplicibus, vnde constanter sint fortita: multa tamen sæpe in illis accipiuntur, quæ particulatim & quantum ad suam naturam priuatim pertinet, non modo his scopis non possunt aptari, vt potius illis sint aduersissima: sed aliorum mixtione ita mitescunt, vt idonea & utilia reddantur, & ideo quamuis in compositis antiquiorum vel iuniorum medicorum aliqua reperiemus scripta simplicia, non statim ea etiam accipienda sunt tanquam vi prædita agglutinandi. In medicamentis ergo agglutinantibus, quæ simplicia sunt, primum et leuissimum illud est, cuius  
mentio

mentio facta est à Galen. xj. de Simpliciu. medicamentorum fac. nempe album vel candidum oui: nisi quis fortè dubitet, quia hoc videtur alienum ab initijs, vel fundamētis positis. nam si quæ agglutinant magis siccant, quàm quæ carnem gignunt, adeò lenis siccitatis est oui album, sicut Gal. ibi affirmare videtur, vt vix reperias medicamentum idoneū generandæ carni, quod minus siccare possit: præterea quâuis repellendi facultatē habeat, id tamē habet, nō quæ sit astrictiois particeps, quæ tamē erat secunda conditio harum medicinarū: sed tū refrigeratione, tū verò emplasticæ & glutinosæ substantiæ. Ad has dubitationes in hunc modū respondere possumus, quòd in humidiorib. corporib. potest agglutinare, quia satis est quod tantū desiccet, vt ad naturalē siccitatem corpus adducat. nuper enim diximus, mensuram siccitatis in his non esse accipiendā ex natura ipsius medicamēti per se, & in respectu corporis temperati: sed ex collatione cum corpore vel parte vulnerata. Vnde multa medicamēta corpus vnū nimis exsiccabunt, quæ alterum, aut nihil aut parum: imo etiam vlcus humidius reddent, ad id verò, quod de astrictione oppositum est, primum volumus contendere, an album oui sit alicuius astrictiois particeps: nam Auic. 2. Can. vbide ouis agit, viderur aliquā astrictioem albo attribuere, a-



pud Gal verò hoc non memini me legisse: sed  
 dicerem quòd quamuis per se non astringat, i-  
 dem tamen officium præstat. ac si leuiculâ ha-  
 beret astrictiõnẽ, vt possimus affirmare, quòd  
 quasi per accidens astringit: nam refrigeran-  
 do, & partes quoquo modo subinde constripẽ-  
 do & densando, colligit, atque tum hac eadem  
 ratione repellit, tum verò glutinosa & quasi  
 emplastica sua substantia, impletis nempe an-  
 gustis & inconspicuis meatibus, tam carnis,  
 quàm venularum, in causa est cur arceatur &  
 reprimatur fluxio humorum à venis maiori-  
 bus ad minores & peculiare venulas, atque  
 vt prohibeatur inflammatio: vt præterea nunc  
 quòd tamen non est omnino prætereundum,  
 quòd & dolorem sedat, & sanguinem fluen-  
 tem ex vulnere hac ferè eadem ratione sistit.  
 Hæc de oui albo Gal. præfertim 4. de Comp.  
 med. secundũ loc. vbi de oculorũ morbis agit,  
 nos docuit. Præterea & vinũ quòd mediũ sit,  
 vt 2. ad Glauco. ait Gal. inter dulce & astringẽs  
 vt communi quadam ratione omnib. vulneri-  
 bus & vlceribus vtile est: ita agglutinandis i-  
 psis non inutile erit medicamentum: quam-  
 uis nigrum vinum magnis vulneribus magis  
 sit opportunũ. Sed anteq̃ vltius progredia-  
 mur erit aduertendũ, quòd plurima medica-  
 mēta simplicia describem⁹, tũ ex alijs, tum vel  
 maximè ex Gal. q̃ si fuerint rectè ppenſa, & cũ  
 his, quẽ

his, quæ de ipsis descripta reliquit Galenus collata, facile percipere poterimus, id quam maximè verum esse, quod paulo antea dicebamus, non esse exquisitè vnā rationem eorum omnium medicamentorum, quæ ad conglutinanda recentia vulnera medicis possunt in vsum venire, vtpote quoniam ea diuersam rationem habeant collata cum diuersis corporibus, aut cum diuersis vulneribus. Cum enim, vt paulo antea dictum est, vnuerſa conglutinandi ratio primum quidem in modesta desiccatione consistat, deinde verò in leuī aliqua astrictione: abstersio autem potius aduersaria est, vnde & si aliquando aliqua medicamenta simplicia, aut etiam composita, quæ utilia ad hanc concretionem, vel conditum vulnerum censentur ab auctoribus, videbuntur non esse expertia alicuius detergentis facultatis: tamen si recta illa fuerint considerata adeo modica vis illa detergenti erit, & alioquin ab alijs ita superata, vt exiguas admodū vires possit habere. aliæ verò qualitates, quæ à Peripateticis actiuæ dicuntur, per se quidē quatenus ad agglutinationem pertinet, nihil faciunt. vnde inter hæc multa calida sunt, non pauca autem frigida, sed omnia desiccantia & aliquātisper astringētia. Et si res hæc fuerit diligētī examinata, ad maiora vulnera maiori exiccatione erit opus, minori verò ad mi-

nora: item minorem desiccationem requirunt corpora molliora & humidiora: maiorem vero duridiora & solidiora. unde quotiescunque Galeno in libris de facult. simp. medi. sermo est de illis medicamentis, quæ secundum ordinem desiccantium excedunt atque insignis sunt astringentis, non profert ita absolute, conglutinare vulnera: sed addit, quod vel magna vel maxima vulnera conglutinant, aut quod in duris corporibus, de aliquibus vero ait, quod vulnera magna conglutinant, ulcera vero maligna & antiqua curant. Sed illa quæ mediocria vel parua vulnera conglutinando possunt sanare, itemque in corporibus medijs aut etiam teneris, ut ea quæ sunt in secundo ordine vel etiam infra, nullam aliam determinationem addit, sed ait eatenus exsiccare et astringere, ut conglutinare possint vulnera. Addimus vero, vel infra secundum ordinem, quia si recte aduertamus Galen. 6. de facult. simp. med. insinuare videtur quod ea, quæ media, vel teneriora corpora vulnerata possunt conglutinare, non eousque in siccitate progressa sunt, ut ad finem usque secundi ordinis perueniant, sed in medio illo, vel infra etiam consistunt, quod exemplo bituminis, picis & resinæ ostendit: sed insuper & hoc aduertendum est, quod folia, germina, fructusque plantarum dum viridia sunt, semper ferè partem quandam

quandam habeant humidam & aqueam: quæ cum arefcunt, euanescit, & propterea plantarum partes hæ, si vim suapte natura exsicccandi & astringendi habent, maiorem illâ habent, quando aridæ sunt, quâ quando virides: & ideo multa horû glutinare ait cum viridia sunt. Gal. ergo inter ea, quæ mediocria vulnera agglutinare possunt, recen set rubi folia, ite piceæ & thedæ, & polygони, polij, polycneumonis, mala austera, & acida, salicis folia, pira domestica, bretanica, myriophyllô, peristereon, quercus folia viridia, & tenera, ite vlni, & bræficæ, & centaurum maius. præterea verò & cafeus recens tritus, caro cochlearum trita, & sar cocolla. vulneribus accomodata etiâ est Aloe: sed quia in tertio ordine est, dixit Gal. quòd utilis est, cû subigitura qua, vteius facultas deficacatoria & astrictiora, ex aqua tēperetur. quod nobis potest tâquam præceptum esse, quo doceamus, quòd si interdum desint medicamenta, quæ nobis idonea propterea videântur, quia facultates maiores habeât, quàm nobis possit esse ex vfu, si ea parentur ex aliqua alia re, quæ remittere & detrahete de viribus possint, fieri poterunt nostro officio idonea. Maiora verò vlcera, & in sicciõribus corporibus conglutinant narcissi radix, cauda equina, scordium, pira siluestria, & austera, folia, & germina corni, stræbe, isatis, pix arida, bitumen, & resina, &

amurca, quæ omnia, si corpora sicca & dura fuerint, conglutinare possunt, alioquin enim contendunt, vt sexto de Simplicium medicamentorum facultat. dixit Galen. potius & irritant, si mollia & tenera fuerint.

*De compositis medicamentis, quibus commo-  
de uti possumus in conglutinandis  
vulneribus. Cap. IIII.*

**C**ompositorum medicamentorum, eorum inquam, quæ ad præsens institutum attinent, duplex videtur esse ratio, nam quædam seruari solent, vel apud seplasticarios, vel apud medicos, & præsertim in ciuitatib. aut vbi que aut plerisque in locis, & hæc tum propterea, quia medicis propter eximias & multas eorum vires, longa experientia probatas in frequenti vsu sunt: tum verò quia propter operam & diligentiam, quam requirunt dum conficiuntur, neque breui tempore, neque semper, & vbi que parari possunt. vnde parantur idoneis temporibus, & maximæ commoditati solent esse, præsertim in itineribus, in exercitu, in nauibus. peritus enim medicus ope duorum vel trium medicamentorum poterit in diuersissimis affectib. in diuersiss. naturis, & temperaturis corporum cõsulere. Nam si aliquod cõpositũ illi paratũ ad sit quod  
validas

validas vires habeat, quarum robur & acrimonia non multi ferre possunt, ille altero aut infirmiori facultate praedito, aut etiam contraria, immixto, & id secundum variam & diuersam rationem mixturae varia & diuersa facile conficiet medicamenta, quibus poterit accommodate, ut saepe Gal. docuit, uti, in diuersis corporum naturis, & diuersis etiam, tam vulnerum, quam ulcerum differentijs, ut quamuis duo tantum sint medicamenta actu, potestate tamen illi sunt futurae plurima. Ex multiplici ergo usu eorum parata seruantur, & talia plerumque ea sunt, quae in maiori existimatione semper fuere apud plures medicos antiquos & iuniores. aliqua etiam ita parata seruantur, licet non in multiplicem usum veniant, sed in vnum dumtaxat, quia ad illum usum praeter alijs omnibus. fere sunt praestantiora, atque omnia penes talia, quae ita ubique solent parata inueniri, efficacissima solent esse, ut non nisi in difficilioribus affectibus, & durioribus corporibus soleant administrari. Alia vero, non ita seruantur: sed solum cum illis voluerimus uti, parantur, tum quia, neque alioquin integra possent seruari, tum etiam quia & materiae unde conficienda sunt, & modus ratioque compositionis nobis semper in promptu est, ut inter facile parabilia medicamenta possint recenseri. Et quia horum ratio facilior, & magis in promptu est: ideo de his primum verba faciemus, ut

tamen neque omnia exponamus, quæ in hunc ordinem redigi possent. nam nimij in illis enarrandis essemus, cum ferè innumera sint: sed aliquibus expositis, relinquemus occasionem iuuenibus, vt istis vsu tanquam exemplis: ipsi deinde, vbi illis vsu euenerit: aliorum simili modo componendorum rationem inueant. Et cum facilima ferè inuentu sint oua, quorum album tanquam accommodatum huic negotio laudauimus, sed leuissimum illud & admodum imbecillum ad conglutinationem vulnearum diximus, quo tamen frequentissime, & in omnibus ferè adhuc recentibus, & à quibus effluit sanguis, vtimur ad sanguinem sistendum & supprimendum: si uoluerimus ipsum reddere ualentius & efficacius; addemus aliquid, quod siccantius & astringentius sit, et illud erit eligendum pro ratione naturæ uulneris & symptomatum, quæ fortasse licet nõ ad sint, timenda tamen sunt, ne superueniant, aut ratione loci, aut ratione corporis uulnerati. solent uero plerumq; cum noua sunt uulnera, postquam aliquantisper refriguerint, dolere: in primis autem & præcipuè timendum est, ne superueniat inflammatio, vbi uulneratum corpus fuerit magis plenum, siue bonis, siue etiã uiciosis scateat humoribus: vnde si doleat locus, albo oui erit quidpiam addendum, quod præter id, quod faciet ad conglutinationem, aliquam

aliquam etiam vim habeat mitigandi dolorem: unde torum ouum accipiemus: nempe tam luteum, quam album. nam si Gal. credimus, licet magis album conglutinet, neque luteum tamen ab hac facultate alienum erit.

Addemus autem præterea & aliquid rosacei olei, & si magis videatur yrgerè indicatio à dolore, addemus id, quod completum est: sin autem maior videatur indicatio conglutinationis, & arcendæ inflammationis, præterea & reprimendæ profusionis sanguinis, iniiciemus aliquam partem olei rosacei omphacini dicti, quod ex oleo expresso ex immaturis oliuis fit, & ex rosis nondum maturis, & expansis. maiorem enim vim habet illud refrigerandi, exsiccandi astringendiq;. Oleum verò albo oui additum, medicamento præterea & aliam impartitur commoditatem, quia dum puluilli stuppei albo oui intincti apponuntur, & ibi donec desiccantur manent; sicut illis manendum est nam ex præcepto antiquorum non sunt remouendi primo, imo neque altero die. cum deinde remouendi sunt, ita tenaciter vulnere & circumstantibus partibus agglutinati sunt, vt ne queant, nisi vi, diuelli: ac ita, aut dolor concitatur, aut interdum labra vulneris, quæ iam conglutinari cœperant, diuelluntur, disseparanturque. Sed illis addito aliquanto oleo rosaceo, quodcunque illud sit, aut mastichino, aut etiã



tantillo myrtino, præter additam astringenti-  
 & desiccationem, fit etiam, vt facilius & mino-  
 ri molestia abstrahi à vulnere possint: possu-  
 mus etiam posteaquam exagitatam aliquo co-  
 chleari: aut alio instrumêto albumê oui adeo  
 fuerit, vt in tenuem liquorem verratur, iniije-  
 re, aut aliquid mastiches. sicut exempli causa;  
 si sit octuplum albumen ad mastichen, aut pl<sup>9</sup>  
 etiam, vel si & mænna thuris tantundê, iunio-  
 res cortices thuris vocant. Sed & Aloe trita, &  
 ex hoc liquore subacta, sicut aqua subigi vole-  
 bat Gal. non erit incongruum medicamentû,  
 & quò maior erit proportio albi oui ad Aloem  
 ita erit mollioribus corporibus, & minori-  
 bus vulneribus conglutinandis aptius: quò  
 verò maior copia Aloes addita fuerit albumi-  
 ni, eò valentius erit medicamentum & diffi-  
 cilioribus conglutinatu vulneribus accom-  
 modatius. Et eadem ratione possunt fieri  
 variæ mixturæ suprascriptorum simplicium,  
 & in diuersis ordinibus, prout illa magis e-  
 runt medico in promptu, quas si vellemus  
 singulatim exponere, nunquam finem esset  
 hæc tractatio habitura: vnde hic consistemus,  
 præsertim in explanandis medicamentis illis,  
 quæ in communi vsu sunt & parata reperiun-  
 tur, hoc ipsum quod nunc declarabamus fiet  
 apertius. Sed quia eorum compositionis di-  
 plex est modus: alia enim conficiuntur ex sim-  
 plicibus

plicibus quæ teri & in puluerem redigi possunt, nullo addito quo possint assumi & in vnam formam, aut emplastri, aut cerati, aut linimenti alicuius coire, sed ita puluerulenta seruantur, & ab antiquis arida medicamenta nuncupabâtur, vt quisq; exlectione Gal. imprimis, mox verò Aetij, & Pauli percipere potest. à iunioribus & Arabibus pulueres dicuntur, quarum differens vis postea significabatur, additis facultatibus, vel pollicitationibus, quas eiusmodi medicamenta pollicerentur: Vnde hos pulueres constrictiuos, vtpote quia ad stringendum & sistendum fluentem sanguinem valeant, alios verò incarnatiuos, sic enim ipsi eos appellant, quos commodos esse putant ad conglutinanda, vel vt ipsi loquuntur, ad incarnanda recentia vulnera. Alia verò ad cōpagem cerati vel emplastri, seu vt vulgo dicere solêt, vnguenti tandem deducuntur, additis aut oleo, aut resina, aut cera, vel alio glutinoso medicamento, quo cætera assumpta possint venire ad compagem cerati vel emplastri, vel vnguenti. Nō est aut eadem ratio duplicis istius formæ confectionis horū medicamentorum, quatenus ad vsum & modū administrationis pertinet. Nā præter eas facultates, quæ particulatim ex examinatione, & mutua collatione eorum simplicium, ex quib. cōponūtur, cognoscendæ sunt,

de qua re paulo pòst loquemur, differunt etiam alia quadam generaliori ratione, quia arida ex illis solis sunt conficienda, quæ in puluerem trita redigi possunt, vt sunt mineralia omnia. Ex ordine verò eorum simplicium, quæ superius fuere relata, sunt Aloe, bitumen, pix arida, thus, mastiche, & lapides quidam terræ, quorum fit mentio à Galen. in nono de Facultatibus simpl. medic. In emplastris verò ceratisq; & linimentis possunt & glutinosa accipi & pingua, & arida, & quæcunq; alia quatenus tamen ad substantiæ modum pertinet. Differunt præterea ratione Impressionis & roboris: nam si ad modum compositionis, & id quod in formam medicamenti referri potest respexerimus, efficacius agere possunt emplastra, vel cerata & linimeta, quàm arida medicameta: quia hæc cum neq; sint aspergenda, antequam sit confutum vulnus, neq; intra labra vulneris, nam vt omnes testantur, impedit conglutinationem, quæ quid intercipitur inter ea, & ad profundiores partes pertingere nequeunt, cum magis terrea substantia consent, quæ non potest ita ad illa penetrare, vt 3. meth. docuit Galenus sine ope alicuius humoris, vel liquoris, qui illam ducat, cui sententiæ & Auicenna subscripsit: vnde etiam ambo pronunciauere concordem, quod arida medicamenta, & si commodè se habeant ad conglutinanda minora vulnera, quæ

quæ in altum non sint adacta, maioribus tamen agglutinandis inepta sunt. Sed & hoc subsilentio non est prætereundum : imò quâ maximè animaduertendum, quod non parum facit ad rationem compositionis, & subinde etiam vsus: nempe quod in his medicamentis parandis, quæ venturæ sunt in vsum curandis maioribus & profundioribus vulneribus & vlceribus, quæ sinus non habent in quos indendum sit medicamentum, hæc imprimis procuranda : primum, vt ea quæ in puluerem conteruntur, præsertim si terrea consistant substantia, quanto magis potest, fiant tenuis substantiæ & tenuiorum partium. Id verò bifariam fieri potest, nimirum si diligentissimè trita & leuigata fuerint : item si contritio & leuigatio fiat ex aliquo humore, qui partium tenuitatem illis impartiri possit, vt est acerum, & illud quò acrius erit, ita erit in causa maioris tenuitatis. item & vinum præsertim tenue, interdum & aqua. Sed si leuigatio æstate sub sole fiat, illud est præstantius. nonnulli multa horum adurunt, vt lapides & metalla, quæ tenuitatem sanè maiorem sibi comparant: sed ab igne præterea & acrimoniam adipiscuntur, verùm deinde illam, si probè lauentur, faciliè deponūt. Quod in nono de simp. med. fac. & in libris de compo. med. secundum genera, & in libris meth.

sæpe docuit Galen. & exemplo nobis caſſe eſſe poteſt. Deinde verò hac eadem de cã. nempe vt facilius in profundiores partes penetrare eiufmodi medicamẽta poſſint, medici hoc excogitarunt, vt in illis medicamentis in horum vulnerum uſum paratis aliqua inderentur, quæ aliquantulam maiorem aſtrictionem haberent, non ea ſanẽ ratione, quia ſit opus maiori aſtrictione ad conglutinationem per ſe, ſed ob aliam utilitatem, quæ inde quaſi per accidens conſequitur, cuiusque meminit Galenus in lib. de comp. medic. per genera, & de ſimplicium medic. facult. ea verò eſt, quòd viſ aſtringens coniuncta cum illis, quæ partium tenuitate conſtant, facilem tranſitum præſtant: illa enim ſequens quaſi à tergo, ſimilis eſt impellenti & compellenti ea ad interiora prorumpere, hoc autem re ipſa oſtendemus particularim: cùm emplaſta vel vnguẽta deſcribemus. Primùm enim de aridis medicamẽtis agemus, quæ inſperſibilia vel inſpergibilia appellabant priſci medici: iuniores verò pulueres. In principe autem loco de eo verba aliqua faciemus, cuius Gal. meminit, cùm alibi, tum vero 5. meth. c. 4. quamuis non tanq̃ medicamẽti, quòd fuerit conſectum propter conglutinãda vulnera, ſed potius propter ſiſtendum & intercipiendum immodicum profluuium ſanguinis è vulnere manantis præſertim. Ratio tamen

ramen & experientia illi attestantur, quod & vulnera conglutinare possit cum ex leporinis pilis, & oui albo apponitur vulnere, cum componatur ex aloe & thure tritis. Et inter fortia medicamenta maiorum vulnerum conglutinatoria connumerata est aloe, & multam eius mentionem fieri videbimus in descriptionibus emplastrorū, huic vsui appositorum: nisi quis fortasse dicat, nunc sermo est de aridis medicamentis, quorum ferè inutilem esse vsu in profundis vulneribus dixit Gal. Dicimus quod vis aloes lenitur & remittitur mistura thuris, quod & si aliquantulum astrictionem habeat, eam tamen pusillam admodū habet, & maiorem longè vim habet mollientem digerentemq; & præterea concoquentem: sed longè etiam magis lenietur si ex pilis leporis & oui candido fuerit administratum. Sed inferius, vbi de medicamentis, quibus restringendus est sanguis, erit agendum, exactius de eo agemus. Ad alia transeamus in præsentia. Puluis autem, cuius ab omnibus ferè iunioribus medicis vulnerarijs fit mētio, imò & à prioribus etiam nempe Arabibus, ad conglutinanda recentia vulnera, & puluis ruber qui incarnas vulnera ab illis nuncupatur accipit thuris drachmas duas, sanguinis draconis drachmā. Albucaasis his, & viuæ calcis tres addidit drachmas, quod cur fecerit mihi nō satis constat, cū

## 44 DE COMP. MEDIC.

illa non modò mordeat, verùm vrat & cru-  
 stas generet. Vnde mihi magis probâtur illi,  
 qui vel armenicę boli, vel fantalorum tantum  
 dem addidere, nam omnia hæc deficcant qui-  
 dem, non tamẽ supra id, quod videtur deside-  
 derare agglutinandum vulnus, & omnia eti-  
 am sunt alicuius astrictionis non expertia, i-  
 mò & eorum aliqua vt thus, aliquid empla-  
 stici habent, & fortasse etiã sanguis draco-  
 nis. thus verò præterea aliquid concoctorij,  
 quod vtile potest esse ad dolores, si qui sint,  
 mitigandos leniendosque. Sed hæc omnia e-  
 tiam vtilia esse possunt ad reprimendas, aut e-  
 tiam arcendas inflammationes, eam præte-  
 rea facultatem habet, vt possit sanguinem ex  
 vulnere fluentem sistere. in hoc tamen effica-  
 cior fortasse est prior puluis, quem ex senten-  
 tia Galen. paulo ante descripsimus: sicuti for-  
 tasse nec minorem vim habet agglutinandi,  
 præsertim ex aloe copiosa quam accipit. Sed  
 de hac altera agamus, cum adduntur aut bo-  
 lus armena, aut fantali, additur etiam maior,  
 tum astrictio tum exiccatio. Vnde & robur  
 additur, siue conglutinare, siue sanguinem  
 fluentem reprimere velimus. Sed quomodo-  
 cunq; sit, fortasse in minoribus vulneribus &  
 corporibus non admodum duris, hæc facit a-  
 liquid: in durioribus autem, ni fallor, prior  
 Galen. efficacior erit. Quidam ex recentio-  
 ribus

ribus & tertium ad hæc eadem laudauere plurimum, qui ex longe pluribus conficitur. Accipit enim boli armenæ terræ lemniz, vel sigillatę, singulorum drachmas sex, thuris, mastiches, sarcocolle, singulorum drachmas duas & semissem. myrrhę, aloes, singulorum sex quidrach. tragachãtę, sanguinis draconis singulorũ drachmã, farine hordei, fabarũ singulorũ drachmã, ex omnib. optimè tritis fiat tenuissimus puluis. Hic minus frigidus est. Nã thus, myrrha, mastiche & aloe calida aliquantisper sunt, sed maiorem etiam vim, tum siccandi, tum astringendi habent. Nam præter tragacantham & farinas astringunt omnia. desiccant verò omnia, & aliqua satis insigniter, vt Bolus armena, terra lemnia, myrrha, aloe. nonnulla etiam prædita sunt facultate concoctoria, quæ mitigare dolores possunt, & emplasticam quandam substantiam habent, vt thus, mastiche, sarcocolla, tragacãtha. myrrha verò aliqui vt concoctorio vtũtur medicamento, sed & aloe aliquid habet emplastici. quia verò amaritudo in partibus tenuis substantiæ consistit, cuius aloes, & myrrha sunt participes, ideo alijs intritæ & immixtæ, possunt adiuuare ad penetrationem, & ductum facultatis aliorum ad profundiores partes. Vnde puluis sic poterit maiora quam prior vlcera conglutinare, & in durioribus & sicciori



ribus et concoquere, si quid habeat concoctio-  
 ne opus, & magis mollire, & sanguinem siste-  
 re. Adhæc nonnulli & istius meminere, cuius  
 compositio hæc est. accipit mirrhæ drach-  
 mas tres, aloes quatuor, thuris duas. calidus  
 verò pulvis est, prioribus magis calefaciens,  
 desiccans & astringens: si quis voluerit sim-  
 plicia bene extimare, vnde commodum for-  
 tasse erit medicamentum, non in itijs, dum re-  
 primendum est sanguinis profluuium, neq;  
 dum adhuc timemus futuram inflammatio-  
 nem: sed potius vbi confirmanda & stabili-  
 or reddenda erit conglutinatio, vel cum ea  
 videtur contumax. Conficiunt alij varia di-  
 uersaque medicamenta arida ad hunc eun-  
 dem scopum parata, tum ex herbis aridis,  
 tum verò ex alijs. Nam quidam & lapidem  
 corallium: alios vidi margaritis vti: alios adde-  
 re electrum vel succinum: alios aliud. sed co-  
 gnita natura simplicium, & ea collata cum  
 proposito scopo, & cum natura etiam corpo-  
 ris male affecti, confici plura medicamenta a-  
 pra & vtilia postea poterunt: & de his satis  
 longum habuimus sermonem, quare non e-  
 rit ab re, si hic cōsistamus, & ad aliam me-  
 dicamentorum formam conuer-  
 tamus orationem.

*De ceratis vel emplastris, vel unguentis vulgò dictis, quibus tum antiqui tum iuniores vsi sunt in conglutinandis vulneribus, & de ratione vsus eorum quæ hæctenus fuerunt exposita. Caput V.*

**M**edicamentis, quibus agglutinanda essent recentia vulnera varijs vtebantur antiqui, varijs etiam vtuntur iuniores. Quamuis antiqui visi sunt in hac re diligentiores fuisse in his distinctionibus & limitationibus : iuniores verò pinguiori aliquid per minerua sua exposuisse. diuersitatis autem in medicamentis conficiendis & eligendis rationem vniuersam, tum ab ipso affectu, tum verò à corpore affecto, vt paulo etiam ante exposuimus, petendam censuerunt quatenus, inquam, maiora valentioribus, minora imbecillioribus medicamentis erant curanda. Item robustiora siccioraq; & densiora corpora fortiora & acriora requirunt & ferunt medicamenta: leuiora vero & leniora, tenera, quæ vel ob naturalem temperiẽ vel ob ætatẽ, vel ob sexum, vel ob artẽ, & vitæ instituta talia sunt. Vnde Gal. semper vbi de hoc negotio est institutus sermo, diuersam præscribit emplastrorũ materiã. Vnde medicamenta prioribus corporib. vel vulnerib. accommodata & apta conficienda sunt: diuersã itẽ eorum, q̃

vlceribus. Paruis enim quæ admodum non  
 sint profunda, itemq; mollioribus, maximè  
 ait accommodata esse, quæ ex lithargyro, vel ex  
 spuma argenti cocta & ex oleo, h. e. aceto, & o-  
 leo paratur. De horum aut compositionis &  
 vsus ratione primo libro de comp. med. per  
 genera cap. 5. abunde differuit, & alijs subin-  
 de de quibus & nos propter iuuentis hinc non  
 nulla maioris distinctionis gratia dicemus. Ita-  
 que antiqui medici emplastra ex lithargyro  
 tripliciter parato conficere soliti sunt, quæ, vt  
 differentem habent modum & rationem ap-  
 paratus & cocturæ, ita & differentes vires con-  
 sequuntur. Primùm enim coquunt lithargy-  
 rum ex hydreleo, hoc est ex aqua & oleo pari  
 inter se pondere: nempe tam aqua et oleo, quàm  
 etiam lithargyro. Verùm hoc monet nos Ga-  
 lenus quòd quotiescun que id genus medica-  
 menta ex cocto lithargyro conficiuntur, quàm  
 magis coctus erit lithargyrus eò maiorem de-  
 siccandi, & meliorem formam compagémq;  
 habebit, glutinosius siquidem emplastrum  
 erit & magis tenax. Nam eo peruenit, nempe  
 vt glutinosior & tenacior euadat, si optimè fu-  
 sus liquefcat, quod illi per probam cocturam  
 accidit, & quo ex maiori liquoris copia coqui-  
 tur, eò etiam magis & melius funditur: con-  
 tra verò, nisi exquisitè fundatur liquefcatq;  
 ferè friabile & tenacitatis expers fit empla-  
 strum

strum. nequit autem in modico liquore exacte coqui fundique. Vnde ait Galenus, Si duplicum lithargyri sit utroque humore, aqua nimirum & oleo, adeo tenax & glutinosum erit medicamentum, sicut si ex resina vel cera esset confectum. quatenus vero ad vires eius pertinet, vim repulsoriam resiccatoriamque; quavis non insignem, habebit: & id non quidem, quod si cutiterum superius declarauimus, astringentis sit facultatis per se aut exiccat: sed potius ratione qua vim refrigerantem consecutum est ratione aquæ, cui neque oleum, si recens sit, resistit, frigus ergo cutem & subiectam carnem contrahit & cogit. Quod eo argumento ostendit, quia rugosam facit particulam spongia, cum frigida aqua madida illi apponitur & comprimendo vel contrahendo substantiam partis non modo repellit quod insluit, verum & exprimens, si quid in ea humoris continetur, ad alias vicinas expellit, quo deinde fit, ut per accidens siccior euadat particula. Quomodo cunque autem desicceat locus vulneratus, siue id primarie fiat, siue ex accidenti sequatur, communitatem omnino vulneribus affert. Leuissimum autem est hoc medicamentum, & solis tenellis pueris & mulierculis, & id genus alijs sanandis aptum, & vlceribus vulneribusque curandis, quæ parum ultra cutem peruenere. Altera vero confectio emplastri ex ea-

dem argenti spuma fit, cum coquitur donec li-  
 queat ex oxelæo, hoc est, oleo cum aceto co-  
 mixto. & quantum ad rationem confectionis  
 pertinet, non ita facile spuma argenti fundi-  
 tur, & citò cocta ex hydrelæo, sicut ex oxelæo,  
 quamvis & ex hydrelæo etiam tandem funda-  
 tur: præsertim si inter initia antequam ad ig-  
 nem coqui incipiat tria illa, oleû, aqua, & spu-  
 ma argenti simul in mortario probe commi-  
 sceantur, & quantum ad hoc attinet, non ef-  
 fet opus ad eliquationem lithargyri ita copi-  
 oso liquore: quia tamen, quo ex eo copiosiori  
 coquitur, redditur fortius & magis siccans,  
 proinde si duplum sit vtriusque pondus ac-  
 ti fane & olei ad spumam argenti, erit medi-  
 camentum mediocriter exiccans. Quod si  
 plus etiam quàm duplum vtriusque pondus  
 accipiat, ut si ex binis libris & semisse vtri-  
 usque libra coquatur lithargyri, erit adhuc for-  
 tius & siccantius medicamentum, & fortius  
 adhuc erit, si oleum fuerit vetus. Vnde ex pri-  
 ori symmetria compositum medicamentum  
 satis congruens erit conglutinandis recen-  
 tibus vulneribus mediocribus: præsertim ve-  
 ro in corporibus non valde duris. nam alio-  
 quin alter, & tertius confectionis modus eò  
 progressus est, ut possit & difficilia vlcera fi-  
 stulosaq; curare & sinus tam magnos, quàm  
 paruos, cum insignem vim exiccandi & citra  
 morium

morsum habeat. Tertia autem confectio eodem modo fit, sed ex œnelæo, hoc est, ex vino & oleo; sed vino optimo & antiquo, & interdum ex eo quod sit particeps adstringentis facultatis, & quia tunc euadit, vt ibidem tradidit Galenus simile medicamentum illi, quod palmeum, vel diapalma, vel ex chalcite appellauit Galen. de quo postea sumus sermonem suo loco habituri, ideo de hoc in præsentia nõ faciamus plura verba. Sed ad sermonẽ de Barbaris appellatis medicamentis transibimus, quæ præ alijs vim agglutinandi vulnera & vlcera habere antiqui medici, & cum eis Galen. credidere, & è multis duo tamen in examen deducemus: quibus in primis Galen. se vti folium testatur in fine libri 2. de cõp. med. pergen. quorum alterum simpliciolem habet cõponendi rationem. Vnde & commodum minoribus vulnerib. esse ait: alterum multipliciorem, quantum ad materiã eorum ex quibus conficitur, componendi rationẽ habet, quod & maiorib. vulneribus conglutinãdis aptius est. Nam quamuis ibi & plura alia referantur Barbara à varijs auctori bus composita: nobis tamen satis erit istorum examen. quod si cum alijs fuerit collatum, erit etiam illorum explanatio. Primum verò de maiore agemus, vt pote quod multis in locis in vsum chirurgis venire cõperit. Componitur autem in hunc mo-

## 52 DE COMP. MEDIC.

dum. Accipiunt picis libras quatuor, ceræ lb. tres & vncias quatuor, picæ libras duas & vncias decem, bituminis libras duas, olei vncias nouem, lithargyri, cerusæ, æruginis, singulorum sesquiūciam, thuris vncias 3. aluminis liquidi drachmas sex, aluminis fissilis vncias duas, opopanacis, squamæ æris, chalbani singulorum drachmas sex, aloes, opis, myrrhæ, singulorum drachmas 2. terebinthinæ librâ, succi mandragoræ drachmas 3. aceti libras duas & semissem. Hoc est ergo Barbarum Gal. emplastrum, in quo conficiendo ille non vnâ & simplicem scopum habuit, sed plures, quos primùm exponemus. Nam ex illis facilis esse poterit eorum omnium expositio, quæ ad istius medicamenti compositionem sunt assumpta. Cum ergo ad hoc præcipue id genus medicamenta sint composita, vt opportuna sint ad conglutinanda recentia vulnera, vel etiâ magna, quâuis deinde ratione multiplicis rerum mixturæ euadant etiam vtilia ad multa officia. Primùm ea referenda sunt ad primos & generales scopos in conglutinandis vulnerib. spectandos, nempe vt modestè desiccent, & aliquantisper etiam atringant, neque tamen vim detergendi habeant, quatenus saltem pertinet ad conglutinandi munus. Veruntamen istis, & hoc addendum, quod quæ maiora vlcera conglutinatura sunt, magis siccantia

cantia esse oportet & magis etiam astringentia: cum rationi sit consentaneum, maiorem humiditatis copiam, & gigni & influere ad maiora vulnera quam ad minora, unde & vulneratae partes laxiores etiam redduntur. Sed et plerumque maiora minoribus periculo superuenturae inflammationis magis exposita sunt, quae per astringentia repellitur, obnoxia etiam magis sunt doloribus, quibus insuper prospiciendum est, sed raro etiam, ut superius monuimus, in magnis & profundis vulneribus, ita aptari labra possunt, ut penitus usque ad profundum committantur & uniantur: imò semper in aliqua parte deducta sunt, & locus cauus & inanis manet, qui alioquin nequit ad unionem peruenire, nisi caro noua gignatur repletura spacium illud: quo fit, ut in his sit opus aliqua carnis generatione, ad quam generandam utilis est & aliqua absterfio. Sed in his praeterea ferè fieri nequit, quia aliqua humiditas confluerit, quae aliqua concoctione egeat: & cum iam profundum sit vulnus, & necesse sit, ut usque in profundum exiccetur superuacua humiditas: quare opus etiam est illis medicamentis, quae tum tenuitate partium, tum aliqua item caliditate possint humorem è profundo attrahere exiccareque. Hi ergo sunt scopi omnes, quibus regenda & administranda est vniuersa istius compositionis ratio. Sed parti



culatim omnia extimemus. Imprimis nihil præter oleum & ceram hic accipitur, quod nõ exiccet, neq; enim fit olei veteris mentio. & si mutuò omnia conferantur ad secundũ ordinem deficcãtium, vel paulò vltra accedet medicamentum. Nam ærugo æris squama fortasse vltra tertium ordinem ascendit, sicut & alumen & aloë ad tertium saltẽ. Pix verò, picea resina & chalbanum, & opopanax bitumen & myrrha ad secundum ferè ordinem pertinent: & terebinthina ferè his est similis, quibus omnibus acetum, dum eò a lia liquefcunt vel coquantur, vel in leuorem teruntur, maiorem exiccandi vim addit, quare vniuersa istius medicamenti temperies erit ferè inter secundum & tertium ordinem. In caliditate etiam ad secundam. Nam licet opopanax, chalbanum, bitumen ad tertium ordinem in calore referantur, ærugo verò & squama præfertim crudæ & non lotæ parùm à quarto absint, pix verò, resina picea, thus & myrrha, terebinthinaque circa secundum, & alumen parum vltra, tamen spuma argenti, quæ in aliquod potius frigus vergit: aloës aut in primo est, aut paululum ab eo recedit, cerusa etiam, quæ frigida circa secundum est, opium verò & mandragoræ succus, quæ in quarto ordine refrigerantium sunt, quib. & acetum addendũ, quod & ipsum refrigerat, quod & adiuvat oleum.

oleum, quod cum nondum inueterascit, aut temperatum medicamentum, aut modicè calidum est, vt & ipsum faciat ad remittendū & temperandum calorem eorum, quæ insigniter calida sunt: vnde omnib. rectè perpenſis cēserem esse quidem referendum in secundum ordinem eorum quæ calefaciunt, versus tamē finem eius prope tertium. Astrictionem habent modicam quidem thus & terebinthina & bitumen, maiorem aloë & cerusa: longe vero maiorem alumen scissile et rotundum, quæ sicum alijs conterantur, facile poterimus iudicare adesse quidem astrictionem, sed solum quanta sit satis conglutinandis vuneribus & repellendis vnā cum aceto humoribus si qui esset ad fluxionem parati. vim verò è profundo attrahendi habent pix, bitumen, terebinthina, chalbanum, opoponax, quæ & ipsa in profundam penetrare ob partium tenuitate, & vim aliorū eò perducere possunt, nec minore vim ad profundiores partes se intromittendi habet ærugo, nec ea squama caret: quæ maiore habeat ærugo, hæc omnia verò acētū inrifice adiuuat. At deterſoria facultate satis modesta habet terebinthina, myrrha, pix, aloëque: insignē verò ærugo & squama, quæ ramentū ab alijs mollientib. præsertim verò ab oleo et cera, aliquantum verò a thure & a lithargyro, præterea verò & ab astringētibus reprimitur.

adeo mitefcit vt nequeat impedire vulnery  
 conglutinationem. Multa verò funt quæ vim  
 etiam concoctoriam habent, vt thus, terebin  
 thina, pix, chalbane, opopanax, bitumen. Vn  
 de & hac ratione, vt sæpe docuit nos Gale. in  
 libris de compof. med. per gen. idonea funt fe  
 candis doloribus, quæ propria & vera ratio  
 eft, qua dolores fedari folent. Quia tamen in  
 terdum illi adeo vrgent, vt fit neceffe ad ea  
 minus admouere, quæ ftuporem particulis  
 afferunt, proinde ne ex hac parte etiam def  
 fet laboranti, addidit opij drachmas duas, &  
 mandragorę succi drachmas tres, quæ tamen,  
 fi cum alijs rectè conferantur, adeo pauci mo  
 menti funt, & ita aliorum mixtura correctæ,  
 vt neque poffint noxam aliquam afferre, fed  
 potius prodeffe: quamuis autem præfertim  
 tanquam conglutinans laudetur, non folùm  
 tamen huic rei commodum eft, fed poteft &  
 vtile effe carni in vlceribus generandæ, & ci  
 catrici etiam interdum inducendæ, nam pro  
 diuerfa ratione, tum corporis, tum etiam vul  
 nerum vel vlcerum, diuerfa poffunt huiusmo  
 di compofita medicamenta moliri. Sed ad ali  
 ud Barbarum minus & fimplicius in præfen  
 tia tranfeamus, quod minoribus vulnerib. ef  
 fe magis accõmodatum dixit Gale. illudq; in  
 hunc modũ defcriptum reliquit. Picis, cere, re  
 finę piceæ, refinę frictæ, bituminis, fingulorũ  
 autem

autem horum libram recipe, spumæ argenti drachmas decem, cerusæ, æruginis, singulorū drachmas quinque, oppopanacis drachmas tres, olei, æstate vncias sex: hyeme verò vncias nouem: sicca in mortario acri aceto leuiganda sunt, reliqua verò his affundenda. In hac confectione cum desint thus, myrrha, chalbanū, & terebinthina, minor erit vis digerens, & co-coquens, quàm in superiori: minor etiam vis ex profundo attrahendi. quamuis enim resina frieta aliquantum & ipsa attractoriam vim habeat, vincitur tamen à terebinthina: minor etiam est in hoc emplastro vis alstringens, utpote in quo desideretur aloë, & vtrunque alumē, nec tanta est etiam in eo detersoria facultas, quia non accipit, neq; terebinthinam, neque myrrham, neque aloen: præsertim verò cum squamam non admittat. Quatenus verò ad vim desiccandi pertinet, eam etiam minorem habet, sicut & minoris astrictionis est participes, crederem verò aliquantum etiam minus (quamuis neque multa in illis sit differentia) calefacere, quàm prior compositio. Vnde merito Galenus priorem Barbari confectionem accommodatam esse dixit maioribus vulneribus, hanc verò posteriorem, minoribus: utpote, quæ sit minus potens. Quare his nostris temporibus introducta est in vsum à multis medicis prior & maior: non autem altera. nam

priori facile est de viribus detrahere, addita cera & oleo, ut sæpe Galenus docuit, vel illam commiscendo cum alio medicamento debilitati, ut esset id quod Basilicon appellant. Iuniores verò & ipsi quibusdam medicamentis ad agglutinanda recentia vulnera consuevere vti, & non ineptè, conficiunt autem ex illis aridis medicamentis, quæ in principe ipsius capitis parte fuere examinata. Assumunt enim eos pulveres, vel ex liquore tenuiori albuminis oui secundum eam compagem & formam emplastri, quæ commodè possit, aut stupeis puluillis accipi, aut paniculis: interdum verò ex cerato confectio ex oleo præsertim rosaceo, vel communi, vel eo quod completum vulgo appellant, prout præsens occasio indicare videatur esse opus maiori concoctione, ut quando dolor esset mitigandus, aut maiori refrigeratione & astrictione repulsioneq; ut quando instantem inflammationem timeremus. Quandoq; verò pulveres ex terebinthina excipiunt, & unguentum, ut ipsi dicunt, conficere solent, & sæpe terebinthina lota utuntur. quæ enim lauatur, minus mordet, & minus calefacit, & maiorem vim concoctoriam habet, atque magis item digerit, & siccantius fit medicamentum, quando pulveres ex terebinthina assumuntur. In præsentia tamen parum referre putarem, si quando terebinthinae fit mentio: vera acci-

re accipiatur terebinthina, quæ terebinthi resina est: vel laricea, quæ & ipsa vulgo terebinthina dicitur: quia duæ hæc resinæ adeo facultatibus proximæ sunt, vt altera pro altera in his medicamentis sumi possit. Et quatenus ad rationem compositionis, & præsentis institutioni pertinet, hæc mihi videntur posse esse satis. Reliquum autem est, vt aliqua etiam exponamus, breuiter tamen, quæ ad rectam vsus rationem attinent. Quia verò primum quod sequitur ipsum vulnus, est sanguinis effusio, quæ nisi prius intercipiatur, frustra erit quicquid aliorum tentare. Vnde primū ratio habenda fuerit sanguinis, atq; in hunc modū res tractanda nimirum ante alia omnia respiciendum est ipsum vulnus, & considerandum, num insignis sit alicuius magnitudinis, an potius parum sit, cum ab eo sanguis in multa copia minimè effundi possit, nisi fortè contingat, recisam esse maiorem venam, vel arteriam, ex illis præsertim, quæ vsque ad extimas & subcutaneas partes deferri solent, quod tamen rarò admodum contingere solet, parua etiam negotio supprimitur. De sanguinis autem immodico profuuius ex incisa vena vel arteria, opportuniori loco agemus. Sin autē insigne fuerit vulnus primum considerandum erit, copiosus ne sanguis effluerit, vel secus: quia si copiosus effluxisse videatur, procurandum, vt quanto citius

tius potest supprimatur, ne vires ex nimio eius fluore fatiscant. Quod si videatur non fuisse factum pro ratione vulneris multum profuuium, non statim conandum est, ut intercipiatur fluxus: nam ut ex tertio meth. docuit Galenus ex sententia Hippocratis quamplurimam utilitatem affert vulneratis corporibus, cum moderata copia sanguinis effluere permittitur: quia præter id quod sæpe supplet vicem missionis sanguinis ex secta vena, quæ ferè necessaria est in maioribus vulneribus, ad reprimendas fluxiones humorum ad vulneratum locum, & arcendas inflammationes, præsertim si reuulsoria fuerit euacuatio: maximo enim præsidio est ad euitandos dolores, fluxiones, & subinde inflammationes. Cum enim sponte naturæ confluant humores ad locum affectum ex vniuerso ferè corpore in magis vulneribus; si reprimatur per modica instrumenta sanguis statim ab accepto vulnere, ita ut nequeat effluere, retentus, dum continenter eò confluat, non modò qui in vicinis sed & qui in remotioribus etiam partibus continetur, ibi infarctus distendens partes circum vicinas, dolorem excitat, & in tumorem illas attollit, & tandem in inflammationem. Quod si copiosus sanguis per vulnus effusus inaniatur, illa euacuatio redundat tandem in vniuersum corpus; vnde sicut præcipua causa

cur fa-

eur facillè humores in aliquem locum confluant, est, aut copia, aut vitium humoris, ita corporis euacuatio præcipua causa est, cur nõ concitètur fluxiones in affecto corpore. Cum verò iam statutum fuerit sanguinem esse supprimendum, tunc considerandum est, an vulnus ex eo genere sit, quod mereatur, vt per agglutinationem curetur, vel no. Quia si tale sit primum oportet labra vel latera adducere, & simul committere, vel vinculis & ligaturis vel futura, & antequam id fiat, aduertendum, an in grumos concretus sanguis in vulnere contentus sit. nam ipsam detergere oporteret, quia grumi sanguinis omnem conglutinationem impediunt, & tandè putrescentes in pus vertuntur: detergere autem solebant antiqui concretum sanguinem spongia madefacta vino præsertim nigro & astringente, postea fuerit dum est vulnus, nam ita ferè necesse est, cum vulnus aliquantisper profundum est, si labra sint aptè committendæ: præter id quod commodius deinde post futuram medicamenta, quæ inter initia adhibenda sunt, accommodari possunt, quàm si fascia & puluillis triangularibus deligetur vulnus. Fascia autem à duobus principijs circumducta vulnus deligandum est, quæ tunc præcipuè potest commode aptari, quando vulnus secundum membri longitudinem fuerit inflictum. alioquin e-



nim. vt Gal. i. lib. Com. 6. de his quæ in medi-  
 ca officina monuit, si pertransuersum adactû  
 fuerit, potius futura erit accommodata, præter  
 quàm si esset opus capita musculorum vel tē-  
 dines apprehendere, quia partes hæ omnino  
 in affuendo vitandæ sunt. Verùm neque hoc  
 præmittendum in præsentia videtur, quod  
 summe necessarium videtur: nempe quod an-  
 te administrationem medicamentorum, quæ  
 congruentia vulneri sunt, postquam vel per  
 futuram, vel deligaturâ commissa vulneris la-  
 bra, si ob eius profunditatem remanet aliquis  
 in fundo sinus, vel cavititas, cum interdum ne-  
 queat fieri exacta commissio vsq; ad profun-  
 das vulneris partes, tunc magis siccantibus,  
 & ex profundo trahentibus medicamentis  
 erit opus, vt ichor, vel pus, quæ necesse est i-  
 bi congeri, exsiccentur: & præterea si ea videat-  
 ur horum copia futura, vt per medicamenta  
 desiccari & absorberi quantum res ipsa osten-  
 deret omnino nequiret, procurandum est, vt  
 facilem exitum habeat, nempe in ea parte, quæ  
 ad exitum commodior futura est, loco reli-  
 cto aperto: & qui deinde impositis linamen-  
 tis, vel vt iuniores loqui solent, tentis aliquo  
 apto medicamêto delibutis, apertus etiam ser-  
 uetur ita, vt sæpe si sinus relinquatur amplus,  
 sit necesse hac eadem de causa per incisionem  
 moliri in inferiori eius parte foramê ad facile  
 exitum

### LIBER III.

exitum puris : & id quando particula vulne-  
 rata eo modo, & in eo situ collocari neq̄t, quo  
 facile possit pus effluere. Inter initia tamen  
 dum vulnus nondum pus, vel humorem co-  
 piosum gignit, quæ, fortem habeant indicatio-  
 nem: fortem enim indicationem habent hæc,  
 cum copiosa retineantur, quia vulneratas par-  
 tes interiores erodunt, & dolores vehementes  
 concitant, & vt idem Gal. 3. meth. cap. 4. expo-  
 suit, inflammationes adducunt. inter initia er-  
 go quia adhuc sanguis effluit, magis idoneus  
 erit medicamentorum vsus, quæ non maiore  
 vim habent reprimendi, & sistendi sanguinem  
 quam conglutinandi commissa labra vulne-  
 ris, vt ea arida sunt, quorū antea facta est men-  
 tio, quales sunt pulueres, qui à iunioribus cō-  
 strictiui dicti sunt ex albo oui assumpti, addito  
 rosaceo oleo vno, aut altero. postea verò tran-  
 eundum est ad illos, quos incarnatiuos, vel ag-  
 glutinantes appellant, mox si valentiori me-  
 dicamento opus esse videatur, ad emplastra  
 Barbara erit accedendum. Neq̄ enim putarem  
 omnino tutum esse eorum vsam ab initio, dū  
 adhuc in motu sunt humores, & maxime vr-  
 get indicatio arcendæ inflammationis, calida  
 namque sunt, & vim attrahendi à profundis  
 etiam partibus habent: vnde cum vulnus re-  
 cens omnino est, neq̄ abest suspicio fluxionis  
 humorū, facile cōcitari potest inflāmatio. Sed

iam tempus nos à præfenti vulnerum tractatione reuocare videtur, vt ad vlcera fermonē conuertamus. Nam & fi ad rationem curandorum vulnerum pertinere fortaffe videretur, vt de illis fymptomatibus aliqua verba faceremus, quæ plerunq̃e folent vulneribus accedere, vt immodica fanguinis effufio, & vehemens dolor: attamen quia ea folent fæpe & vlcera concomitari, & eifdem ferè præfidijs in vtrifq; folemus his occurrere: ideo confulto diftulimus horum fermonem ad tractationē de vlceribus. Hic ergo confiftamus quatenus ad rationem vulnerum pertinet: nifi quis fortaffe putaret magis rationi confentaneū effe, vt poft institutum fermonem de vulneribus, fecundū quod vulnera propriè dicuntur, quæ in carne fiunt, fubnecteretur tractatio de illis, quæ ad vulnera neruorū curanda pertinent. Quia tamen neruorum vulnera, aut rariffimè aut nunquam curantur fimplici ea curandi ratione, quæ vulnere debetur, quatenus vulnus eft, vel vt iuniores noftri loqui folebant, per primam intentionem: ideo confultius nobis vifum eft, vt poft tractationem vlcerum illa differatur.

*De diffe-*

## De differentijs vlcerum.

## Caput VII.

**V**lcera appellamus in præsentia, quæ per solâ agglutinatione, vel vt nostri iuniores loqui solent, per primam intentionem curari nequeunt: quia saltem in ipsis sit opus cærnis generatione, quâuis alioquin nihil aliud habeant, quod ad vulnus propria sua ratione non pertineat. Nam ratio curandî ea vlcera, quæ adeo munda & simplicia sunt, vt sola conglutinatione, vel secundum modû quo iuniores loqui solent, sola incarnatione curari possunt, illa eadem omnino est, qua curantur vulnera. De medicamentorum ergo compositione, quæ his vlceribus curandis idonea sunt, atque de apto & accommodato eorum vsu nûc agemus. Verûm quia, vt aliàs diximus, vnaquæq; methodus pertinens ad curationem affectuum, primum quidem diuersa eoadit ratione diuersitatis naturæ ipsorum affectuum, non est autem vna naturæ ratio in ipsis vlceribus, sed multiplex & diuersa: ideo vt quæ ad institutum nostrum attivere omnino videntur exactius explanentur, necesse est, prius inquirere omnes differentias vlcerum ad vltimas vsque cum distinctas indicationes & proprias vnaquæque earum ex priuata sua natura habeat, quæ suos etiam scopos osten-

dunt, ad quos referenda est vniuersa, vt superius etiam fuerat expositum, compositionis & vsus ratio. Vlcus ergo cum secundum suam propriam rationem significat solutam & diuisam partium vnitatem, aut omnino simplex est, aut non simplex: simplex appello sicuti & Gal. 3. meth. cap 4. appellauit, in quo non fit nisi partium diuisio, quibus nihil aliud deest, nisi vnitatis continuitas. Nā si aliquid illis præterea desit, vtpote si recisa sit aliqua cutis, vel carnis vel ossis particula, iam non est sola, & simplex vnitatis solutio: sed defectus, vel amissio illius particulæ, præter partium separationem. Vnde neque erit simplex indicatio, vel simplex scopus, quia oportet regenerare amissam particulam, & vnire dispersitas partes. Vlcus ergo non simplex illud est, cui aliquid præterea adiunctum est, præter partium separationem, quæ verò illi adiunguntur, aut proximè accedunt ad naturam propriam vlcus, in quantum vlcus est, aut ab eo remotiora sunt. Nam si vlcus propriè & per se est continuū solutio: continuum verò, cum soluitur per eam diuisionem terminatur, & cōtinuum cum terminatur, statim suboritur figura. Nam mathematici definiunt figuram, quod est, quæ termino, vel terminis clauditur. vnde magis propriæ vlcus differentię erunt illæ, quæ ab ab ipsa vlcus figura erunt accipiendæ.

quemad.

quemadmodum dicimus. quòd vlcera alia plana sunt, alia concaua: alia rotunda, alia longa vel angularia. Quæ verò differentia ab his sumuntur, quæ remotiora sunt à propria natura viceris, alia sunt tanquam symptomata illi accidentia. alia vero sunt affectus, qui cum vlcere coniunguntur, & habent omnino suam essentiam à natura viceris, vt vlcus est alienam. Symptomata quoq; aut talia sunt, vt ferè per se vlcus & propriam eius naturam, si non omnino, aliqua saltem ex parte consequantur: aut ex diuturnitate, vel ex mala curationis ratione, vel ex externa aliqua occasione illi accidunt. Symptomata quoq;, quæ si nõ omnino, aliqua saltem ex parte, imo verò ex magna parte vicus q. per se sequuntur, sunt illa à quib. vlcus, aut sordidũ dicitur, aut virulentũ, vel humidum. Loquamur aut in presentia, vt vulgo nũc chirurgi loquuntur. Quomodo verò istæ differentia à symptomatib. sint deproptè, q magna ex parte sequuntur ppriã viceris naturam, facile percipiemus, si in memoriã reuocare voluerimus, ea quæ à Gal 3. meth. fuere exposita. nẽpe quòd in concoctione, quam naturã in particulis nostri corporis quotidie molitur necesse est duplex generari excrementũ, alterum tenuius, & aqueæ ferè consistentiæ, quod *ἰκωρ*. Græcè dicitur, à priscis aut Latinis sanies proprie: iuniores verò virus illud vulgo appet

lent. & hoc sanè excrementum, nisi ex alimenti copia plurimū redundet in halitū digestus per eam euacuationem, quæ sensib. inconspicua est excernitur: sed vbi nimia erit affluentia alimenti, per eam etiam excernitur vacuationem, quæ sensibus est conspicua, vt per sudorem. vnde extat ea Hip. 4. aphor. 51. sentētia quòd sudor in somno citra manifestam aliam causam excitatus, argumēto est, quòd corpus vel nimio vtitur cibo, vel vacuatione eget. Cōspicua itidem fit, quando calor natiuus imbecillior factus, nequit digere in halitum hoc excrementum, vel etiam si ex motione corporis exalfiat, & antequā digeratur in halitum, per sudorem excernitur. Vnde quia vlcera pars ægrotat, & ea ratione languidior est, in vlcibus semper eiusmodi ichorosum excrementum congeritur, quod vlcus humidius reddit, atque inde fit, quòd omne vlcus desiccationem vt curetur desiderat. Alterum verò excrementum crassius est, magis ad naturam terream vergit, quod per cutem extimam excretum & concrescens illi hæret, donec abluatur, detergatur, & id est sordes illa, quæ manifesto conspicitur circa cutem eorum, qui negligentiores & sordidiores sunt circa curam sui corporis. Hoc itidem excrementum congeritur in vlcere, & sordidum illud reddit, Græcè autem  $\rho\upsilon\tau\theta$ , latinè sordes appellatur

pellatur: & præterea in causa est cur vlceribus curandis ea medicamēta opportuna sint, quæ non sint deterforiæ facultatis expertia. His tamen addendum est, quod quando istius generis excrementa congeruntur in ipsis vlceribus. eatenus tamen, vt nō excedant rationē ipsius vlceris qualitate vel copia, non faciunt diuersas in vlcere differentias, ppter ea quia hæc cōcomitantur ipsum vlcus per se & quatenus vlcus: vnde neq; mutant cōmunē rationē vlcis vt vlcus. Verūm quando supra rationem vlcis excreuerint, id illis accidit quod & alijs symptomatibus, nempe quōd si plurimum excrescant, tunc exuta ratione symptomatis, induunt rationem causæ, atque subinde incipiunt propriam habere indicationem, atque ita constituunt diuersas vlcerum differentias. Nam vbi refertum est vlcus tenuiori excremento, humidum vel saniosum, vel virulentum à medicis nuncupatur. Sed si alterum crassius nimis excreuerit *πυμαρδύ* Græci, sordidum Latini appellant. Symptomata verò, quæ magis aliena sunt à natura vlcis, & citra quorū cōplexum potest vlcus consistere, sunt sicut cū dicimus aliquod vlcus callosum, vel ostracosum, vt aiunt Græci, aliquod, aut dolorosum. Differentiæ vero vlcerum quarum meminere antiqui medici, & ab alijs affectibus accipiuntur, qui cū vlcere, simul complicati con-



sistent, si velimus exquisitè loqui, nō sunt propriè ulcerum differentiæ, ut potè quoniam hi affectus per se etiam, & citra vicus, ut Gal. docet, cōsistere possunt, & habent propriam curationem, Sed sequamur in præsentia communem & inveteratam consuetudinem, & eas tanquam ulceris differentias accipiamus. Eiusmodi ergo affectus, à quorum complexu cum ulcere deprimimus has differentias quasi ulcerum sint, aut proprii & primarij sunt ipsius ulceratæ partis, aut nō sunt eius primarij, sed potius per consensum aliunde male habet ulcerata particula. A proprio affectu partiulæ accipiuntur differentiæ ulcerū, quæ maligna, propriè ab antiquis dicta sunt, nam quādo, ut ait Gal. 1. & 4. de comp. med. secundum gen. habitus illius partis in quæ contractum est vlcus adeo vitiatum est, ut alimentū, vel etiam optimum illi partiulæ distributum à natura, corrumpat in malos & vitiosos humores, atq; deinde ex hac causa redditur difficilis cūratio, tūc propriè antiqui maligna, diuturna, inueterata, vel Græcè *κακοειδῆ* appellabant. Horū vero nō est vna tantū ratio, sed multiplex & diuersa, nam aut ea sola est corruptio humorum, in quos alimentū degenerat, quæ possunt consolidatio- ni esse impedimento, & cicatrici inducendæ, & ea vlcera, quæ in hunc modum se habent, ab solute cacoethæ, vel maligna vlcera appellantur.

tur, aut tanta est corruptio, vt vitiosi illi humores non solum inepti sint carnis generationi, & cicatrici contrahendæ, verùm & eam consequuti sint acrimoniam, vt abradant & erodant subiectas & circumstantes vlceri partes, & eiusmodi vlcera ἐστώμενα à Græcis, & Phagedena, exedentia à Latinis: à iunioribus verò corrosiua nuncupantur. Aliquando præterea vitiosi humores in causa sunt, vt putredo vlceratam particulam apprehēdat, & quia, vt trita est sentētia, quod à putrido tangitur, putrescit: ideo non modò vicus ipsum putredo corripit verùm ad vicinas illi partes serpens eas quasi depascitur. & proinde à Græcis id genus vlcera ῥόλαι ἢ τὸ ῥέμεδον quod depasci significat: à Latinis verò depascentia vlcera nominantur. & hæc intercedit, vt docuit Galenus sexto de Compositione medicamentorum secundum gen. inter hanc & priorem differentiam, quod in hac est putredo, & ratione eius serpens, & depascens est vlcus. Solet autem quantum ad ipsam pertinet, plerunque excitare febrem. Estiomena verò vel phagedenæ, non solent comitem habere febrem, exedunt verò & subiectas vlceri partes & vicinas, atque ab herpete hac ratione differunt, quòd herpes exedit idem vicinas partes, verùm cutaneas duntaxat, non autem subiectas & profundas: phagedenæ verò cum ad sum. nā & extremā

malignitatem deuenirent, solebant à priscis medicis vocari chironia à Chirone Centauro, qui horum vlcerum curandorū peritissimus erat: item & telephia à Telepho heroe, quia simili vlcere contracto à sagittis Herculis, diu fuit miserè cruciatus. solent autem eiusmodi phagedenæ, coniunctum habere circumstantium partium tumorem eum inflammatione Vlcera verò quæ non tantum difficilia euadūt propter proprium aliquem affectum, quantum propter consensum cum aliqua malè affecta particula, aut cum vniuerso corpore à quibus influunt vitiosi succi, qui naturæ impedimento sunt, quo minus ad consolidationem possint producere, à Galeno *ῥόμανα*, hoc est, defluxioni obnoxia dicuntur: & vt ille 1. & 4. de compositione med. secundum gen. docuit: quamuis & aliæ vlcerum differentiæ ægrè admodum cicatricem admittant & consolidentur: hæc tamen vlcera quæ difficultatis occasionem aliunde habent, propriè à Græcis *συσεπιυλώτα* hoc est ægrè cicatricem admittentia dicuntur. & id quia aliæ quæ ab alijs affectibus, vel symptomatibus, quorum complexu redditur vlcus malignum, suas habent priuatas nuncupationes. Hæ ergo sunt, vel omnes vel pleræque vlcerum differentiæ, quarum facta est mentio ab antiquis. Et quâuis alij etiã affectus possint cōsequi vlcera, vel cū illis coniungi,

jungi, vt sunt intemperaturæ, inflammatio-  
 nes, erysipelata, œdemata, carnis excrescen-  
 tia, contusio & dolores, & id genus alia, no-  
 luimus tamen ab his sumere differentia-  
 rum vlcerum rationes, quia hæc longè remo-  
 tiora sunt à natura vlcis & propriam priua-  
 tamq; curationem desiderant: vnde opportu-  
 num forsitan esset, vt aliò orationem conuer-  
 tamus: nempe ad exponendos scopos, vnde  
 depromenda est vniuersa ratio compositio-  
 nis, vsusq; medicamentorum, quorum ope cu-  
 randa sunt vlcera: nisi quod fortasse prættite-  
 rit magis adhuc particulatim tractare eas dif-  
 ferentias, quas diximus magis proprias esse  
 vlcerum, qua vlcera sunt, dicebamus enim vl-  
 cus omne aut æquale esse, aut cauum. In vlce-  
 re plano, vel æquali nihil deest nisi cutis aut  
 cicatrix. Cauum autem, aut solum cauum,  
 aut cum sinu est, hoc cauernosum vlcus recen-  
 tiores dicunt, quod quidem est veluti canalis  
 quidam effossus in carne. Sinus autem tum  
 præsertim appellatur cum amplum habet in-  
 ternum spacium, quod si angustum fuerit &  
 oblongum, fistula vel fistulosum vlcus appel-  
 lari solet. His verò & illud addamus antequã  
 huic capiti finem imponamus, quod nos Ga-  
 len. in lib. de totius morbi tempo. docuit, ni-  
 mirum quòd & vlcera sua habent tempora,  
 quæ rationem concoctionis eorum excremē-

Forum sequuntur : quæ solent in vlcerib. gene-  
 rari & congeri. cum enim tenuis ab vlcere &  
 aqueæ ferè substantiæ crudusque emanari-  
 chor seu sanies, principium est: cum verò inci-  
 pit crassescere, & minori copia effluere, est in-  
 crementum : consistit verò morbus, cum iam  
 pus apparet bonum : in inclinatione autem  
 pus, paucum quidem est, sed crassius & albi-  
 us. circa hæc satis sumus euagati. Vnde ad ea  
 redeamus, quæ ad nostrum institutum per-  
 tinent.

*De ratione compositionis & vsus medicamento-  
 rum, quibus curandum est vlcus conca-  
 uum. Cap. VII.*

**A**B vlcere cavo sumimus initium, præ-  
 termissa ratione curationis vlceris o-  
 mnino simplicis, quia, vt paulo antè  
 diximus, eadem est eius & vulneris curatio:  
 itidem etiam de vlcere æquali & plano, cum  
 sola egeat cicatrice, satis erit actum cum expo-  
 fuerimus quibus auxilijs vel medicamentis  
 sit inducenda cicatrix. Incipiemus ergò à ra-  
 tione compositionis, & vsus medicamento-  
 rum, quæ apta videntur ad curanda vulnera  
 cava, si tamen citra sinum & cuniculum ali-  
 quem sint, & citra fistulam, quæque citra com-  
 plexum alterius, alioquin differentiæ præter  
 defectum

defectum carnis, quæ sit generanda, vt cauita-  
te repleta, ad planitiem & æqualitatem dedu-  
catur antequam consolidescat. Prima ergo in-  
dicatio in hoc vlcere est carnis aggeneratio,  
quod quidem opus est solius naturæ, non au-  
tem medici, nisi quatenus ipse potest naturam  
iuuare, vt expeditius & citra vlium im pedi-  
mentum hoc ipsum præstare possit. Hoc er-  
go tantum à medico desiderat & expectat na-  
tura, vt ea omnia remoueat, & de medio tol-  
lat, quæ illi sunt, vel vt esse possunt impedi-  
mêto. Et vt præteream alia quæ externa sunt,  
quemadmodum praua victus ratio, incommo-  
dus membri situs, & quæcunque id genus a-  
lia, quæ ad communia potius & generalia præ-  
cepta pertinerent, de illis tantum in præsen-  
tia sermonem habebimus, quæ omnibus vl-  
ceribus propria & quasi familiaria sunt, quæ-  
que primos scopos quæ à medico spectandi  
sunt, nobis demonstrant, hæc verò sunt, du-  
plex illud excrementum, quod in omni vlce-  
re generatur: nèpe tenue & ichorosum, quod  
virus appellatur à recentioribus: & crassius  
alterum, quod sordes, hæc quidem naturæ im-  
pedimento sunt, quo minus possit vlceri car-  
nem, probam saltem aggenerare. Ad officium  
ergo medici pertinebit procurare vt remouea-  
tur duplex hoc excrementum. Detrahitur au-  
tem sordes per ea medicamenta, quæ deterio-

riam vim habent: ichor verò per ea quæ exic-  
cant: duo ergo in vlcere quocunque primùm  
insurgunt scopi: nempe exiccandum & de-  
tergendum esse. Verùm quia plerunque hu-  
midius & tenuius excrementum copiosius ef-  
se solet in simplicibus vlceribus, præterquam  
in illis, quæ sordida propriè appellantur. Id-  
eò primus scopus in vlcere est exiccatio, al-  
ter verò deterfio. Facto autem æquali & pla-  
no vlcere, insurgit indicatio inducendæ cic-  
trici. Sed de hoc postea. Redeamus ad prio-  
res scopos, nempe desiccandum mox & de-  
tergendum esse. Verùm quia neq; satis est no-  
uisse in vniuersum siccandum aut detergen-  
dum esse, sed & quatenus siccandum aut de-  
tergendum est cognoscere oportet, quia ni-  
mia exiccatio vtilem etiam materiam agge-  
nerandæ carnis absumeret. Ita & nimia exter-  
fio, non solùm sordem detergeret, verùm &  
nouam tenellamque iam genitam carnem de-  
traheret, quia tamen de hoc superius etiam  
verba fecimus, ideo breuius in præsentia rem  
absoluemus. Diximus autem superius in vl-  
cere, quod neque sordidum, neq; humidum  
sit suprâ quam requirat communis illa ratio  
viceris caui, quatenus vlcus est, non est opus  
multa desiccatione, sed ea satis est quæ modi-  
cè excedat naturalem siccitatem illius partis,  
in qua vlcus est: nempe vt per vnum ordiné,  
vel

vel vt à recentioribus dici solet, per vnum gradum, & id quidem non per relationem ad medium inter fines humanæ temperaturæ, sed facta collatione cum naturali temperie vlcera-  
tæ partis, & proinde id quod, cum sermo erat de vulneribus, expositum fuit, hoc etiam loco in memoriam reuocandum: nempe quod non idem modus exiccantium in omnib. corporibus, vel particulis vtilis & aptus est ad generandam carnem, quia quæ sicciora sunt, suapte natura egent medicamentis magis desiccantibus, quæ verò minus sicca, minus. Nec minor ratio habenda est particularum, quam vniuersi corporis. Nam sicuti humana corpora plurimum natura & temperatura differunt, ita & partes ex quibus illud coagmentatum est inter se natura & temperatura non parum differunt, aliæ enim sicciores, aliæ humidiores sunt. Et sicut temperamentum corporis vniuersi natura sicciora medicamenta exigunt magis siccantia, & humidiora minus siccantia, ita pars corporis, quæ ad alias relata magis sicca est, præ alijs requirit magis exiccantia medicamenta, & quæ humidior, minus exiccantia: vnde si temperatura vniuersi corporis, cum natura & temperatura vlcera-  
tæ partis in siccitate cõspirent, magis siccantia, vt 3. meth. cap. 9. docet Galen. postulat medicamenta. si verò mutuò dissentiant in temperatura: non



pe quia alterum à mediocritate per siccitatē; alterum per humiditatem labatur à medio; si par vtrinq̄ue sit recessus, moderate exiccantia, qualia maxime requireret corpus temperatum essent apta & apposita medicamenta. Sed si impar sit recessus, ita medicamenti vis à mediocritate ad illud extremum declinet, in quod magis inclinat recessus. Non ergo mirandum erit, si in recensendis medicamentis accommodatis ad generandam carnem in vlceribus, multa & diuersa, tam simplicia, quā composita proponemus, quę tamen non sunt in eodem ordine vel gradu, sed potius in valde diuersis. Inter sarcotica ergo medicamenta, hoc est, ea quę apta sunt ad generandam carnem in vlceribus, sunt, thus, quod tamen imbecillum est medicamentū, terebinthina, laricea resina, pix vtraque liquida & arida, colophonia, aloë, myrrha, fuligines etiam harum earundem rerum: præterea & ex cefyppo etiam fuligo, imò & ex butyro, quamuis hæ leniores sint, caries item lignorum, præsertim verò ex vlmo, farina etiam fœnigræci & hordei fabarūq̄: vbi non est opus multa desiccatione, utilis esse potest. His verò valentiora sunt, aristolochia, iris, farina erui, cadmia, pōpholyx, vlmi folia, plūbum vstum & lotum, anemone, multa etiam alia in medium proferri possent, quę in his recenseri possunt: ne tamen

tamen iusto longiores simus, hæc in præsentia satis sint, reliqua vnusquisq; ex libris tum Galen. de simp. med. facult. tum verò Diosc. poterit describere. Transcamus ergo ad expositionem compositorum, tum eorū, quæ pulueres à recentiorib. arida verò medicamenta ab antiquis dicuntur, quā etiam aliorum, quæ emplastra vel cerata, vel vt iuniores loqui solent, vnguenta dicuntur, & primū ea exponamus, quæ leuiores sunt, & possunt replere caua vlcera carne, vbi nullus alioquin sit complexus alterius rei diuersam habētis indicationē ab vlcere. Primū ergo est id, quod iuniores resinū vel resinatum vnguentū appellant, facile medicamentum & corporib. non admodum duris accommodatum vlceribusq; non admodum contumacibus, aliquantisper enim calefacit & attrahit, quantum quippe sit satis ad attrahendam vtilem materiam & idoneam ad generandam carnem: modestè etiam desiccatur, & habet aliquam detergendi facultatem: & insuper aliquid habet, quod ad concoctionem facit: si concoctione vlceri sit opus, quæ nunquam non utilis est, cum præter alia faciat etiam ad leniendos dolores. Accipit autem resinæ pini, terebenthinæ, ceræ citrinæ, olei communis boni singulorum partes æquales. conficitur primū oleo, resina, & cera ad ignē simul dissolutis & colligatis.

mox additur terebinthina, vim exiccantem quidem habet, sed eam debilem. Nam quamvis resinæ secundum ordinem fortasse non excedant, remittitur tamen eorum facultas exiccandi mixtura pari olei & ceræ. Sed & de tergendis vim hæc habent, præcipue terebinthina: nec non & digerendi, sed illam etiam modicam, eadem etiam ratione aliquid concoctorij, præterea, vt sæpe diximus, habet, & ex terebinthina non nihil astringentis: vnde eiusmodi medicamentum, in primo ferme ordine erit, aptum mollioribus corporibus & vlcibus in carne subortis. Non procul ab hoc facultate & viribus est vnguentum, quod Aureum, tum Mesue, tum verò iuniores appellant, cuius confectio accipit, ceræ nouæ vncias sex, olei libras duas & semissem, terebinthinæ vncias duas, resinæ pini, colophoniz singulorum sesquiunciam, thuris, mastiches singulorum vnciam, croci drachmam. Eliquata cera ex oleo, iniiciatur terebinthina, postremo colophonia & thus, primùm probe rufa, deinde simul mista refrigerascente medicamento inspersa iniiciantur, postremo addito etiam croco omnia probe commisceantur, Si hoc medicamentum cum priori conferamus, erit eo aliquanto magis ficans, priori enim additur colophonia & mastiche, & thus, quæ omnia ficcant. Præterea verò ma  
iorem

iorem etiam vim concoquendi habet ex thure & croco, magis etiam astringit, unde illo in super magis roborare poterit particulam affectam, & repellere, si aliquis sit timor, ne ad vlcus humores confluant. Quibus omnibus bene æstimatis, facile erit iudicatu, quod hoc medicamentum maioribus & difficilioribus vlceribus erit magis idoneum, cum magis desiccet, aliquanto etiam magis digeratur & concoquat, roboret & repellat. Tertium verò quod & in maiori usu est, a Melue & alijs Arabibus & iunioribus medicis Basilicon appellatur quasi regium, vel regale dicas. Cuius descriptio duplex est: de eo autem loquor, quod Basilicon magnum appellat, & differunt duæ descriptiones simplicium pondere & proportionem, non autem numero vel natura. Prima enim accipit ceræ albæ, resinæ pini, sepi vaccini, picis, terebinthinæ, thuris, myrrhæ, singulorum vnciam, olei quantum satis est. Alia verò descriptio impares accipit eorum simplicium ex quibus conficitur partes, nam acceptis primùm ceræ vncijs sex, picis verò tribus, singulorum aliorum addit sesquiunciam. Prior quidem descriptio in omnibus erit potentior, nempe in exiccando digerendoq; & abstergendo, atque in extrahendo ex profundo. Nam cum omnium sit par pondus in prima: in altero verò, ceræ sit duplum pondus ad pi-

cem & quadruplum ad alia, necesse est, vt aliorum omnium vis longe magis in secunda obrundatur quàm in prima. Prima ergo valentior erit altera. Vnde & difficilioribus & maioribus vlceribus curandis erit accommodatior, ambæ tamen prioribus maiorem vim siccandi detergendiq; habent, & è profundo extrahendi ob picem & myrrhã satis copiosam. magis etiam mollire possunt ob vaccinũ adipem. in cõcoctoria aut facultate non multa est differentia. Nam quãuis in Aureo sit crocus, non tamen copiosus inest, in hoc autẽ thuris plus accipitur. Laudatur verò hoc medicamentum præsertim in neruorum vlcerib. Sed de hoc tamen suo loco sermonẽ habituri sumus. Sed quia omnia, quorum hætenus meminimus, medicamenta, quamuis desiccant satis modeste : & aliquantisper etiam detergant, sunt tamen & calida, & vim, vt dicebamus, attrahendi habent, quæ conditiones aliquando in vlceribus, præsertim verò in eorum initijs suspectæ sunt, si maiora sint vlcera & profundiora, si etiam corpus sit immundum aut etiam plenũ. nimirum ne interdum inde inflãmatio adducatur ad vlcus. Vndẽ Galen. 3. metho. cap. 8. protulit hanc sententiam: nempe quòd quamuis interdum loci intẽperies medicamentorũ ad refrigerantium vsũ adigat, non tamen opportunus admodum est vsus  
hyo.

hyoscyami, aut mandragoræ, quamuis desiccando possent vlceri accommodari, quia nimis refrigerant, & eadem etiam ratione resina, pix & bitumen, quamuis modicè quidem desiccant, nonnunquam tamen sunt medicamenta non admodum vlceribus commoda, vtpote, quia eximius est in ipsis calor, qui remittendus est, si turò illis vti velimus, miscella aliquorum refrigerantium. à qua præterea sententia neque locus primo de composit. medic. secundum gen. cap. 12. descriptus videtur esse alienus: vbi ait Galenus, quòd vlcera inter initia requirunt medicamenta quæ repellant, ne suboriat inflammatio: vbi verò tuti ab inflammatione simus, opus relaxantibus erit, vt si quid inclusum sit, exhalare possit, imò etiam si aliqua sit contracta inflammatio, non tamen magna, vt citius soluatur, adhuc utilis est laxantium vsus. At verò repletò iam vlcere, & reddito æquali, cum iam opportuna esse incipiunt, quæ cicatricem inducunt ad astringentia redeundum. Vnde non erit etiam alienum à nostro instituto, si & de medicamentis egerimus, quæ desiccant & refrigerant cum aliqua etiam astringentia, vt interdum illis solis, interdum verò commixtis cum alijs calefacientibus pro rei exigentia & opportunitate vti medici possint. Incipiemus verò à moderatioribus & facilio-

ribus, primumque ab illis quæ priscis etiam temporibus erant in vfu: primum ergo describemus illud quod Mesue & iuniores vnguentum Tripharmacum appellauerunt: alij vero vnguentum ex lithargyro, quod ita describere Mesue & iuniores. Accipiatur lithargyri exactissime triti & leuigati pars vna, cui perfundatur nunc olei, nunc aceti, atque eatenus conterantur simul, donec ad compagem & consistentiam emplastri vel vnguenti deuenierint. Quod quidem medicamentum, si in hunc modum parabitur, moderatè quidem desiccabit: quamuis enim acetum, præsertim acre, vim maiorem desiccandi lithargyro impertiatur, præterea & refrigerandi: oleum tamen, quod pari ferme portione immiscendum est, efficit, ut neque multum desiccare possit, magis tamen siccat & refrigerat, quam quando ex solo oleo & lithargyro, ut superius diximus, fit medicamentum. Acquirit etiam ex multa illa cōtritione & leuigatione partium tenuitatem, sed magis ex aceto, vnde & aliquanto detergere potest, ex eodem præterea habet, quod refrigerando repellere possit influentes ad vlcus superuacuos humores: verum non est validum admodum medicamentum, si hoc modo paratur: imò quod teneris & mollibus corporibus aptum, non autem plurimum siccis & maioribus profundioribusque vlceribus.

Vali-

Validius autem erit, si eo modo pareretur, ut in altera descriptione docuit Mesue: quemadmodum ferè ex Galeno 1. de compositione medicam. secundum gea. transcripsit. Conficitur verò non solùm per triturationem & mixturam, verùm per decoctionem in hunc modum. Accepta selibra lithargyri optimè contriti, aceti verò acris, & cui nihil aquæ fuerit immixtum, tantundè: illis infundatur & olei veteris libra, omnia deinde facili non violenti coctura ad consistentiam, quæ manus non iniquet, ducantur. Emplastrum hoc, ita enim eiusmodi medicamenta appellabat Galen, magis priori desiccatur & minus refrigeratur: & id duplici ratione. Primum quia vetus oleum magis siccatur, & magis etiam calefacit: deinde verò, quia tum coquitur medicamentum, efficitur ratione ignis minus refrigeratur, & quia humiditas digeritur, ideo fit magis desiccans, ut ibidem docuit Galen. qui & hoc addidit, quod semper quò magis coquuntur eiusmodi medicamenta, eò fiunt siccantiora: quapropter & difficilioribus maioribusque ulceribus erit accommodatum medicamentum. Sed hoc non est prætermittendū, quòd tanquam rem multi momenti, eodem loco docuit, nempe quòd licet hanc nos mensuram præscriperimus huic medicamento, non est tamen putandum eam esse ita statam ac firmam



seruandam, vt non sit eorum ratio pro varijs  
 occasionibus immutanda. Nam possumus in  
 interdum oleo vti non veteri, sed communi: ta-  
 men nunc id nosse oportet, quod in deficcando  
 infirmius erit medicamentum, & facilio-  
 ribus idoneum: interdum verò liquidorum  
 simplicium maiorem copiam, interdum mi-  
 norem infundere possumus, nam interdum  
 par pondus omnium accipitur, atque ita de-  
 inde coquitur: nimirum vt singulorum trium  
 accipiatur libra, nonnunquam duplum, tum  
 olei, tum aceti ad lithargyrum accipitur. po-  
 test & triplum accipi: vt tamen illud noueri-  
 mus, quod quo liquores maiori copia ad li-  
 thargyrum effunduntur, eò etiam, vt ad confi-  
 stentiã congruentem istiusmodi medica-  
 tis adducatur, magis coquenda sunt. & quo ma-  
 gis coquuntur, eò, quantũ ad formam medica-  
 menti pertinet, fit magis tenax & glutinosum,  
 & particulæ facilius hærens: quatenus ad co-  
 lorem, fit magis nigrum & spléndens perinde,  
 vt bitumen. Vnde nonnulli in quibus est A-  
 uicen. illud vnguentum nigrum appellarunt.  
 Quo verò ad vires attinet, fit magis deficcans,  
 & maiorem tenuitatem partium sibi cõparat,  
 & proinde eò etiam accommodatius medica-  
 mentum erit curandis vlceribus cum sinu, &  
 profundioribus (iuniores dicerent cauerno-  
 sis) interdum & fistulosis. Sed postquam de  
 his

his medicamentis, quorum basis est lithargy-  
rus in præsentia tractatio est instituta, de ter-  
tia etiam compositionis ratione agamus, qua  
conficitur emplastrum, quod Gal. ex lithargy-  
ro & œnelæo, sicut prius ex lithargyro & oxe-  
læo solitus est nominare: propterea quia alte-  
rum ex aceto & oleo, alterum ex lithargyro vi-  
no & oleo paratur. De hoc verò non est cur  
multa dicamus, quoniam paratur sicut illud  
quod ex oxæleo conficitur, & hoc quoque  
maiores vires ex maiori concoctione sibi com-  
parat, sicut & alterum, & eadem potest esse  
diuersitas, si oleum vetus vel nouum acci-  
piatur: item quòd longiori coctura opus est,  
quò copiosiora, tum vinum, tum oleum in-  
ijciuntur: item si loco aprico sub solaribus ra-  
dijs sit coctum adeo, vt quandoque per totam  
diem canicularibus temporibus Galenus co-  
xerit, euaseritque præstantissimum medica-  
mentum, quo deinde vsus, difficilima & ca-  
uernosa vlcera carne primò repleuerit con-  
glutinaueritque, & tandem ad cicatricem de-  
duxerit, non minus quàm si vsus esset suo illo  
ab ipso ita decantato vnguento vel emplastro  
quod diachalciteos, vel diapalma appellaba-  
tur. Verùm in cōfectione istius ex lithargyro,  
hoc reliquum est, vt moneamus esse accipien-  
dum vinū clarum, albū & tenue, vt erat anti-  
quitus Palernum, nā ita & magis desiccās erit,

& magis digerens. Sed vt magis roboretur particula, & magis repellatur influxus superuacaneorum humorum, oportet, vt præterea sit alicuius astringentis particeps. Sed præterea & de medicamentis illis agamus, quæ à iunioribus composita sunt, & in præsentia in vfu frequenti habentur: primumque de eo quod passim Vnguentum ex plumbo dicitur. Accipit autem plumbi vsti, lithargyri singulorum vncias duas, cerusæ, stibij, hoc est antimoniij singulorum vnciam, olei rosati quantum satis sit. Aliqui tamen ceræ vncias duas, & semissem adijciunt, olei verò rosacei & terebinthine singulorum vncias quatuor, componunt autem prius liquefacta ex oleo cera, deinde addita & commixta terebinthina, postea istis ab igne detractis, metallica exacte trita, & in puluerem redacta, iniiciuntur & probe miscentur. Medicamentum hoc desiccans est & satis insigniter, & præterea alicuius astringentis est particeps, refrigeratque: quamuis magis refrigeret cum sit citra terebinthinam, reliqua enim omnia præter hanc refrigerant. Non magis autem astringit, neque magis digerit aut detergit, quia terebinthina vim habet & detergendi & digerendi & non astringentis expertis. Plumbum verò & si suapte natura frigidum sit & humidum, tamen dum comburitur fit exiccans medicamentum &

mixtæ

mixtæ quodammodo naturæ; ex ignis. n. calore acquirunt tenues quasdam & calidas partes, per quas & digerere aliquâtiſper poterit & non nihil detergere. Inſiſi lauetur; per lotionem enim ab eo detrahitur quicquid calidi ſibi comparauerat ſicut & calx: remanet autem frigidum deſiccans, deponit præterea & omnem morſum, vt & oculis euadat idoneum & commodum medicamentum, ſed omnino retinet exigentiam aliquam partium tenuitatem. Antimonium verò, quod ab antiquis auctoribus dicebatur ſtimmi, vel ſtibium, & ipſum frigidæ eſt non tamen inſignis, temperaturæ. Auicenna enim refrigerare ait in primo ordine, deſiccare verò in ſecundo, ſed non exigentiam vim habet aſtringendi cum illotum eſt. nam ſi lauetur, non parum exoluitur hæc eius facultas, ſed adeò vt prope accedat, ſicuti docuit Galenus quarto de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos cap. 4. ad eorum medicamentorum ordinem, quæ mordacitatis ſunt expertia. Ceruſa verò & ipſa modicè refrigerat, non nihil etiam aſtringit, ſed exſiccatur quoque, ſi Auicennæ credimus, in ſecundo ordine: emplaſticum tamen eſt medicamentum. In vniuerſum ergo medicamentum deſiccans eſt ſine vlllo morſu, quod præterea poteſt repellere influentes ad vlcus ſuperuacaneos humores, tum ratione aſtrictionis, tum verò empla.

sticæ facultatis. quare poterit caua vlcera carne replere, & non modo ad æqualitatem, verum ad cicatricem etiam producere. Possimus autem & plurima alia medicamenta describere, quæ non parum viderentur præsentis instituto facere, ea tamen in præsentia omitimus, ne iusto longiores videamur, vel potius in sequentes tractationes differimus, utpote, quia cum ea sint valida medicamenta, & ut Græci dicunt *πολύχρηστα* hoc est multiplicis vsus, potius ad vlcera difficilia vel maligna curanda idonea sunt, quàm ad hæc simpliciora de quibus in hoc loco sermo à nobis est institutus: quamuis possint interdum ita parari, ut etiã his simpliciorib. curandis possint accommodari. Et ne idem sæpius repetendo nimium temporis conteramus, vniuersam horum rationem ad magis opportunum locum referuabimus. Conuertamus ergo iam sermonem nostrum ad medicamenta apta curandis vlceribus, quæ cum complexu alterius rei, siue affectus illa sit, siue aliud quidpiam, quod impedimento sit, quo minus vlcus curari possit, nihil aliud remoueatur. Et primum agemus de vlcere, quod *δυσεπούλωτον* à Græcis appellatur, quasi dicas ægrè recipiens cicatricem.

*De curatione & simplicibus medicamentis, quæ  
tum ad ea vlcera pertinent, à Græcis δουρά-  
λωτα propriè dicta, tum quæ ad maligna  
adhibentur, id est εχονθῆ appellata.*

Caput VIII.

**S**I memoria ea tenemus, quæ superius fuere  
exposita, nempe quod ægre admittentia  
cicatricem ab antiquis vt testatus est Ga-  
nus propriè ita absoluta nuncupatione, nul-  
laque addita adiectione, illa dicebantur, quæ  
nullum in se vitium alioquin haberent pro-  
prium, quod esset impedimento inducendæ  
cicatrici, sed vniuersam istius incommodi ra-  
tionem habent à consensu cum aliqua alia  
particula, vel cum vniuerso corpore, vnde vlce-  
ri influunt superuacui & vitiosi succi, qui im-  
pediunt, quod minus possit contrahi cicatriæ  
Addit tamen Galenus sexto aphorismorum,  
quod interdum hæc difficultas accidit, non  
tantum ex fluxione, quæ ab alijs partibus  
fit, sed potius ex aliquo vitio contracto in os-  
se subiecto vlceratæ carni: nam ab eo vi-  
rus quoddam effluens obstat cicatrici indu-  
cendæ, vel etiam si inducatur, in causa subin-  
de est, cur iterum erodatur ob eius acrimo-  
niam. Cum ergo in hoc vlceroso statu,  
vt ad primam & propriam causam veniam,  
complicati affectus, quorum alterum in causa

est cur nequeat alterum curari: nulli dubium esse potest, quod primum intendendus est animus, si medicorum omnium præcepta sequi velimus ad affectum illum, unde ortum & occasionem habet ea difficultas. Et quia à fluxione pendet vniuersa occasio, primum ergo occurrendum fluxioni, & aut sistenda, aut auertenda à loco affecto. Sistetur autem præcipue, si aut vniuerso corpori, aut particulæ à qua occasionem habuit fluxio, probè consulamus, vacuatione, aut per missionem sanguinis, aut per purgantia medicamenta: deinde per remotionem causæ illius, ex qua, aut multus, aut vitiosus humor, qui defluebat, generabatur: sed hæc non sunt in hoc loco, nisi summatim tractanda, quia non pertinent ad primum hoc nostrum institutum. Ergo vt breui in vnum complectar omnia, auertitur fluxio partim per topica remedia, quæ vlceri adhibentur, partim verò per reuulsionem primum, mox & per deriuationē. Reuulsio quidem fit, dum trahuntur fluentes succi procul & ad contrariam partem, quæ fieri potest, vel cum vacuatione, vt per sectam venam, vel incisas cucurbitulas, vel per hirundines, item per purgationem per aluum inferiorem, vel vomitum. Citra conspicuam autem vacuationem, fit per frictions, per cucurbitulas absque incisione, per vincula dolorifica, interdum & per lotiones.

nes. Derivatio verò fit quando his eisdem instrumentis fit attractio ad vicinam aliquam partem: atque hæc breuiter & per transfennam attingisse sufficiat. Topicorum verò seu localium remediorum duplex est ratio, alia enim procul à loco affecto apponuntur, qua parte transeunt humores defluentes ad locum, & hæc vulgo emplastra, vel vnguenta defensiva dici solent, vt pote quæ obitent & defendant transitum humorum ad ipsam locum. Defendunt autem quia stipant particulam cui apponuntur, & illam quasi constringendo & densando claudunt meatus per quos feruntur humores. Alia verò vlceri apponuntur, & apposita duplicem vim habent: primam quidem, vt ingruentes humores repellant à se ad alias partes, deinde, vt receptos iam, si omnino nequeunt aliò exprimere, exsiccando vel digerendo absumant. Scopi verò à quibus pendet vniuersa ratio compositionis horum medicamentorum hi sunt, nempe priorum, quæ recentiores Defensiuæ vocant, vt ea agant, quæ paulo antè diximus astringendo & refrigerando: astrictio itaque & refrigeratio erunt compositionis illorum scopi. Ex medicamentis ergo erit eorum compositio, quæ vim refrigerandi & astringendi habeat: sed cum his etiam ponamus, quæ vim habent emplasticam: in alijs verò quæ vlceri sunt apponenda, scopi iidem erunt astrictio, refrigera



tio & exsiccatio, & ea etiam maior, quàm in alijs vlceribus, de quibus hæctenus egimus, cum non solum sit opus exsiccare humiditatem, quæ vlceris ratione subcrefcit, sed etiam præterea quæ influxit. Primum autem de prioribus sermonem habeamus. Hæc itaque loco opportuno apposita, partim astringendo meatus, per quos patet aditus ad vlceratam partem, partim ab emplasticis, si medicamenta aliqua istius naturæ indantur, illis repletis, partim etiam redditis humoribus, qui fluxuri sunt, vi refrigerantium crassioribus, difficiliorem transitum ad vlcus præstant. Locus autem accommodatus his vnguentis apponendis, in cruribus quidem aut brachijs, est supra vlcus per sex, aut septem, aut octo digitos: quia plerunque ex superioribus partibus succi in his vlceribus solent defluere, in alijs locis aut circumcirca sunt apponenda medicamenta id genus, vel ad locum illum, per quem medicus rationabili aliqua coniectura iudicat fieri defluxum noxiæ materiæ. Materiam verò aptam compositioni horum medicamentorum, in vniuersum quidem, nuper exposuimus, nempe quia omnia refrigerantia, astringentiaque, nec non emplastica huic negotio sunt imprimis apta, in quib. si de simplicibus loquamur, sunt multi succi & aquæ: sicuti succus plantaginis, solani, polygoni, semper

semper viui, lenticulæ in paludibus nascentis  
vmbilici veneris, vuæ acerbæ, portulacæ, cu-  
curbitæ, cucumeris, imo & malorum præser-  
tim eorum, quæ acida, vel austera sunt, & piro-  
rum, & aliorum fructuum acerborum. izidè &  
harum earundem rerum aquæ, & præterea ro-  
facea aqua, item & acetū non valde acre & om-  
phacium, album oui, præterea & multa arida  
medicamenta intrita, qualia sunt bolus arme-  
na, terra lemnia, lapis corallius, lapis hæmati-  
tes, sanguis draconis, folia rosarum arida, cyti-  
ni mali punici, malicorium, balaustia, & id ge-  
nus alia multa; inter olea autem huic officio i-  
donea sunt rosaceum, præsertim omphacinū,  
item & myrteum, melinum quoque, hoc est,  
quod fit ex malo cotoneo. Possunt autem duo  
vel plura horum mutuo mixta componi, vt ex  
empli causa. Si acceperimus rosaceam aquam,  
& illi acetum addiderimus, vt si partem vnam  
aceti, & duas aquæ acceperimus, & si duorum  
ouorum etiam album iniecerimus, & omnia  
simul conquassata commiscuerimus, erit ac-  
commodatum medicamentum, neque dete-  
rius euadet medicamentum, si addatur etiam  
tantundem olei rosacei, præsertim omphaci-  
ni, aut alterius olei ex his quorū nuper memi-  
nimus. Si etiā succū solani, plantaginis accipia-  
mus, & addito aceto illis vtamur: itē si contusa  
portulaca, & illi addito succo vuæ acerbæ: mox

vtriusque succum expresserimus, acetumque  
 addiderimus, vel citra etiam acetum, optimū  
 & maxime opportunum erit medicamentū.  
 Possunt interdum & administrari medicame-  
 ta istius generis in hunc modum: nempe vtrā  
 liquo ex supra numeratis oleis illinamus lo-  
 cum aptum huic officio, postea aridum ali-  
 quod pulverem inspergamus: sicuti si acceperimus  
 arida rosarum folia, bolum armenam, draco-  
 nis sanguinem, & omnia probe trita rediga-  
 mus in pulverem postea inspergendum, quod  
 si addamus aut cyttinos, aut malicorium, aut  
 quidpiam aliud astringens, valentius erit me-  
 dicamentum. Sed si post hos inspersos pulve-  
 res lineum aliquem panniculum perfunda-  
 mus, aut aqua rosea aut aceto, vel aqua etiā  
 communi frigida immixto aceto commodius  
 res se habebit, & melius etiam, si panniculus se-  
 pe, dum siccescit, madefiat eadem aqua. Phar-  
 macopœi autem solent compositum medica-  
 mentum servare ad hos vsus, quod vulgo un-  
 guentū Defensivum vocant, cuius hæc est cō-  
 sectio. Accipit boli armenæ semunciam, san-  
 guinis draconis, terræ lemnæ singulorum ses-  
 quidrachmam, olei rosei sesquiunciam, myr-  
 tini semunciam, ceræ albæ sex drachmas. Dis-  
 soluta cera ex oleis, postquam aliquantisper  
 ab igne remota refrigerata fuerint, illis arida  
 medicamenta optimè contrita & levigata in-  
 iiciuntur.

ijciuntur, & cum exactè mixta fuerint, infundantur in aquam rosaceam, vel acetum rosaceum, vel vtrumque: non remouetur autem hoc medicamentum nisi alternis diebus. Et hætenus quidem de hoc medicamentorum genere. Alia verò quæ vlceri imponuntur, vt diximus, oportet vt vim desiccandi habeant & repellendi, vt tamen neque etiam deterforiæ facultatis sint omnino expertia: quantum verò ad desiccandi rationem pertinet, & si vtrumque medicamentorum genus, quibus curanda sunt vlcera quæ difficulter curantur, & ægre cicatricem admittunt: nempe & id quod idoneum est illis quæ ægrè ad cicatricem deduci possunt, nondum tamen maligna sunt, insignem vim desiccatoriam requirunt, maiori tamen desiccatione opus est, vt maligna commodè curari possint, quàm vt ea quæ solum *δυσπούλωτα* dici consueuêre. Verùtamen præterea & id aduertendum est in vtroque horum vlcerum genere, nimirum vt procuremus, quantum fieri potest, vt citra morsum fiant hæc omnia, quæ requirit probæ eorum curatio, quod tamen non est admodum facile. Nam vt i. de composit. medicamentorum secundum gen. docuit Galenus astringentia facile solent vlcera exasperare. Præterea verò cum in his quæ nondum maligna sunt, difficultas à fluxione occasionem vniuersam ha-

beat, sicuti ad repellendum est opus astringentibus: ita propter eum humorem qui influxit & iam receptus est in vlcerata parte necessaria sunt quæ digerât & è profundo attrahant: vix autem fieri potest, vt id genus medicamenta non sint acria, & proinde etiam non excitent dolorem: quo deinde fit, vt facîle superueniat inflammatio, quæ in causa est, vt vlcus exedatur, & augeatur, & hæc eadem incômoda longè magis insunt malignis vlcereb. Quare huc tendit omnis industria medici, vt eam medicamentorum materiam deligat, quæ circa morsum desiccet. Et quia horum particulatim nequit vna ratio vnusque definitus modus præscribi, quia neq; omnia corpora, neq; omnes in eodem corpore partes ab eisdem æqualiter solent morderi, & propterea etiam difficile admodum est statim prima die assequi scopû exquisitè in vsu medicamentorû: imò plerunq; necesse est sæpius mutare rationem medicamenti, additis nimirum illis, quæ aut obtundant, aut exacuent vires, obseruata nempe in præfione & mutatione, quæ in vlcere vi medicamenti facta est, cum medicamentum detrahitur: nam interdum, licet medicamentum validè tum astringat, tum detergat, & desiccet, non videbitur tamen morderi, quia copia humoris, & sordis, quæ vlcere obducta est, remittunt acrimoniam & morsum medicamenti

menti alioquin acris & mordacis, paulò autem post, ubi fuerit vlcus ficcius, & magis mundum ope illius medicamenti redditum, non poterit amplius illud ferre, sed erit necessè mutare in aliud, eiusdem quidem facultatis, in vniuersum verò tanto imbecillioris, ut minimè mordeat, dum modo neque adeo etiam sit imbecillum, ut nequeat vlcus desiccare, neque quantum opus est detergere & mundum efficere. vnde non modo vtile sanè erit, verùm & necessarium, ut medicus, qui rectè voluerit & appositè vti medicamenti, sæpe cum id quod vlceri adhibuerat detracturus est, post detractionem consideret copiam tum fordis, tum humoris, quæ tam vlceri, quam detracto medicamento insident, ut deinde hæc conferat cum illis quæ arte illius medicamenti appositionem diligenter obseruaerat: ex eorum si quidem collatione facile percipiet vires, & opus illius medicamenti. Præterea verò an expediat viribus illius addere, quatenus ad desiccationem, vel deterisionem attinet. Sed neque minoris momenti est præceptum illud quod nobis à Galeno quarto de Compositione medicamentorum secundum genus traditum est: oportere medicum particulatim sibi cognitionem omnium simplicium medicamentorum comparare: particulatim inquam, quia non est illi satis cognouit.

se medicamentorum vires & facultates in vniuersum: sed eorum ordines & gradus oportet perspectos habere, quæ illi in hos vsus venire possunt. Ita enim fiet, vt facilius, siue illis simplicibus vti voluerit, siue compositis, & ad affectus statum & conditionem, atque ad corporis & particulæ naturam ea referens, ad propositum scopum proximè accedat. Nos ergo in præsentia doctrinam & instituta Galeni sequentes, primum simplicia medicamenta, quæ in his desiccantis & detergendis vlceribus, non omnia quidem, sed quæ sunt vsitatoria exponemus: deinde verò & de compositis agemus. Incipiemus autem à metallicis medicamentis: nempe ab his, quæ in mineis vnde metalla effodiuntur solent reperiri. Cadmia ergo prima in examen veniat, quæ quidem vim desiccandi habet, & eam modestam & citra morium, præsertim ea quæ in mineris reperitur. nã si inde vel eiecta, vel etiam aliqua ratione deuoluta, vel in aliquo torrente vel alioquin in præterlabente aqua diu iacuerit, vitatur eius facultas, & de vi desiccandi detrahitur: siccantior autem efficitur, si ex aceto, vel vino giluo pellucido & tenui aliquâ tulum astringente, quale antiquitus erat Falernum, fuerit lora, nunc putarem non futurum ineptum vinum ex Peloponeso Venetias delatum, quod vulgo Romaniã vocant, & quod-

cun-

cunque aliud simile, si ex his inquam per æstam pluribus subinde diebus in sole teneretur: chalcitis verò longè hac magis desiccatur, quocunq; modo illa utatur medicus, siue vsta siue elota. Sed cū citra exustionem in vsum venit, acerrimum & valentissimum medicamentum est, adeò ut crustas perinde excitet, ut ignis. cū verò vritur, mitescit eius acris & mordax vis, ita ut facile à solidioribus & duris corporibus, ferri possit. Sed & minus desiccatur, quā cruda & quæ ignem non sit experta. Cū verò & post vstionem eluitur, mitior adhuc fit, & cuiuscunq; morsus ferè expers; minus tamen quàm illota desiccatur, ut mollioribus etiam corporibus possit esse vtile medicamentum. Ad id genus verò pertinent chalcanthum, quod à Latinis lutorium atramentum appellatur, soryque & misy, nisi quod chalcanthum alijs omnibus magis siccatur, magisq; astringit. huic succedit chalcitis, postea misy, deinde sory. unde sory his crassius est, atq; in omnibus imbecillius, misy verò chalcantho & chalcitide minus siccatur, minusque vrit & minus mordax est, in his tamen omnibus eadem ferè ratio est cum vruntur, & cum lauantur. Per vstionem enim primum, mox & longe magis per loturam domatur, & retunditur morsus omnium metallicorum: quāuis desiccatoria vis & ipsa remittatur, remittitur præterea & astrictio: non ta-



men omnino aboletur . Sed quod & diphryges antiquitus appellatur, in his medicamentis recenset Galenus quæ optima sunt ad vlcera curanda, quæ ob copiam influentis humoris ægre admodum cicatricem admittunt: ut pote quoniam valenter quidem deficcet, neque neque tamen valde mordax est, & præterea in signem habeat vim astringendi, quamvis non tantam, quantam habent chalcitis & chalcanthum, antequam vrantur. ærugo verò chalcitidi par medicamentum est, quantum ad robur & morsum pertinet: si vsta conferatur cum vsta chalcitide, & utræque etiam conferantur mutuo, quando nondum ignem expertæ sunt quippe quæ fortissima sunt medicamenta, ut pote quæ perire, ut ignis carnem vrant & cruftas concitant. Mutuo tamen alioquin hac ratione differunt, quòd ærugo valenter detegit, cuiuscunque verò astrictionis expertus est, cuius tamen particeps est chalcitis: vnà cum alijs, quæ illi cognata genere sunt. Alumen etiam satis abunde ficit, quia tamen valenter admodum astringit, nõ est eius admodum frequens vsus in curandis vlcibus, eius in quâ solius & citra aliorum misturam: sicut aliquando reliquis utebantur in vlcibus antiqui solis aridisque inspersis: præterea verò ab hoc vsu non sunt aliena, imo quammaximè utilia hæc, quæ & ipsa inter mineralia recensentur

æris nempe & ferri squama, & recrementum plumbi, & plumbum, omnia siquidem vitæ fati siccant, nihil tamen, aut parum admodum mordent. In hoc autem squama æris ab alijs differt, quòd abstergendi facultate prædita est. sed & chryfocolla appellata quam vulgo & aurifices & seplasiarij Arabico vocabulo boracem appellant, in his medicamentis, quæ inter mineralia vel metallica connumerantur, poni solet, desiccant enim fati, neque multum mordet. Ex alijs etiam simplicium medicamentorum differentijs multa possunt depromi nostro huic instituto facientia, quorum eodem quarto de Comp. medic. fit mentio, quia aut sine vilo morfu, aut sine multo saltem vim habent nõ modicam desiccandi, vt ichthyocolla, sarcocolla, sed etiam lapis specularis, cum comburitur, itemq; vstum vitrum. Sed & buccinæ ostrearum, & reliquorum id genus testæ combustæ citra vllum morsum nõ ingenerosè desiccant. Nõ modo ergo his medicamentis possumus in emplastris, vel vt nunc loquimur, in vnguentis vti, verum & ita aridis, & in pulcerem redactis atque, vlceribus, tum malignis, tum verò ægre contrahentibus cicatricem inspersis. Ex herbis quoque plantisque non pauca colligere possemus, sed nonnulla tantum proponemus, collecta tum ex Galeno, tum verò ex Dioscoride, relinquentes deinde labo-

rem auditoribus ex eorundem lectione: alia etiam huic negotio opportuna inde desumpta, huic loco addenda, & vt prætereâ in præsentia fructum Ægyptiæ spinæ, qui exsiccat quidem, sed non minus astringit, vtpote qui his locis incognitus sit: galla, quæ omphacitis hoc est immatura dicitur, exsiccat, & non parum astringit, item malicorium, & rhus, sed & multæ tum herbæ, tū radices, quas 4. de Compositione medicamentorum Galenus recenser, non parum exsiccant & astringunt, vt aristolochiæ radix, iridisque, item & acori, panacis, chameleontis nigri, cyperi, dracunculusque & gladiolus insigniter desiccant, sed generosius etiam centaurium, polium. Terris etiam aliquibus ad exsiccandum vtebantur antiqui, quorum aliæ magis, aliæ minus exsiccabant: ampelitis enim magis, cretrias autem minus: sed & Lemnia sphragis, vel sigillata terra, & armena bolus noningenerosè desiccant, lemnia tamen astrictionis non est expers, & citra mortuum hæc agunt. Possem cum his ponere lapidem hæmatitem & xistum & corallium & alia multa ex libris de medicament. simplic. facultatibus, & Dioscoride decerpta. itaq; 6. de fac. simpl. medic. Gal, ad curanda maligna vlcera plurimū valere ait, si cicer cum melle adhibeatur, itidem & lupinorum decoctū, prætereâ vero isatim mirificè quibuscunque malignis

lignis vlceribus resistere dixit, quamuis etiam putrida, vel excedentia sint. Sed quia interdum non potest ita sola ferri à quibusdam corporibus, vtpote quoniam validum sit admodum medicamentum, docuit etiam qua ratione mitigari eius vehementia possit, quatenus facilius feratur, nempe si tritis eius folijs panis immisceatur, hordeieue aut tritici farina, vel polenta. Septimo autem eiusdem operis libro dicit etiam decoctum albarum violarum esse vtile, si cerato misceatur, vlceribus, quæ ægrè cicatricem admittunt: malignis verò præter centaureæ minoris folia, arida & trita, cuius & superius meminimus: bratica, & eius succus vtilia medicamenta, item & hederæ folia viridia ex vino cocta. Dioscorides verò præcipue folia hederæ nigræ laudat, cortex etiam radicum capparorum à Galen. & à Diosc. facta ex eo cataplasmata laudibus multis effertur, nec non & papaueris corniculati folia & flores sordidis malignisq; vlceribus vtilia sunt. Nam eam detergendi vim habent, vt nisi posteaquam mundum factum fuerit vlcus, ab eis desistas, carnem puram eliquare valeat. At verò, polium aridum inspersum, præsertim verò illud quod minus est, cu rare maligna vlcera tradidit: poliũ verò quod heracleum nuncupatur, non modò hoc præstare posse ait: verum & ossa nudata carne con

regere. Sed & peucedani radicem vlceribus malignis easdem vires habere testatur, vt purgare possit vlcera, implereque & ad cicatricē perducere. Inō & osfium squamas abscedere facit: sed & scordium aridum illis vtile esse ait, & cordicem radicis solani, quod maniacū appellatur. nono verò de simpl. med. fac. vbi de chryfocolla agit, factitiæ cuiusdam meminit, quæ in mineris nequaquam effoditur, sed arte conficitur ex vrina pueri, quæ in æreo mortario confecto ex rubro ære, quod sanè tænerius & mollius est, pistillo item æneo circumducta eatenus atteritur, donec quasi de rasō, vel potius dissoluto de parte ære, vrina ad mellis crassitudinem deueniat, idque fiet facilis, si in sole, vel in calido loco fiat. Euadit autem medicamentum malignis & contumacibus summe vtile, vtpote vt multum ficcet, ne quæ tamen multum mordeat: potest autem in vsum venire & solūm citra aliorum complexum, & cum alijs etiam opportunis medicamentis commixtum. Dioscorides verò glandes laudat cum salitæ axungia: folia item vrticæ, si ex ipsis adiecto sale, fiat cataplasma, sed de simplicibus quæ his scopis at-

tinent, satis mihi hæc esse posse videntur.

*De compositione & usu eorum medicamentorum,  
quæ eisdem vlceribus contumacibus & ma-  
lignis curandis idonea sunt.*

*Caput IX.*

Ed tandem de compositis medicamen-  
**S**tis, quibus in curandis contumacibus vl-  
 ceribus possumus cum vtilitate & prospe-  
 ro successu vti, sermonem instituiamus. Quã-  
 uis enim si quis rectè & ex arte nouerit sim-  
 plicib. medicamentis vti in his vlceribus, quæ  
 propter influxionem egrè ad cicatricè duci pos-  
 sunt, & proinde diuturna fiunt, atque in illis  
 quæ vitiata temperaturæ vlcerae partis ma-  
 ligna iam euasere, illi interdum sola simplicia  
 possint esse satis: tamen vt Galen. 6. de comp.  
 med. secundum loc. cap. 3. testatur, interdum  
 mixturæ simplicium vtiliores sunt, quàm sit  
 simplicis vsus: præsertim cum non sit æquè  
 facile aptare simplex medicamentum oppor-  
 tunitati, quam requirit, tum ratio effectus, tũ  
 verò natura corporis & particulæ, & tempo-  
 ris & reliquorum, quæ cum his eandem ha-  
 bêt rationem: sicut facile est compositum me-  
 dicamentum accommodare variata ex arte  
 simplicium symmetria: & proinde de medica-  
 metis etiam compositis, quæ partim antiquis,  
 partim etiam iunioribus medicis solita sunt  
 venire in vsum ad curanda id genus vlcera, a-

gemus : hoc tanquam fundamento præcipue iacto, quod in his præcipuus scopus sit, vt insigniter desiccet, & quantum fieri potest citra mortem: deinde verò quia nunquam ferè est, quin in his vlcibus, non aliqua etiam succrescat sordes, necessaria est aliqua deterfio: tertio, quod tamen proprium potius est vlcibus contumacibus propter fluxionem superuacancorum humorum, quàm illis quæ maligna iam sunt, quamuis ab illis non sit alienum, nempe quod præterea opus illis est aliqua astrictio, vt fluxio auertatur repellaturque. Nam quando etiam maligna facta sunt, nequit fieri, quin ex imbecillitate contracta in vitiosa parte, ex vitiosis eius habitu & temperatura, à vicinis saltem partibus non confluant excrementa. Ideo neque inutilis est ipsis aliqua astrictio. Vnde ex his tanquam corrolarium quoddam deduxit Gal. 4. de comp. med. secundum gen. cap. 1. quod istiusmodi vlcibus nihil perinde aduersarium est, sicut quæ, oleosi generis, quæque maltacodea ab Hippocrate dicuntur, quasi mollientia dicas, in quibus præcipue oleum est, præsertim quod vetus non sit, atque adeo etiam adipem omnes præsertim verò suilla, vt pote quæ præ alijs molliat & laxet, minus autem exiccet: deinde de verò & resina, vt pote quæ licet desiccant, molliunt tamen & laxant: tertio verò cetera,

nam

nam & ipsa mollit. Quod si quis opponat, quod plurima Galenus medicamenta refert, quæ accipiunt resinas, alia quæ adipēs, nonnulla etiam quæ oleum, & aliqua quæ ceram. Dicam, quod hæc accipiuntur, vel propterea quia necessaria sunt, ut medicamentum formam sibi comparet emplastri, aut cerati vel unguenti, vel ut vires aliorum medicamentorum validæ, & maiores, quam requirat ratio medicamenti relati ad proprium scopum, contemperentur & mitigentur, & ad certum modum deducantur. Sæpe enim, ut eodem de comp. secundum gen. docuit Galen. fit compositum medicamentum ex aliquibus simplicibus, quorum quodlibet per se non modo ineptum est, sed etiam aduersarium ipso affectui curando: dum tamen postea rectè & appositè miscentur, ex eis optimum & maxime accommodatum illi scopo constat medicamentum. Sed particulatim hanc rem tractemus, ut etiam exemplis res apertior & clarior euadat. Primumque agemus de medicamento cuius auctor fuit Galen. idque quam plurimis effert laudibus, atque illis temporibus in plurimo usu propter maximam eius utilitatem in varijs vlcerum differentijs fuisse testatur, diuersis autem nuncupationibus ab eo fuit appellatum. nam & Phœnicinum emplastrum vocabat interdum, quasi palmeum latine di-



110 DE COMP. MEDIC.

cas: interdum verò, diachalciteos, quatenus quidem tum ex chalcitide, quasi ex præcipuis medicamentis, tum verò ex ramo & segmentis palmæ arboris conficiebatur: nunc etiam à nostris chirurgis introductum est in vsum, & vulgò diapalma dicitur. Conficitur verò ex oleo veteri, veterique adipe axungiaue, argenti spuma, & chalcitides, quorum vt ait Gale. symmetria est hæc. Acceptis libris duabus verrusti adipis, trib. autem olei veteris, totidem que argenti spumæ, chalcitidis verò trita & leuigatæ vncijs quatuor. Modus verò conficiendi est, vt adipis optimè prius mundati & percolati, exemptis nempe membranis librę duę mortario indantur, moxq; chalcitis inspergatur, atque oleum infundatur, illisque trita argenti spuma addita, omnia eò probè cõmiscantur, quo ad exquisitè in vnum coierint, postea translata in cacabum coquantur: hoc tamen in coquendo obseruato, vt ramo palmæ, dum coquitur medicamentum, vtamur tanquam instrumeto ad commiscendum conficiendumq; id emplastrum, loco quidem spathæ appellatæ, qua in consimilib. medicamentis parandis vti solemus: sit aut ramus viridis, à quo recisi circumquaq; ramuli, & minutim incisi, subindeq; cõrussi in medicamentũ, non statim vt feruere incipit, conijciendi sunt, ne consumatur eorum succus, vnde astringendi  
& re-

& repellendi vim medicamentum contrahit. Sed cum aliquando bullierit: ramus autē crassior, dum eo circumducitur medicamentū, & ipse ei impertitur suum succū & eandem facultatem, & proinde cū pars ea qua ducitur medicamentū videtur arida vi ignis facta, abscondēda est, vt illi altera quę adhuc viridis & humēs est succedat: ac ita dum coquitur medicamentū, subinde fiat. erit autē satis coctum, vbi ad id deuenerit, vt amplius nō coinquinet. Est autē medicamentum, quod quidē insigniter desiccare potest, nihil enim est quod non exiccat, nā argenti spuma minus alijs exiccat, & quantum ad ipsam pertinet modicam his vlceribus sua illa infirma siccandi facultate impertitur: accipitur tamen potius, vt sit tanquam materia apta ad confectionem emplastri, vopote quę per cocturam ex oleo liquefcatur. Oleum verò vetus & itidem adeps licet molliendi aliquam vim habeant & laxandi, at tamen quia præterea vim digerendi non imbecillam habent, digestis superuacaneis humoribus non parum faciunt ad desiccationem istorum vlcerum, quę insignem exquirunt desiccationem; ac ea propter vetera accipiuntur. Chalcitis verò cum cruda & citra vitionem accipiatur, & ipsa his vlceribus summe quantum ad eius naturam propriam atinet, aduersaria est: vt & adeps oleumque.

## DE COMP. MEDIC.

Nam hæc quia laxant & molliunt, illa quia erodit & vrit, vt etiam crustas excitet. mixta tamen, adeo vtrunque mitescit, & in quandam inter hæc duo extrema mediam naturam temperantur, vt inde optimum & accommodatissimum fiat medicamentum. Nam ab adipe & oleo morsus & acrimonia chalcitis obtunditur & mitescit, neque tamè propterea impeditur exiccatio: à chalcite vero, quæ vim habet non modicam astringendi, exiccandi quæ reprimatur & temperatur facultas molliendi & laxandi, quæ in oleo & adipe eo nomine vlcibus obesse poterant, quam & palmæ succus adiuuat, & ex his medicamento additur vis repellendi, ex qua consequitur, vt possit influentes humores arce- re: & subinde vt commodum sit, quando timenda est futura inflammatio, vel etiam quando iam incepit, habet præterea à chalcide aliquid, quod fordes detergere, & mundum vlcus reddere possit. Optimum ergo medicamentum erit ad omnia vlcera aliosque affectus, qui curatu difficiles sunt, ob fluxionem, ex qua reumatici affectus ac si defluxorios dicas, à prisca soliti sunt appellari. Cû verò maiora sunt effecta vlcera, & omnino cõtumacia, & ad cõtrahendam cicatricem per quã difficilia, fortius medicamentum requirunt, fortius autem istud euadet, si quatuor chalcitidis vncijs aliq-  
duz

duæ addantur vt sint sex. Nam & magis defici-  
 cabit maioremque vim repelliendi habebit, &  
 detergendi, & sicut hoc pacto fortius fit medi-  
 camentum: ita & remitti præterea facile po-  
 test: si emplastrum ex aliquo aceto dissoluatur  
 atque adeo vt facile possit euadere præstans me-  
 dicamentum ad glutinanda vlcera vel vulne-  
 ra, quæ per agglutinationem curari desiderant,  
 imò cum per tale olei mixturam pro diuersa ra-  
 tiõne & portione olei additi poterit accomoda-  
 ri omnibus id genus vlcerebus, vulneribusque om-  
 nibus temperaturis & ætatibus, quatenus aut va-  
 lentius aut mitius per hunc modum fiet: imò in-  
 terdum fit magis digerens, interdum magis re-  
 pellens & astringens ratione diuersitatis olei,  
 quo emplastrum dissoluitur: si enim ex oleo ve-  
 teri aut cicino, aut alio simili dissoluatur, ma-  
 gis digerens erit, & magis accommodatum incli-  
 nantibus inflammationibus & fluxionibus:  
 si autem oleo rosaceo omphacino aut me-  
 lino, aut myrthino, aut alio astringenti, ma-  
 gis repulsiuum erit, & magis opportunum  
 incipientibus & incrementibus fluxionibus  
 inflammationibusque. Sed si dissoluatur oleo  
 dulci & communi, non veteri, in hæc medio-  
 critatem seruabit, & magis anodynum hoc esse  
 doloris mitigatorium erit, sed de eo satis lo-  
 quuti sumus: vnde tempus opportunum erit,  
 vt ad alia transeamus, nam si quis plura audire

voluerit, adeat Galenum primo de compoſ. medic. ſecundum genera cap. 2. Et quia circa medicamenta à Galeno deſcripta verſamur in præſentia, qui teſtatus eſt ſimilem ferè facultatem habere emplaſtrum, quod fit ex ſpuma argenti & œnelæo, parata & trita, ac ſubinde leuigata & cocta, hoc eſt ex vino antiquo & aſtringenti & oleo, donec liquata ſpuma, vt ſuperius diximus argenti, ad compagē emplaſtri deuenerit: de hoc quoque nonnulla verba faciamus. Sed de confectionis ratione non eſt, cur multa dicamus, cum idem ſit modus, qui & cum fit ex hydrelæo, vel oxelæo, de quibus ſuperius multa verba fecimus. Sed hoc conſiderandum eſt, quod quia vlcera, de quibus in præſentia agimus, quæque dyſepulera vel maligna dicuntur, egent medicamento generoſe exiccante, dum tamen id citra morſum fiat. Citra morſum quidem omnino hæc ſiccant, ex quibus conficitur emplaſtrum, non habet tamen inſignem vim exiccandi, niſi partim à vino, à quo item & vim aſtringendi & repellendi ſibi comparat, partim verò ex ipſa coctum: nam quo diutius coquitur, eo etiam ſiccantius fit medicamentum, longiori verò opus eſt decoctione, vt ad formam emplaſtri deducatur, quando maior effunditur copia, tum vini, tum olei: vnde vt pares vires palmeo emplaſtro, & hoc de quo agimus

agimus assequeretur. Galenus solebat per quindecim subinde dies semper vinum & oleum sicut absumebantur vti ignis, affundendo coquere, idque præsertim in sole, ita enim & generosè exiccans medicamentum reddebatur, & non parum etiam astringens & repellens. Quare perinde efficax & ad eadem ferè vtile euadebat, imò, & eodem modo administrandum, nam si ad pura vulnera conglutinanda erat vsurus, illud ex oleo liquabatur: interdum etiam ad repellendas inflammationes ex astringentibus oleis: illis vero inclinantibus, ex digerentibus, vt antiquo, vel cicino: nisi quòd hoc præterea considerandum est, quòd quatenus pertinet ad eam vim qua lordes ex vlcibus est detergenda, & vlcus mûdum reddendum, hoc palmeo longè infirmius est: nam si aliquid in isto est, quòd possit detergere, est vinum, quòd voluit eligi Galenus tenue & partium tenuium, vis enim deterforia ortum habet à partium tenuitate, quæ si cum aliqua astrictione sit coniuncta, fortius agit, cum astrictio cogat partes illas tenues demergi in profundum, nequit tamen vinum æquari in hoc chalcitidi. Vnde si vlcus sordidum ita esset, vt requireret infignem aliquam purgationem, id valentius præstaret palmeum, vel ex chalcitide emplastrû. Quia verò sunt multi ex nostris iunioribus,

qui summopere laudant medicamentum ab Avicenna quarta fen. quarti can. descriptum: vbi de vlcereb. egrè admittentibus cicatricem malignisq̄ue agit: ideo de illo & nos pauca dicemus: nempe de facultatibus eius. Componitur autem in hunc modum. Accipit cadmiæ, chryfocollæ, aluminis, singulorum drachmas octo, æruginis rasæ, quæ viride æris à iunioribus nuncupatur, vtrunque autem assumi ipse voluit, & eam quæ deraditur, & illam quæ spontè decidit ab ære: singularum autem ipsarum vltarum drach. j. gummi cupressi drach. quatuor, ceræ, olei rosacei, vel myrtini singulorum quantum satis fit. Medicamentum, si diligenter æstimeretur examineturque: generosè quidem desiccatur & parum abest, quin sit morsus expers, moderatè etiam detergit & astringit. Nam vt à desiccatione incipiam, nihil est ferè in eo quod non satis generosè exiecit, cadmia enim, vt cætera omnia metallica medicamenta non parum desiccatur: de chryfocolla verò itidem Galenus nono de simplicium medicamentorum facultate ait, illam esse præditam digerente & desiccante facultate, desiccatur præterea generosè & alumen, quamuis crassiorum alioquin partium sit, quæ tria sunt præcipua medicamenta, & quasi, vt iuniores loqui solent, basis medicamenti, sed ærugo potenter siccatur & cupressi

preſſi reſina vel gummi, detergit verò cadmia  
 vt ait Galenus, mediocriter, potentius autem  
 chryſocola, vtpote, quæ etiam carnè eliquet,  
 & alumen detergendi facultatem nullam ha-  
 bet, ærugo verò eam maximè inſignem, vtpo-  
 te quæ vrat & cruſtas concitet: nec modò ſor-  
 dem, verùm etiam carnè liquat & erodit. Sed  
 cum viſa vtraque accipiatur in medicamen-  
 to, non parum de vi & acrimonia per viſionē  
 detrahitur, quemadmodum etiam ſuperius  
 ex ſententia Gal. præſertim 4. de comp. med.  
 per genera expoſuimus: aliorum comparatio-  
 ne non multa copia eius accipitur. Si enim cū  
 illis ſingulatim comparetur, illa ad ſingulorū  
 aliorum metallicorū medicamentorum quar-  
 tam partem accedit, ſed ſi ad vniuerſam medi-  
 camentorum omnium aridorum miſturā, eſt  
 15<sup>3</sup>. tantum pars, cum & floſ & viride æris ſin-  
 gula pendant drachmam: vniuerſa verò mi-  
 ſtura ad drachmas triginta accedat, vnde tan-  
 quam alia adiuuātia potius apponuntur, quā  
 vt præcipua in medicamento ſint, longè autē  
 minus detergit medicamentum, quia omnia  
 quidem præter oleum & ceram ſiccant, & ple-  
 raq; generoſè: alumen verò non modò nō de-  
 tergit, verùm potius reprimat deterſoriam ali-  
 orum medicamentorū vim aſtringendo. reprimat  
 præterea & cupreſſi reſina, tum aſtringē-  
 do, tum etiam quia reſinæ omnes aliquid mol-



lientis habent, ex alumine verò & ea resina,  
 præterea ex rosaceo myrthinoue oleo id asse-  
 quitur medicamentum vt astringat repellat-  
 que: quamuis quodcunq; oleum fuerit, quod  
 accipietur, efficiet vt in caliditate magis tem-  
 peratum reddatur, sicut autem minor est vis  
 detergendi quàm desiccandi: ita minor astring-  
 gendi, quàm detergendi. Insigniter ergo exic-  
 cat, modeste detergit, modicè astringit: nem-  
 pe quantum possit satisfacere ad repellendos  
 si qui influant ad ulceratam particulam, vitio  
 si succi. Quare erit optimum medicamen-  
 tum ad dysepulora & maligna vlcera: si mo-  
 dò id quòque habuerit, vt citra morsum, aut  
 saltem citra insignè morsum sit, adeo vt vlcus  
 minime irriteretur, quod neque in illo etiam de-  
 sideratur. Nam cadmia modice admodum  
 mordet, sicuti modice detergit: chrysocolla  
 verò etsi valenter detergat, non tamen vt no-  
 no de simpl. medic. fac. tradidit Galenus, insi-  
 gnem habet morsum, sicuti & flos æris & æ-  
 rugo non potest plurimum mordere, tū quia  
 modica copia eorum medicamento inijci-  
 tur: tum verò quòd cum vruntur, mitescant  
 non parum: cui & id addamus, quòd cera, ole-  
 um & resina, & ipsa non parum reprimunt  
 horum medicamentorum acrium mordacem  
 qualitatē: nisi quòd & magis particulatim  
 de cera & oleo sermo habendus est, quia neq;

Auicen-

Auicenna neque iuniores pondus, vel mensuram olei vel ceræ præscribere: & id mea quidem sententia, quia medicamentum hoc potest valentius & infirmius additis pluribus, vel paucioribus oleo & cera fieri, atque ita omnibus corporibus accommodari: nempe tã duris & robustis quàm teneris & mollibus, quia quo plus aridorum medicamentorum cerato, hoc est mixturæ olei & ceræ additum fuerit, fortius erit medicamentum: quo minus autem infirmius & mitius, sed nos quomodo istius rei determinationem & definitionem à Galen. 2. de comp. medic. per gen. ubi de viridibus vnguentis sermonem habet, sanè petemus, qui confecto cerato ex resina et cera, illi secundum variam proportionem æruginem, quæ nullam sit experta vstionem, interdum acrius & magis detergens medicamentum conficit, interdum leuius & mitius. Nam ad robusta & dura corpora curanda octauam partem æruginis cerato indere docet, vt si tribus cerati 3. tres æruginis iniiciantur 3. si vero duodecima, nimirum, vt 3. duæ æruginis tribus cerati vncijs assumantur, mollibus corporibus poterit esse aptum medicamentum. Sed si duodecima pars apponatur, vt si viginti drachmis cerati duæ addatur æruginis, medium erit inter duo priora medicamentũ. Sed hoc, quod longè ex mitiori materia constat

quam sit viua ærugo, longe maiorem copiam poterit aridorum medicamentorum vtiliter admittere, cum cerato commiscendorum: cū etiam ex oleo magis quam ex resina mitescere possint acria medicamenta. Vnde si aridorum octauam ad ceratum portionem addiderimus modestum & ferè cuiuscunque mordacis qualitatis expers & medijs corporibus erit idoneum: si decimam, illud & tenera corpora facile poterunt ferre: sicuti dura & sicca, sextam vel septimam confectio. Quamuis Galenus quarto de compositione medic. secundum gen. cap. secundo, referens confectioem cuiusdam medicamenti, quod tanquam valentissimū ab eo iudicatum est. constat autē ex squama æris & ærugine accepta earum singulorū ʒ. & illis assumpris ex semilibra ceræ emollita ex sesquiuncia lariceæ resinæ, ait, quod quādo cera tripla ad metalla accipitur: valentissimū quidem medicamentū est, quod poterit esse accommodatum vlcerib. valde malignis, sed si quadrupla accipiatur cera. moderatum erit, & aptū curationi eorū vlcerum, quæ non admodum sunt maligna, moderatius adhuc futurum, & idoneum vlceribus quæ egrè quidem cicatricem contrahunt, nondum tamen maligna sūt. Possemus & alia innumera ferè medicamenta, q̄ ab hoc loco nō essent aliena, referre. Sed nimis excresceret is liber; & hæc iuueni-

iuuenibus mediocriter in arte medica eruditis fatis esse possunt. Nam his tanquam exemplis vsi & reuocatis in memoriam illis, quæ in prioribus capitibus in vniuersum sunt exposita facillè & ipsi quæcunque in præsentia esse in vsu diuersis, quibus occurrerint chirurgis, viderint, examinare poterint & iudicare. Nam ferè innumera sunt medicamenta, quibus in affectibus solent vti diuersimodè, pro diuersa ratione eius qui vtitur paratis. Tum igitur hac de causa, tum etiam quia multa inferius erit necesse describere examinareque medicamenta, quæ licet difficilioribus & malignioribus, quàm hæc sint, de quibus nunc agimus, sint magis accommodata: possunt tamen & in hos vsus commodè transferri ab eo, qui probe eis vti nouerit, cum possint arte tractata, vt hæc tenus non semel ostendimus ex Galeni præceptis mitiora facillè reddi. Quare ad alia vlcera accedemus, quæ coniunctas habent certas quasdam circumstantias, à quibus certa quædam nomina sortita sunt, ex quibus significatur, qualis sit ea malignitas, vel quodnam sit id quod cicatricem impediat: & quia illa quæ à iunioribus virulenta dicuntur, quæque tenui & quasi ichoroso humore madent: vnde fit vt ægrè ad cicatricem duci possint, possunt ad hoc caput ferè adduci. curantur etenim per ea quæ insigniter exsiccant: idèo fit

tim ad ea medicamenta explananda transibimus. quibus vtuntur vulnerarij medici ad curanda vlcera sordida.

*De compositione & usu eorum medicamentorum, quibus sordida vlcera curanda sunt. Caput X.*

**Q**Vamuis si rem rectè æstimare voluerimus, aut prorsus, aut ferè nullum sit vlcus, quod non aliquantulum sit sordidum, quia vt Galenus docuit, & nos superius exposuimus in omni vlcere duplex generatur excrementum, tenue, quod virus à iunioribus. & crassum, quod sordes à Latinis omnibus, *πύμα* & verò à græcis passim dicitur. quia tamen in his excrementis procreandis non est omnium vlcerum par ratio. in aliquibus enim tenuioris excrementi longè maior copia factet, quæ etiam impedimento est ne facilis curatio reddatur: in alijs verò longè maior copia sordis, quæ remoratur & impedit inductionem cicatricis. Quando ergo difficultas curandi vlceris à multa sorde habet occasionem, & eius indicatio alijs omnibus vim habet maiorem, hanc nuncupationè vlcus sortitur: quod vlcus sordidum nuncupatur. De his ergo medicamentis præsentem sermonem habebimus quæ apta sunt his vlcerib. curandis, quo nempe

pe modo illa ex methodo sint componenda, & ex methodo sint deducenda in vsum. Sed quæ prima cuiuscunque methodi fundamenta sumuntur ab ipsa rei natura: ideo non alienum à nostro instituto fuerit, si de generatione sordis primum aliqua dixerimus: postea verò cur copiosa exuperet in ulcere sordes, & supra quàm requireret ratio communis ulceris. Nam ita postea facilius poterimus, non modo genitã sordem detergendo detrahere: verùm & obistere, quo minus in tanta copia generetur. Sæpius ante retulimus Galeni sententiam in hacre, quòd in omni corpore quantumvis sano ex alimento præter partem illam & maiorem sanè, quæ in substantiam corporis quod alitur, quotidie conuertitur, reliqua semper est aliqua pars, quæ exquisitè conuerti in vtilem & alendo corpori idoneam materiam nequit. Et quemadmodum substantia cuiuscunque corporis mixti, quod alitur, duplici constat materia, altera quidem humida aquea & fluida, quæ continuitatis partium in causa est & quæ veluti pabulum est natiui caloris: alia verò crassiori & magisterrestri, quæ soliditatè & crassitiem, & consistentiam illi præstat: ita necesse est, vt alimentum quo corpus itidem alendum est, duplici cõstet substantia illis duabus ex proportionè respondentè, atque ita etiam duplex relinquatur excrementũ: alterum

quod ex ea parte relinquitur, non probè concocta & elaborata, quæ tenuior est & humidior: alterum verò ex crassiori. Et quia dum bene valet corpus & probe circa victum se habet, non in multa copia neque admodum crassa consistentia generantur hæc excrementa, neque ita conspicua eo tempore sunt, cum autem ex aliquo malo affectu vires aliquanto sunt imbecilliores præsertim concoctrix, maior exuperat & magis conspicua istorum excrementorum copia. Et hæc sanè est ratio cur generetur duplex hoc excrementum. Sed cur in tanta copia, vt iam propriam & præcipuam indicationis rationem asciscant, mox exponamus. non est autem istius rei vnica & simplex ratio. Nam id potest aut ab externa causa ortum habere, aut ab illa quæ in ipso corpore consistat, & causæ quæ in corpore consistunt, aut in vniuerso corpore, aut in aliquibus malè affectis particulis impellentibus sua excrementa ad vlceratam particulam. Ex externis quidem causis sordes copiosa occasionem habet, quando ex mala curatione, atque ex non rectè administratis medicamentis id accidit. Duplex verò est ratio medicamentorum, quæ vim magnam habent ad plurimam in vlcerebus sordem generandam, quæque vires inter se ferè aduersarias habent. Nam ex pinguium, mollium humectantium emplasticorumque

vfu

vsu importuno, plurima succrescit fordes. Cū enim horum vsu plurimo humore scateat vlcus, ille tandem vi caloris loci concrefcit in fordem. Ita etiam contraria quadam ratione ea medicamenta, quæ immodice detergunt, quæque acriora sunt, fordem augent. ea siquidem vt quarto de compositione medicamentorum secundum gen. testatus est Galenus, carnem colliquant, quæ deinde ex colliquatione dissoluitur in prauos ichores, qui digestis & dissipatis vi medicamenti partibus, quæcunque consistentia tenuiores erant, circa vlcus concrefcetes in fordem transeunt. Ex internis verò causis multa gignitur fordes: si aut corpus vniuersum multis vitiosisue humoribus scateat, vel aliqua alia male affecta particula multa excrementa ad vlcera locum, tanquam ad partem imbecillio rem continenter amâdet: aut ex aliquo vitio proprio loci vlcera, quod in causa est, quod alimentum vel etiam probum in mala excrementa vertatur. Nā aut ibi quasi computrescit, aut exurit, aut femicrudum relinquitur, pro ratione diuersitatis vitiosæ intemperaturæ in illo loco contractæ. Nemo autem est qui non videat, quòd fieri nequeat vt vnus sit medicamentorum modus, vel natura, quæ accommodanda sit huic affectioni, quæ licet vnum habeat symptoma genere, tamen differentiam capit & diuersas.



habet & differentias: immo etiam inter se aduersarias. Vnde quantum ad ipsam generalem fordis rationem habet sanè vnã cõmunem indicationem: nempe omnino detergendum esse vlcus, vt purum reddatur: non tamè modè idem erit modus offerendorum detergentiũ. Nam si ex importuno mollientium vsu succreuerit fordes, exsiccantibus & detergentibus erit opus, atque illis valentioribus: quatenus & magis fordidum & magis humidum vlcus euaserit: & sicut paulatim siccius & purius fit, ita etiam minus detergentibus & minus siccantibus erit vtendum, si tandem in naturalem statum volumus particulam adducere: alioquin enim in contrarium excessum adducemus: præter id, quod vlcera quò solidiora sunt, eò, vt exposuit Galenus ibidem, facilius acriora & valentiora detergentia medicamenta ferunt. fordes enim quasi vallum tueretur subiectam carnem, & acrimoniam medicamenti non parum retundit. At verò si ex acrimonia, & vehementia medicamenti eliquata caro in fordem degenerauerit, detergentibus quidem sed leuioribus & mitioribus erit agendum. illis quidem quæ possunt fordem factam auferre, non tamen tantam deinde vim habent, vt carnem dissoluant & colliquant. neque hoc prætermittendum est quod itidem docuit Galenus his argumentis cognosci forde habere occasionem

nem à nimia vi medicamenti: nempe quod vl-  
cus semper magis concavum fit, quòd quæ vl-  
ceris labra & calidiora & rubentiora fiunt, vt  
quasi iam initia inflammationis excitentur.  
Quod si aliunde, vt ab vniuerso corpore, obe-  
ius plenitudinem, vel cacochymiam originè  
habeat copiosa sordes, quatenus ad sordem au-  
ferendam pertinet, omnino indicatur deter-  
gentibus esse agendum: sed prius rationè ha-  
bendam fomenti, quod illa aliunde habet. Vt  
de primum inaniendum, vel expurgandum  
erit vniuersum corpus illis, quæ videatur ma-  
gis exigi à ratione plenitudinis vel cacochy-  
miæ: de quibus agere ad hunc locum non vi-  
detur pertinere: itidem etiam si ab vna, vel plu-  
ribus particulis defluerent excrementa, tum  
vacuatione, tum reuulsione intercipere aut a-  
uertere oportet eam fluxionem, atque subin-  
de, si in mandante particula esset aliquis affe-  
ctus, vnde generarentur copiosa illa excremè-  
ta, illi occurrendum esset. Verùm quantum  
ad localia vlceri opponenda, non solum, ex de-  
tergentibus illa essent conficienda, sed & ali-  
qua repellètia essent addenda: præsertim post  
aliquam corporis vacuationem, vt repellan-  
tur influentia excrementa. Postremò verò, si  
in ipso vlcere esset vniuersa ratio sordis, vel ob  
calorem putrefacientem, vel exurentem, vitia  
hæc prius essent tollenda, de quibus vitij con-

ferendis suo loco sermonem habebimus. In  
 præsentia enim particularim de ratione com-  
 positionis eorum medicamentorum agemus,  
 quæ apta sunt expurgandis sordidis vlceri-  
 bus. De quibus hoc primum accipiendū tan-  
 quam constitutum, quod quæcunque deter-  
 gendi facultatem habent, ea tenui substantia  
 consistere opus est, & tenues partes habere. est  
 enim abstergens astringenti, vt docuit Gale-  
 nus lib. 5. de Facultatibus simp. medicam. cap.  
 II. contrarium. astrictio verò vt idem 7. eiusdē  
 ait, & aliàs etiam, sæpe opus est crassæ & terre-  
 næ frigiditatis. vnde cum in partium tenuita-  
 tem referatur vis abstergens, ideò sicuti calida  
 aliqua, & frigida etiam aliqua tenui constant  
 substantia: ita neque omnia abstergentia cali-  
 da, neque omnia frigida: sed interdum hæc, in-  
 terdum illa, vnde & amara ferè omnia, quia a-  
 maritudo semper in tenui substantia attenua-  
 ta à colore consistit, aliquid deterforij habent,  
 Sed & dulces succi, quicunque tenues substā-  
 tia sunt detergunt, vt mel & zacharum: præte-  
 rea & quæ acidum saporem referunt: vnde 7.  
 de comp. med. secundum locos Galenus ait,  
 quod medicamenta, q̄ sunt succi crassioris de-  
 terforionem impediūt. Multa verò est detergen-  
 tium diuersitas. Nam præter id quod aliqua  
 calida sunt, aliqua frigida, non nulla sine villo  
 ferè morfu detergant, alia cum modico morfu  
 quædam

quædam cum insigni morfu & dolore. Præterea multiplex est detergentium ordo: quia ali qua parum admodum, alia mediocriter, alia validè detergent. Moderatissimè detergent farina hordei, fabarum, cicerum, fæni græci, semen lini torrefactum, mulsæ plurimum diluta. His aliquantò magis farina crui, & lupinotum, myrrha, cadmia, succus apij, terebinthina, resina laricea, amara amigdala. sed magis ad huc iris, radix panacis, aritholochia, mulsæ mediocriter diluta. nam eo magis extergit, quò minus diluta est. ista præterea vincunt in detergèdo, spuma nitri, aphronitrum, & nitrum id quod tenuium partium est, vt erat quod berennicarium antiquitus appellabatur. Detergit non parum sal, quod & astrictionis non est expers: generosissimè extergunt, ita vt & carnem eliquant & vrant, ærugo, flos æris, chalcitis, milti, sandaraca, auripigmentum, atramentum lutorium, quæ & mordacissimæ sunt, ita vt & crustas excitent, si crudis illis, hoc est nõ vltis neq; lotis vtamur: sed si vrantur, minus mordacia, atq; minus detergentia euadunt. Si autem post exustionem lauentur diligenter, adhuc minorem detergenti facultatem retinent, sed & morfus omnino expertia redduntur. Hæc itaq; sunt simplicia, quæ detergèdis vlceribus esse vsui solent, distincta per suos ordines. Noluimus autem longiores esse, in dis-

cernendis calidis à frigidis, quia ferè omnib. qui vel à limine medicinam salutauère, nota sunt, vel si alicui aliqua parum sint nota, nemo est, qui Gal. aut Paul. aut Aetium, aut Auic. aut Serapionem non habeat, vnde facillimè & citissimè possit addiscere. His ergo medicamentis aliquando solis & simplicibus vti solèt medici: præsertim illis quæ mitiora sunt, interdum verò & sæpius tanquam materia ex quibus composita cõficiuntur. De quibus paulò post sumus habituri sermonem, prius n. hoc, quod non indignum scitu est, mihi videtur exponendum, de promptu ex Gal. 5. de facul. simplic. medicamen. cap. 12. Nam ad præsens institutum non parum facit, illud verò est, quod detergentium duplex est differentia, quæ tamen non distinguuntur nisi ratione maioris vel minoris. sunt enim aliqua tantum detergentia, utpote quæ vim habeant, ut sordem detrahant, siue in cute illa suboriatur, siue in ulcere. neque vltius progreditur eorum vis. Nempe ut præterea possint obstructos & infarctos meatus expurgare, & ab infarctu & obstructione liberare, & in hoc genere sunt ea quæ partes aliquas, vel qualitatem aliquam nitrosam habent. Sunt & alia quæ maiores vires habent, utpote quæ non modo exterius adhibita vim habeant à cute vel viceribus subcrescentem sordem detergere: verum & interius assumpta, vias & meatus maiores, ut sunt venæ, præsertim quæ per viscera di-

geste sunt, expurgare & extergere, & ab obstructionibus quæ ex crassis & lentis excrementis in eas infarctis concitatae sunt, possunt liberare: sunt autem hæc partium subtiliorum quam priorum, & viribus valentiora, & magis *καθαρτικά καὶ ἀποφρακτικά*, hoc est expurgantia & deobstruentia, in quo genere, tum nitrosa, tum amara continentur. Sed & alia inter hæc duo genera, ut ibidem testatur Gal. intercedit differentia, quod ad priora, quæ ita absolute deterfiora soliti sunt prisca medici appellare, adeo nulla adiuncta nitrosæ naturæ astrictione egent, ut ab illa potius impediatur deterfio, & id, quia cum in extremis partibus, ut est cutis, & sub ea etiam caro, meatus sint adeo angusti, ut ab attringente qualitate, cui statim illi occurrunt, prius concludantur, quam possint; ut res exposceret, detergi expurgarique, præter id quod sordem magis inculcant & affigunt ipsi ulceri: at in visceribus meatus & viæ ampliores sunt, quales sunt in vasis: & proinde nihil potest astrictio moderata impedire; quo minus partes tenuiores in quibus sita est vniuersa vis aperiendi & extergendi inferius penetrare, & suo fungi officio possint: imò præterea & non parum utilis est; tum quia robur visceribus addit, tum etiã quia in causa est, ut etiam intimius, sicuti sæpius in prioribus libris fuit expositum, se insinuent atque penetrent.

Sed iam opportunum erit, vt particulatim ea composita medicamenta describamus, quæ in frequentiori vsu sunt, vt tamen à facilioribus & illis, quæ magis à morfu sunt aliena incipiamus, subinde verò & ad acriorum & vehemētiorem expositionem accedamus, vt pro ratione multitudinis sordis & pro diuersa eius natura in crassitie & contumacia accommodata medicus possit detergentia medicamenta cōponere, aut deligere: verum quia sordem nonnunquam mundo linteo, interdum lotionibus detergimus, de his primum aliqua dicenda sunt: linteum itaque accommodatius erit, si mundum ex lixiuio fuerit factū, nam inde vim maiorem siccandi & detergendi comparat, nempe ex lixiuio. Medicamentorū autē compositorū detergentium, eorum nempe, quæ moderata sunt, quæ ex illis cōficiuntur, quæ nō admodū acria & mordacia sunt, ferè materia est mel aut crudum, aut coctum, & nostris temporibus mel rosaceum colatum. Nam eo frequentissimè in lotionibus vtimur, sæpe etiam in medicamentis alijs. Ea verò differētia est, vt minus acre, & minus deterforium sit, quando coquitur, quàm quando crudum, & ipsum quidem secundum suam naturam simplicioris quantum fieri potest temperaturæ & facultatis, vt septimo de Facultatibus simplicium medicamentorum dixit Galenus, deterforiæ est. vnde  
 accom-

accommodata admodū abluendis vlceribus, quæ detergenda sunt, est mulla: sed & oxymel deterforium est, vt decimo tertio meth. ait Galenus, medicamentum & citra morsum. verū eò potius vtuntur medici, ad ea vlcera, quæ nō modo sordida, verū & prona in putredinem sunt, lauant etiam interdum & vino mulso: verū vt idem secundo ad Glaucon. testatus est, mullum vinum magis commodum præcipuè in sinibus abluendis est, cum iam eò adducti sunt, vt incipiamus de agglutinatione esse solliciti. Mel verò rosaceum, quod à iunioribus nostris sepe accipitur in confectionibus horum medicamentorum, interdum magis mordere solet, quàm mel simplex, præsertim verò coctum: & id fortasse quia cum acquirat vim astringendi ab rosis, & ex succo ipsarum, non nihil etiam insuper deterforij addatur, magis exasperare vlcus potest, præsertim cū non multa adfuerit sordes, vnde alij potius syrupo rosaceo ex succo rosarum confecto pro melle vtuntur, cum mel rosaceum nimis mordet: fortiora verò lauacra sunt, aqua marina, magis etiam muria: præterea verò & lixiuium vt iam putrescentibus vlceribus commodè adhiberi possint. Sed de his satis pro ratione nostri instituti egimus. De compositis ergo medicamentis agamus. Facile ergo & satis familiare medicamentum erit, & præ alijs simplex



quod ex terebinthina, & melle vel crudo vel cocto, vel rosaceo conficiunt in hūc modum, accipe terebinthinæ, mellis rosacei singulorum sesquilibram, quæ coquantur, donec simul commisceantur, postea tantum farinæ hordaceæ addatur, quantum possit esse satis vt fiat molle vnguentum, vt iuniores loquuntur, vel emmotum, vt antiqui: nempe vt linamentis possit excipi, & per unque satis erunt vaciæ quatuor, vel circiter. Sed si volumus aliquantisper minus mordax efficere, præsertim si sit aliquis calor in vlcere, exquisitè lauda erit terebinthina, nam ita minus acris & calida reddetur, & si à melle rosaceo morderi videbitur vlcus, melle simplici utemur. Nam in confectione medicamenti coquitur vna cum terebinthina. Aliqui & parum croci addunt, vt aliquid præterea concoctorij medicamentum habeat. Interdum verò iuniores nostri, vt medicamentum vires detergendi maiores habeat, succum apij, sicuti semunciam, alij præterea addunt thuris nonnihil, vt crocum in coquendo iuuet: præterea & drachmam sarcocollæ vel etiam myrrhæ tantundem. alij præterea & Aloen, in qua præter vim desiccandi & detergendi est etiam vis astringendi & detergendi, vnde roborare possit nostram particulam, & repellere influentes superuacuos succos. Alij verò irin, nonnul-

li præ-

si præterea & aristolochiam, quidam enim horum plura, alij pauciora priori medicamento addunt, & alij plus terebinthinæ indunt, quâ mellis, alij par vtriusque pondus. Quidam autem & oui luteum, quod quamuis & ipsum concoquat & acrimoniam mitiget, subindeque dolorem, & ita solebat vbi que ferè paratum seruari: facillè tamen corrumpitur & putrescit. Sed quæ præter illam primam confectio- nem à medicis adijci solent, exquisitè terenda sunt, & in tenuissimum puluerem redigenda, & post colliuationem & commixtionem terebinthinæ & mellis addenda, & bene miscenda. Hoc tamen est aduertendum, quod etiam paulò superius monuimus: nempe quod his temporibus & his Europæ regionibus in quibus non multam habemus terebinthinæ copiam, nostri medici pro illa passim vtuntur laricea resina, neque hoc multum refert. Nam sæpe Galenus in lib. de comp. medic. secundum gen. nos monuit lariceam resinam, si ea bona & clara sit, proximam ita esse ad terebinthinam, vt sine aliqua noxa altera pro altera facile possimus vti, hæc est ergo cõmunis, & ferè vulgaris ratio medicamento- rum detergentium sordem succreicentem in vlceribus. Ex metallicis etiam ütius generis medicamenta fieri solent, quæ etsi vires valentissimas habeant, & eas quæ nõ modò or-

dem, sed & carnem detrahere possint, sicut ea sunt, quæ in postremum ordinem fuere relata, mixtura tamen aliorum adeo mitescunt, ut purgandis commodè etiam vlceribus, & fere citra morsum possunt esse vtilia. In frequentiori verò vsu sunt, flos æris, ærugo, squamma æris, & æs etiam vltum. Sed de his quæ æruginem accipiunt in præsentia sermonem habeamus, & præter id quod huic medicamentorum formæ, quorum nuper meminimus, possit aliqua rasæ æruginis portio, ut vim maiorem detergendi sibi comparent, addi: puta si vnciæ confecti medicamenti injiciatur semidrachma æruginis, vel duo scrupuli, vel interdum etiam plus. Viridia tamen emplastra vel medicamenta, de quibus longum Galenus 2, de compositione medica. per gen. sermonem habuit, huic officio sunt præsertim idonea, quorum confectio multiplex est. alia enim simpliciora sunt, alia verò multipliciorem confectionem habent. Simplicissimum illud est, cuius ibi exempli causa ille meminit, & eius compositio in hunc modum se habet. Conficitur prius ceratū ex oleo simplici, vel rosaceo, & cera, illis secundum eam symmetriam colliquatis & mixtis ad ignē, ut emmotū; vel molle fiat medicamentū, quantū sit futurū idoneū & aptum nostro vsui, postea illi additur tantum æruginis, quantum nobis ostendunt indicatio-

dicationes, tum à multitudine & pertinacia  
 sordium, tum à natura vlcerati, tam corporis  
 quàm particulæ, quia si vlcus magnum sit &  
 multam malignamq; sordem habuerit, acri-  
 orerit medicamento opus: leniori verò, si par-  
 uum & non valde sordidum. Item si corpus  
 tenerum & molle fuerit, aut particula, quæ vl-  
 cus habet, validum medicamentum sine no-  
 xa non poterit ferre. Vnde cum istius medica-  
 menti vniuersa ferè vis fit in æruginè, ab ea  
 copiosiore vel pauciore habebit, quod magis,  
 vel minus acre sit, magis vel minus detergat.  
 Pro ratione ergo vlcis, vel corporum Gale-  
 variandam docuit mixturam æruginis ex cera-  
 to. In teneriorib. enim & acriori sensu prædi-  
 tis corporibus satis erit, si duodecima pars æ-  
 ruginis cerato adijciatur, vt si cerati libræ æ-  
 ruginis vncia immisceatur: siccioribus autè  
 & robustioribus corporibus, medicamentū  
 hoc erit iusto imbecillius. Vnde illis decima  
 parte æruginis cerato addita, satis erit: nem-  
 pe si decem vncijs cerati indatur vncia ærugi-  
 nis. Poterit tamen interdum in sordidioribus  
 vlcibus curandis, & siccioribus solidiori-  
 busque corporibus vtiliter octaua æruginis  
 pars cerato commisceri. Eiusdem verò facul-  
 tatis & rationis quatenus ad deterfionem vl-  
 cerum pertinet, sunt emplastra, vel vnguenta  
 quæ viridia à priscis medicis Galenoque nun-

cupantur. Conficiuntur autem quæ simpliciora sunt, atque illis vlceribus accommodata, quæ à *aperistata*, hoc est aperta, vel sine circumstantijs vllis, quæ peculiarem aliquam indicationem habeât, præter eas, quæ vlceri cauo & fordido adesse solent. Quemadmodum quando dicimus vlcus, vel callosum vel putridum, vel erosum. Illis ergo quæ *aperistata* dicuntur simplex viride accommodum est, conficitur ex resina cera & ærugine, & quamuis antiqui diuersam symmetriam ceræ & resinæ sequebantur, & in resinis etiâ fuerint diuersi. alij enim colophoniam potius accipiebant, alij fructû, alij piceam, quia tamen terebinthina à Galeno alijs quæ præfertur, & illi proxima est laricea: ideo has & nos tanquam præstantiores laudabimus: sequemur verò rationem Galeni, qui resinam & ceram pari pondere accipit, & illis simul colliquatis addit æruginis interdum octauam interdum decimam, interdum duodecimam partem, vt conficiatur medicamentum quod pro diuersa mensura, vel pondere æruginis ad alia duo, nempe ad ceram & resinam, possit omnibus corporibus, & omnibus vlcerum differentijs accommodari, quæ deterisionem & desiccationem desiderant. Nam si octaua æruginis pars indatur, validissimum euadet medicamentum, idoneum fortissimis & solidissimis corporibus, & valde fordi-

fordidis vlceribus : sin autem duodecima, renellis & mollibus, & non valde sordidis vlceribus. si autem decima & medium erit medicamentum, & medijs corporibus & vlceribus aptum. si autem hoc cum priore conferre velimus, hoc & calidius erit & magis siccans. Nam ceratum ex oleo & resina siccantius est, quàm id quod fit ex oleo & cera propter resinam : præterea verò maiorem vim eadem ratione habebit attrahendi superuacuos humores è profundo, & eos etiam digerendi : nonnihil etiam & terebinthina habebit, vt concoquere possit. Prius verò si ceratum sit confectum ex rosaceo oleo, magis aptum erit ad arcendas inflammationes, & refrigerandum ex rosaceo. sin autem ex communi oleo, maiorem vim molliendi concoquendique & mitigandi dolorem. Non multum ab hoc emplastro, quod viride appellabant antiqui, diuersum illud est quod à iunioribus quibusdam damascenum appellatur, quod conficitur addita ærugine vnguento resinino, aut resinato, quod superius descripsimus, & fit ex resina pini, terebinthina, vel laricea paribus portionibus : ipsi tamen modicam æruginem induunt composito illi medicamento. Vnciæ enim scrupulum inijciunt, quæ erit vigesima quarta pars. Vnde erit quantum ad deterisionem facilimū & imbecillum medicamentū.

quod tamen aucto pondere æruginis poterit fieri valentius seruata ratione, quam docti sumus à Gal. vt si adderemus duos scrupulos, veletiam interdum plus, & hoc medicamentum & calidius prioribus & aliquanto siccantius. Simili etiam modo possumus facile varias conficere similibus medicamentorum compositiones, quæ viribus quidem quantum ad detergendi rationem & siccandi similes erunt, sed aliquid præterea etiam additum habebunt, vt si æruginem quanta nobis videbitur expedire seruata doctrina quam Galen. nos docuit, addiderimus eo medicamento, vel unguento, quod Basilicon vel Macedonicum nuncupatur, erit tunc medicamentum magis accommodatum vlceri, in quo labra, vel aliqua pars sit callosa effecta, quæ molliari atque digeri discutiq̃ue desideret. Nam ex vaccino feuo mollire potest: præterea si crudius sit vlcus & concoctione æget, & aliquibus, quæ pus moueant: id enim thus & myrrha præter seuum facere possunt. Hoc tamen officium valentius poterit præstare medicamentum id quod Apostolorum vel Venereum appellauit Auicenna, utpote quod & ammoniacū, opopanacem, thus & bdellium præter alia accipiat, quæ molliunt, digerunt & concoquunt. Vnde quia magis mihi accommodatum videtur fistulosis vlceribus, vbi labra iam obcaluerunt,

runt, ideo in aliud caput eius tractationem differemus, sicuti & emplastrum quod Isis ab antiquis Medicis dictum est, cuius meminit Galenus 5. de compos. medicam. per gen. capite 2. & 3: vtpote quoniam licet & sordidis vlceribus possit & solear accommodari antiquitus & his etiam temporibus. Nam à multis iã deductum in præsentia est in usum: attamen multi vsus est medicamentum, quod longè etiam difficilioribus & maioribus affectibus aptari solet, ideoque in alium locum huius sermone differemus, satis enim in hac resumus vagati, vt iam sit opportunius ad aliud caput progredi. Nam & si in hoc capite multi etiam vnguentum, quod passim Ægyptiacum nuncupatur posuerint: nos tamen accommodatiorem locum illi futurum putamus, si ad sequens caput, vbi de putridis vlceribus & gangrenosis agemus, transferatur.

*De Medicamentis accommodatis vlceribus  
putridis & gangrenosis.  
Caput XI.*

**Q**Æcunq; vlcera sunt cum alicuius putredinis complexu, siue iam facta sit putredo, quæ apprehenderit non modo pus, quod in eo generatur, sed etiam partes & substantiam vlceratæ particulæ, siue par



tem ipsam omnino corruperit, & in ea vitam extinxerit: siue nondum eò malignitate ma- lum deuenierit, sed adhuc sensus & vita super- stes est, quamuis in via sit vt extinguatur, & omnino extincto calore natiuo pars intereat, & quantum ad ipsam pertinet in cadauer desi- nat, illa omnia huic capiti subijcimus. Nam licet in putrescentibus particulis multæ reperi- ri possint differentiæ: illæ tamen non differunt nisi ratione maioris vel minoris putredi- nis. Vnde ordines, qui in putrescentib. vlceri- bus obseruari possunt, hac ratione vel metho- do inuestigari possunt, nempe quia in vlcere cõsideramus, aut pus quod ab ipso effluit, vel carnem seu substantiam vlceratæ partis, quæ viceri subiacet. Si pus quidem consideramus; illud eisdem modis se habere reperiemus, si- cuti & reliqua excremẽta nostri corporis, sed ab illis exempla petamus, quæ magis aperta sunt & omnibus magis conspicua, vt sunt al- ti deiectiones & lotio. In lotijs itaq; interdum summam cruditatem notamus, in quibus nul- lum ferè vestigium apparet à calore, vel extra- neo, vel naturali impressum, vt quando vrina alba est & tenuis colore & substantia sine vlla hypostasi, & eam crudam omnino appella- mus: interdum verò concocta apparet, vt quã- do subflaua est mediocri substantia, & in ea sub- sidet hypostasis alba, lenis & æqualis, quæq;  
nullum

nullum sædum, & præter eius naturam refert odorem. Tertia autem vrinæ differentia est, quæ confusa & turbida est, liuens, & aliquando subuiridis fætidaq;. Has cotidie differentiâs vrinarum in ægrotantib. obseruamus, quarum prior summâ in venis cruditatem ostendit, vtpote, quæ nullam elaborationē indicet excrementosorum humorum, qui sunt in venis à calore natiuo, sed neq; corruptionem ab externo & putrefaciente: altera verò exquisitam transmutationem à natiuo calore, quanta poterat in ea materia desiderari, sed tertia demonstrat summam corruptionē & putredinem victoriamq; extranei et putrefacientis caloris. Eodem quoque modo alius interdum cruda deijcit, & aquosa sine vlllo penitus foetore vel odore: interdum verò diluta quidem et veluti colliquata excrementa sine vlla naturali compage & fœtidissima, vt nullus possit foetorem sine maxima molestia ferre. Interdum autem naturales feces videntur mediocriter compactæ, quæ nullam redolent putredinem. Et hæc quidem sunt veluti extremæ differentie horum excrementorum, nam inter has sunt multæ intermediæ: imò ferè in numerè pro ratione qua magis vel minus ad naturam primæ, vel alterius, vel terciæ differentie accedunt. Possimus & in sputis id ipsum ostendere, sed ad institutum nostrum

hæc possunt satis esse. Redeamus ergo vnde diuertimus. Hæ eadem differentiæ in vlceribus, si quis eas diligenter voluerit obseruare, inspici quotidie ferè possunt. Aliquando enim effluit pus aquosum & fluens, quod nullam præsefert neque coctionem neque putredinem, utpote quod neque album neque lenè, neque mediocriter consistens sit, neque vllum putridum & malum refert odorem. interdum verò consistens quidem est, albumq; & lenè, ut & colore & consistentia actionem natuicæ loris omnino dominantis demonstrat. interdum autè pus quod inde effluit, crassum quidem consistentia est, nullam tamen lenitatem referens, sed potius partium inæqualitatem & asperitatem, ut partim grumosum sit, partim liquidum & fluens, colore verò liquidum est vel fuscum, interdum subuiride, aut etiam viride, plurimum autem fœtidum, hoc sanè putredinem multam demonstrat, & natium calorem extraneo & putredinoso succumbere. Sed putredo hæc ad pus solum pertinet. nondum enim videmus carnem subiectam vlceri atque ipsa labra arrepta esse à putredine, quamuis in ipsam sint prona, & nisi illis probè fuerit & opportunè consultum, paulò post incident in putredinem, quia quod à putrido tangitur, necesse est ut ipsum tandem putrescat. Quandoque verò putrefactio vlterius

rius progressa substantiam & labra vel partes ulceratas corripit, quæ & ipsæ corruptæ putrescunt extincta ferè in eis vi naturalis caloris, & interdum quidem omnino extinctus est calor natiuus, vt iam desierit computrescens pars in cadauer, & tam color quàm odor id iam ostendit. Nam liuescit nigrescitque locus ille, aut morticinum, vt septimo aphor. Com. 50. exposuit Galenus, quendam colorè refert, & non solum carnem & venas arterialesque occupat: verum & subiecta ossa & affectum hunc sphacelum Græci, siderationem Latini appellauere, quandoque verò nondum omnino extinctus est calor neque emortua hætenus est pars, sed in transitu est, & in transmutatione ad interitum, nam paulatim vincitur calor naturalis ab externo, aut strangulatur à multa copia humorum infarcta in ipsa particula: sensus tamè eatenus in ea reliquus est, vtpote quæ doleat si pungatur aut incidatur, sed incipit iam hebetior fieri, & iam ille in parte coloris flos languescere & liuescere videtur, & hunc affectum gangrænam Græci nuncupauere, cui aliud nomen, cuius meminim, nullum Latini indidere. Quando autè putredo vel corruptio non ibi consistit, sed serpendo corripit subindè vicinas partes, ac eas quasi depascitur *voiai* à Græcis, depascencia verò vlcera à Latinis dicuntur. Quia verò

initium curationis istarum malarum affectio-  
 num, hunc imprimis tanq̄ præcipuum sco-  
 pum spectat, nimirum procurare vt consistat  
 putrefactio, nec vltterius serpens depascatur,  
 deinde vt putrilagine, quæ iam genita fuerat,  
 detracta, detergatur & mundum reddatur vl-  
 cus, tertiõ verò quemadmodum 2. de cõmp.  
 medic. secundum genera docuit Galen. vt ca-  
 ro proba generetur, postremò vt cicatrix ad-  
 ducatur, & putrefactio quidem sistitur præser-  
 tim remotis eius causis. Vnde nonnulla de cau-  
 sis suborientis in vlcere putredinis, anteq̄ ad  
 rationem medicamentorum, quæ his affecti-  
 bus curandis idonea sunt, exponendum acce-  
 damus, & quo breuiorem poterimus sermo-  
 nẽ habebimus. Tres ergo sunt causæ quate-  
 nus ex Gal. colligere possumus tũ ex multis  
 locis, tum vel màxime ex 2. lib. commentar.  
 in 6. epidem. cõm. 30. cur putredo vlcera corri-  
 piat. Primã quidẽ succorum prauitas, qui vel  
 ad vlcus confluunt, vel etiam ex mala & vitio  
 sa illius temperatura ibi generantur. Vnde  
 Gal. 3. de cau. symp. gangrenam ex vitiosis suc-  
 cis ortum habere testatus est, ex mala enim e-  
 orum natura & qualitate interdum sunt val-  
 de ad putrescendum procliuẽs. Altera est im-  
 becillitas particulæ atque sui natiui caloris, à  
 quo nequeunt, neque si qui aliunde influant  
 recte administrari, neq; eius alimentum pro-  
 bẽ con-

bè confici: facile autem cum inconcocti remanent succi, putrescere solent, & ad imbecillitatem particulæ, & caloris natiui defectum potest tandem referri, quâdo ex vinculo vel deligatione strictiori in superiori parte vnde defluunt spiritus, facta, atq; etiam quando ex improprio & immodico vsu medicamentum refrigerantium exterius adhibitorum, vt solent curantib. erysipelata accidere. Tertia verò est immensa copia sanguinis confluens ad aliquè locum excitatura inflammationem. Cû enim infarctus humor adeo inculcatur, vt difflaretur, euentari nequeat, strangulato extinctoq; natiuo calore, inflammatio primû gangrenam, mox in sphacelum, & subinde in nomen vel depascens vlcus trãsit, & est id quod Arabes dicere solent, quod gangrena in ascachilum transit: corrupta enim est vox sphaceli in ascachilum, qui etiam nome, hoc est depascens vlcus ætiomenum, secus quam Græci appellant. Græci enim ætiomenum herpetè vocant, quod summam cutem vlceraudo serpit, quem affectum Arabes formicam ambulantem appellauere. Sed de his satis. Conuertamus iam orationem ad rationem medicamentorum, quæ his curandis vlcerosi affectibus possunt esse opportuna: sed primû in considerationem reuocemus, quòd cum affectiones hæ quæ cum vlceribus complicatæ pecu-

liarem præter vlcus indicationem habeant, et peculiari etiam curatione egent, & cum sint veluti soboles, vt docuit Gal. 3. de sympt. cau. vitiosorum humorum, quorum vitium consistit, tum in multitudine, tum in corrupta eorum qualitate à quibus ortum & fomentum habent, necesse est, vt qui causas putredinis remouiturus est, his in remouendis præcipue incumbat, à quibus illorum ortus & fomentum pendere iudicauerit. Vnde cum omnia istiusmodi vlcera in illis sint, quibus curandis Hippocrat. in lib. de vlc. & Galenus 4. methodi capi. 5. sanxere, opus esse & corporis vniuersi purgatione, & præterea etiam sanguinis missione, tum vt id fomentum, quod aliunde habet vlcus, subtrahatur, tum etiam vt influxus vitiosorum humorum ab vlcere auertatur, & aliò conuertatur. Sed in his nolumus longiores esse, cum ad nostrum institutum, quod nobis in hoc tertio libro proposuimus, non pertineant. His autem expeditis, quæ ad procurationem vniuersi corporis, vel aliarum partium, si ab eis foueatur vlcerosa affectio, agendum erit, vt sæpe monuere medici quicumque istius artis periti sunt, attendendum quippe erit loco ipsi affecto, & quia cum is in putrefactionem procliuis est, semper ferè prius vitium in humoribus in illo contentis contractum est. Nam, illi ratione humiditatis,

tatis, quę vt in prouerbio ferē est, mater putrefactionis est, putrescere iolent, ideo secundo loco consuluere, vt & vitiosi humores, qui ibi præsentes aliquam concepere putredinem, detrahantur, ne eorum contagio reliqua putrescant, & præterea verò, quia maximam in nostris corporibus causa putrescendi est, prohibita diffusio & transpiratio: id est vt vacuato loco à vitioso sanguine vna cum alijs excrementosis succis, liberior & expeditior fiat euaporatio & transpiratio, incisionibus vel scarificationibus pluribus infictis particulæ ulceratæ, permittatur sanguis, vel etiam copiosus effluere. Mox autem omni ratione & studio desiccationi danda est opera, quod quidē officium præsertim nostro instituto attinet, quia id ope medicamentorum præstari solet. Itaq; post curâ vniuersi corporis, et per plures incisiones euacuatum locum affectum ab infectis putredine excrementis, desiccationi vniuersa opera danda est: quia vt vincens humiditas putrefactionem inuitat, ita siccitas eam fugat & reijcit. Vnde Hippo. in li. de vlce. cui Gale. 4. meth. astipulatur, ait, quod siccum sano vicinius est: humidum verò non sano. primū ergo lauanda est ulcerata pars, quę scalpello incisa fuit, vt putridaagnes abluatur. illis autem lotionibus lauanda quę propter lorurā & detersionē loci conferant etiam arcendo putrefa-



tionem. Et cum sicuti Gal. ait II. de facultati-  
 bus simp. med. optimum medicamentum sit  
 sal, utpote quod & superuacua humidita-  
 tem absumat, & substantiam, quæ semper dis-  
 soluta & laxa est in putrescentibus rebus con-  
 trahat: ideo in his uti solent aqua falsa, & ma-  
 rina quidem, si ea sit in promptu: sin minus,  
 adjecto sale eam falsam efficiunt: muria etiam  
 siue è salitis carnibus siue ex piscib. fuerit de-  
 sumpta, sed ad hoc officium aceto uti possu-  
 mus sale immixto, aut etiam lixiuio, cui si &  
 oxymel addamus, cum utilitate id fiet, vel si  
 lupini incoquerentur, aptum etiam erit medi-  
 camentum, ut tamen in his eligendis pru-  
 dens sit medicus, semperque ea conferat tum  
 morbo primum: nempe ut cum maior fuerit,  
 maioremque conceperit putredinem, ea ad-  
 hibeat, quæ magis desiccant maioremque  
 vim habeant: minoribus verò utatur, cum mi-  
 nor erit affectio. Deinde verò ad intempera-  
 turam ipsius vlceris. nam si in eo insignis vi-  
 deatur calor, illa sint eligenda quæ minus ca-  
 lesfaciant, quia vel illa minus ex se calesfaciant,  
 vel illis aliquid incoquatur, quo temperetur  
 calor: ut si lixiuio, vel aquæ falsæ incoquan-  
 tur folia plantaginis, aut faba, aut addatur o-  
 xymel, vel acerosus syrupus, quæ ut tempe-  
 rant, ita & reprimunt putrefactionem. Ter-  
 tiò verò respiciendus est sensus, qui in vlcerō-  
 sa par-

sa parte est, præfertim verò antequam corruptio ab humoribus in substantiam ulceratæ partis transeat, & incipiat iam gangrena suboriri, quia tum iam sensus fit obscurior & obtusior. Vbi ergo sensus acris viget in loco affecto, mordacioribus medicamentis parcendū, ne fluxionem & inflammationem præ dolore inuitent. Primus ergo putridi ulceris scopus erit procurare ne vlcerebus. putredo progressa corrumpat labra vel fundum vlcerebus, & gangrenam adducat. Et quia plerunq; istiusmodi vlcera ex multo calore, & multa humiditate sunt affecta, hæc enim putredinis proxima principia sunt, ideo illis omni studio erit occurrendum & agendum refrigerantibus. & insigniter desiccantibus. Vnde si linamenta demersa in oxymelite, imò & oxymel instilletur in vlcus, & deinde linamentis contegatur vlcus vniuersum, erit admodum accommodatum medicamentum. Hoc tamen semper accepto tanquam fundamento curationis præcipuo, vt quotiescunque constiterit vlcus ab vniuerso corpore, vel particulatum ab aliqua parte foueri, semper curatio illorum præcedat, & procuratio, vt subtrahatur fomentum illud. Sed sunt etiam multa alia medicamenta, tam simplicia quam composita huic muneris apta, nempe quæ aspersa, vel iniecta in vlcus, illo reficatore repellere corruptionem pos-

sunt, ea tamen vt facultatibus sunt diuersa, ita pro varia affectione vlceris eligenda. Nam oxymel quidem exiccat, & potius refrigerat quam calefaciat, sed præterea habet etiam non exiguam detergendi facultatem. Mesue vero aloen ad arcendam putredinem ab vlcerebus summo opere laudat, & quamuis Galen. quinto Methodi dixerit aloen imbecillum esse medicamentum ad adducendam cicatricem in vlcerebus penis: præsertim si ea sint humidiora, hoc tamen non tollit, quia à putrefactione tueri non possit vlcera in illam propensa, laudat autem imprimis si cum myrrha miscatur. Omnes vero aloen præcipue vtilem esse in vlcerebus ani & pudendorum. Sed potentius ait Galenus, est anethum vltum vlcere inspersum, & cucurbita exiccata & vltitudinemque inspersa. Præsertim vero putridis vlcerebus commodam esse sabinam, & cupressi folia ait Galenus sexto de simpli. medicamentorum facultat. vt & maligniorem diurnioremque putredinem superare possit: præterea & isatidis, tam syluestre quam sativum genus, & vtraque anagallis, & cortex radicis maniaci solani, hypericum aridum inspersum, ite & chamepithys. Nonno vero libr. imprimis terram lemniam comendat, si acerrimo aceto dissoluatur & illinatur vlcere, quando tetrum odorem redolet, & prætumidum est  
fordi

fordidumque: alioquin verò, aut vino aut oxy-  
 melite, aut posca, aut mulsa, aut vino dulci, aut  
 sapa, aut mulso vino, & id pro vlceris maiori  
 vel minori prauitate. Vrinæ etiam humanæ,  
 vt. ii. eiusdem operis libro ait idem Galen. non  
 desunt in hac re suæ laudes. Dioscorides verò  
 amaras amigdalas tritas, & ex melle vlceri illi-  
 tas plurimum prodesse ait. Ex his ea eligi po-  
 terunt, quæ magis apta videbuntur, tum ratio-  
 ne maioris vel minoris imminentis putredi-  
 nis, tum verò maioris, aut minoris humidita-  
 tis ipsius vlceris, tum etiam ratione calidioris  
 aut frigidioris téperaturæ ipsius vlceratæ par-  
 tis. Composita autem medicamenta, quæ apta  
 & idonea his vlceribus curandis esse possunt,  
 alia arida sunt, quæ in puluerem redacta vlce-  
 ri insperguntur, alia in modum cataplasmatum  
 conficiuntur, alia verò ab antiquis emplastra  
 dici solita sunt, ab Arabibus & nostris iuniori-  
 bus vnguenta dicuntur. Agemus autem pri-  
 mum de cataplasmatibus quæ vim habent, vt  
 affectam partem à putredine tueantur. Horum  
 ergo materiæ, ex quibus plerumque conficiuntur,  
 sunt farinæ hordei, fabarum, crui. Sed &  
 lupinorum, & lolij, priores tamen in maiori  
 sunt vsu. coquuntur autem in cataplasma, ali-  
 quando ex oxymelite, aliquando ex syrupo a-  
 cetoso, interdum ex aqua maris, quandoq; ex  
 posca, nonnunquæ ex lixiuio, & id pro ratione

qua esse opus maiori vel minori calefactione, maiori minoriue desiccatione videtur. Nam lixiuium & aqua falsa magis calefaciunt, & magis desiccant, & omnino vim maiorem habent: oxymel verò minus calefacit & aliquanto minus siccat, sed eo minus etiam syrupus acetosus. minus etiam posca. Aliqui verò lixiuio, vel aquæ marinæ acetum addunt, vt magis siccetur, & in profundum facilius se insinuent. Solent autem interdum farinæ pari pondere accipi, quandoque impari, & id pro arbitrio medici & eius iudicio. copia verò liquoris vnde conficiendum est cataplasma, relinquitur peritizæ coquentis. Quatenus verò ad vsum horum cataplasmatum vel emplastrorum pertinet, interdum solis illis vtuntur medici absque alio vnguento vel emplastro indito ipsi vlceri, vt pote quæ possint quantum satis sit, præter id quod à putrefactione tuentur desiccare, detergant etiam, præsertim si ex oxymellite, aut aqua falsa, vel lixiuio sint confecta. Interdum verò, atque id quando sordidius est vlcus, illi addunt medicamentum, quod magis detergat, filamentis laceri linteii exceptum, vel linamentis: qualia sunt multa, tum valentiora, tum leniora pro opportunitate & indicatione vlceris. Multorum meminimus superiori capite, quæ vim detergendi habent, vt sunt viridia emplastra, vel vngueta cuiusmodi illud est, quod

Litem diximus à Græcis appellari, & quod à iunioribus Damascenum: præterea Isis Epigoni, & vnguentum Apostolorum: aut illud quod ex charta combusta ab Auicenna literis traditum est: his verò valentiora sunt aridum medicamentum à Galeno descriptum, quod & ipsum ex combusta charta nomen habet, præsertim autem vbi vlcus iam putrescere incipiat in vsu sunt ad hoc officium trochisci Andronis, & vnguentum Ægyptiacum dictum, & alia multa, de quibus paulo post sumus sermonem habituri. Confecto ergo aliquo horum medicamentorum vlcere, super id apponunt emplastrum ex his farinis confectum, quo non modo vlcus, verum & partes circumstantes vlceri per aliquod spatium conteguntur. Sed iam opportunum erit, vt ad rationem medicamentorum transeamus, quibus apte vtimur in curandis putridis vlceribus, quando non modo pus putridum est: verum & caro putrescere incipit, & gangrenæ particeps est, in quibus generales scopi ijdem sunt: nempe putredinem reprimendam & cohibendam, ne vlterius augeatur & serpat, & quod putruit iam detrahendum & detergendum, ne vicinas partes inficiat. mox caro generanda, vt planum redditum vlcus postmodum ad cicatricem deducatur: sed quia morbus maior factus est, & difficilior, maioribus etiam illi erit auxilijs &

remedijs opus: vnde cum agendum in primis fit incisionibus & scalpellationib., illis erit opus maioribus & profundioribus, quo maior fuerit putredo, & magis in altum se insinuaerit, atque vt sanguis copiosior effluat, erit permittendum, tum vt qui iam vitium contraxit excernatur, & probus illi succedat, tum vt inanita particula affecta, melior & expeditior diffatio & perspiratio fiat. Hoc tamen semper animaduerso, vt corpus vniuersum minime scatens sit vitioso succo, qui malum fouere possit. Nam illud prius cauere oportebit reuulsionibus per sectionem venæ & purgationes, vt ex Hippocrate & Galeno superius non semel monuimus. Sed quatenus ad topica remedia pertinet, post incisiones & congruentem sanguinis effusionem per scalpellationem, lauandum erit vlcus, vt paulè antea dicebamus. Statimque ad valentia medicamenta erit accedendum. in his enim maioribus morbis, vbi periculum est imminens maioris alicuius ruinae, non est, vt Galenus 5. metho. docuit. incipiendum à leuioribus. Sed ratio etiam sua habenda maioris vel minoris putredinis, & magis vel minus serpentis. ad hoc verò munus in primis accommodati sunt pastilli Andronis, quorum nuper est facta mentio. ita autem à Galeno 5. de Composit. medicamen. pen. genus describuntur. Cytinorum accipiantur drachmæ  
decem

decem, Gallæ drach. viij. myrrhæ, aristolochiæ  
singulorum drach. iij. atramenti futorij, vel  
vt Græci appellant, chalcanti, aluminis scis-  
filis, mysios singulorum drach. ij. passo exci-  
piuntur, & in pastillos & trociscos redigun-  
tur, medicamentum est, vt etiam 7. meth. cap 3  
animaduertit Galenus, insigniter astringens,  
astringūt enim generosè galla, præsertim que  
omphacitis, hoc est, immatura appellatur à  
medicis antiquis, & qua in primis utebantur,  
citinaique, præterea & atramentum futorium,  
misy atq; alumen; sed validè etiam desiccant.  
Nihil enim accipiūt, quod non insignem vim  
desiccandi habeat passo excepto, vnde & robo-  
rare possunt particulam, & repellere, si qua in-  
fluunt excrementa, & humiditatem, vnde or-  
tum & fomentum habet putredo, absumere.  
Optimum ergo est medicamentum, quod ta-  
men neque plurimum mordet, & eius multa  
& frequens mentio fit à Græcis Arabibusq;  
& Latinis auctoribus, & illis possumus in pul-  
uerem redactis tanquā inspersili medica-  
mento vti. Potest etiam interdum ex melle excep-  
tum deduci ad formam emplastri, vel mol-  
lis vnguenti. Si arido vtatur, vlceri erit insper-  
gendum, superaddito deinde aut emplastro  
ex farinis paulò antea descripto, aut si sus-  
pecta esset inflammatio, aliquo altero medica-  
mento apto ad arcendas inflammationes. Ga-



lenus suo vteretur phœnicinio, vel diapalma  
 vt nunc appellât. Possemus tamen & eo quod  
 excerussa, aut ex thutia à nostris dicta velex  
 minio. Quod si videatur medico vti illo dilu-  
 to ex melle, nihilo erit imbecillius medicamē-  
 tum. Nam vt idem Galen. testatur secundo de  
 Compositione medicamentorum per gen. au-  
 get potius & intendit id genus medicamenta  
 mel, quam remittat. Longè vero fortius medi-  
 camentum est, quod ex charta combusta dici-  
 tur, descriptum quinto de Compositione me-  
 dicamentorum secundum genera, quod hic  
 referemus: quia in plurimo vsu erat antiquis,  
 & in presentia eius etiam à iunioribus fit men-  
 cio, cuius verò confectio ita se habet. Squam-  
 mæ æris, gallæ, myrrhæ, singulorum drac. viij.  
 sandarachæ, non illius quàm Arabes, & iunio-  
 res ita vocant, sed mineralis, vel metallicæ, quæ  
 & ipsa est auripigmenti species, illa quæ rubi-  
 cundior est, arsenici, elaterij singulorum drac.  
 iij. thuris, atramenti futorij singulorum ʒ. iij.  
 chartæ combustæ, quantum satis sit ad contra-  
 hendum colorem. Fortissimum sanè medica-  
 mentum, & de quo dici meritò possit, quod  
 nomas, hoc est depascencia vlcera refrenare &  
 sistere possit, vt quod crustas quasi exurés pos-  
 sit excitare, neq; hoc puto fuisse id, quo curare  
 solitus erat Galenus vlcera in pene, vt ipse te-  
 status est ʒ. meth. nisi quis fortè dicat, quod eo  
 non

non vtebatur ita solo & arido, sed diluto ex oleo rosaceo, sicut etiam in vlceribus intestinorum ex oleo rosaceo infundebat. nā ira potest ea ratione dilui, vt mite medicamentum fiat: sed ipse istius mixturæ ibi nullam mentionē facit, & fortasse quidem quod vbi ipse in alijs libris medicamenti, diacharta meminit, illud intelligit quod primum sub nomine diacharta ex libro Aselepiadis descriptum referatur. à Galeno in eodem septimo de Composition. medicam. secundum genera. Eius autem confectio in hunc modum se habet. Chartæ combustæ, plumbi combusti & eloti, arsenici, squāmæ, stomomatis singulorum pars vna, sulphuris viui pars media, tritis vti oportet, ex melle vel rosaceo, vbi patet, quòd licet insigniter, & hoc siccet, minus tamen astringit, & minus acre mordensque erit. acrius alijs est arsenicum, deest tamen sandaracha, & arramentum futorium. plumbum verò vstum, vel nihil, vel parum mordet. æs etiam vstum cum lauatur, magnam morsus & acrimoniz partem deponit. longè etiam minorem morsum esset habiturum medicamentum, si cætera quoque metallica, quæ lauari solent, lauarentur. Sed ad alia medicamenta transeamus minus acria, vel fortia, quæ quidem arida non conficiuntur, sed ad emplastri vel vnguenti formam deducuntur, & ad ea præsertim vnguenta, quæ his

temporibus ad curanda putrida ulcera, & reprimendam depascentem putredinem nostris medicis sunt in frequentiori usu: ut sunt unguenta Ægyptia ab Arabibus dicta, quorum conficiendorum duplex est modus: alter quæ Mesue in suo appellato Antidotario retulit, cuius symmetria in hunc modum se habet: Accipe æruginis drach. v. mellis drach. xiiij. aceti drach. viij. alter verò ab Auicenna tertio ten. 4. libri, componitur in hunc modum: Ut accipiamus æruginis, mellis, aluminis, singulorum autem par pondus, coquantur autem hæc unguenta donec gilua fiant. hæc est enim natura æruginis, ut cum cruda accipiatur in medicamentis, ea viridia efficit: sed si coquatur parum inde fiunt medicamenta lutei coloris: vltimus verò cocta, gilua, vel fulua colore reddit medicamenta. Hæc autem mineralia medicamenta, ut Gal. de Com. medic. secundum genera ait, quo magis coquantur, eo etiam magis siccant, non tamen magis mordent: verum forte etiam minus. differt verò hæc compositio à priori Mes. quòd valentior & fortior in desiccando & crustas excitando. Nam æruginis, quæ cæteris acrius & valentius est medicamentum tertio totius confectionis pars est, in priori verò vix quinta. Præterea verò hæc magis astringens est ex alumine, vnde præter maiorem desiccationem additam, magis etiam potest

est particulam roborare, & partes vicinas à putredine defendere; & confluentes humores repellere: & hæc mihi sanè satis esse videntur. quatenus ad ea pertinent, quæ faciunt ad curanda putrida & depascentia ulcera. agamus ergo de erodentibus.

*De erodentium ulcerum; quæ exedentia à Latinis; phagedena à Græcis dicuntur, & ipsa inter maligna connumerata, medicamentis.*

Caput XII.

**V**lcera quæcunque serpentina vicinas circumstantesque partes corripunt; aut id agunt ob putredinem in vitiatâ parte subortam, quæ semper contiguas partes inficit, nisi cito illi occurramus, & id genus ulcera ad præcedens caput attinent: utpote quæ depascentia, vel *vômu* dicantur, sed quæ citra putredinem serpunt, erodentia, vel corrosiva, ut iuniores appellant, à Græcis verò phagedenæ dicuntur. Hæc ab acri, & ab abradente, & tandè erodente humore fiunt, qui si prætenuis sit; non ad profundiores partes pertingit, sed solum tantum cutem exedens ulcerat: herpesque à Græcis dicitur; à Latinis verò præteritum à Celso ignis sacer videri fuisse appellatus, quod tamen nomine alijs erysipelas appellant: uti autem crassissimus sit humor, qui exedit, per-

inde, vt est exusta & feruens atrabilis: inde generantur cancri vlcerati, vel cancrofa vlcera. Inter hos in tenuitate & crassitie locum medium, vt decimo quarto meth. docet Gal. tenet phagedena. quippe quæ ex mediocriter crasso acrique humore ortum habet, & proinde præter cutem erodit etiam subiectas partes. Hic verò acris & vitiosus humor necesse est vt alibi generetur ex malo aliquo alterius partis affectu, & postea ad vlcus impulsus illi negotium facessat. Et quamuis nõ negemus, quòd interdum non possit ex aliqua in affecta parte vitiosa intemperie, nempe calida & sicca, gigni acris materia, quæ exulceret & erodat: plerumque tamen, vt ibidem voluisse insinuare visus est Gal. aliunde generatum impellitur ad vlcus. Ex quibus in hunc modum cõsideratis non est difficile deinde indicationes depromere, quibus methodus constituenda est, qua curanda sint istius generis vlcera. Nam cum semper indicatio à causa (nisi aliquid præcept aliunde periculum obstet) alias omnes antecedit indicationes: si acris & erodens humor aliunde quàm in vlcerato loco sui ortus occasionem habeat, nitendum erit, vt occasio causæ: cur generatur prius tollatur: moxque vt id quod genitum est in corpore, aut per purgationem, aut per sanguinis missionem detrahatur, & id vt magis expedire visum fuerit, con-

sultis

sultis prius viribus ætate & natura vitiosi hu-  
 moris, Nam in herpete, vbi tenuis & biliosus  
 acrisque humor omnium malorum auctor est  
 sæpius magis utilis erit purgatio; in alijs vbi  
 humor crassior erit, & vel crassior & exustus  
 sanguis, vel bilis cum sanguine, vel bilis cum  
 pituita præsertim salsa, vel quicumque humor  
 non fuerit multum secretus à natura sangui-  
 nis, non erit inutile venam secare, & ea ratio-  
 ne, vt cum vacuatione fit reuulsio: sed hæc po-  
 tius à rei affinitate, & cõnexionè ducti hoc lo-  
 co exposuimus, quam quòd præsentì institu-  
 to atineant, quo acturi eramus de medicamē-  
 tis. Transeamus ergo ad aliam partem, quæ i-  
 psam vlcus proximè spectat. In vlcere ergo du-  
 plex potest esse vitium, quia vel vniuersum, il-  
 li negotium facessit vitiosus humor aliunde  
 eò confluens, qui præter id, quod sua acrimo-  
 niâ subiectam carnem abradit & exedit: cor-  
 rumpit etiam & probos, qui à natura ad alen-  
 dam eam particulam amādantur. Item potest  
 & vniuersum vitium esse in vlcerata particu-  
 lā, quæ ex aliqua mala contracta intemperatū-  
 ra corrumpit & vitiat alimentum, vel etiā bo-  
 num, quo erat alenda. Interdum etiam vtrum-  
 que malum simul conspirat: præcipuè verò in  
 diuturnis morbis, vbi ab influentibus vitiosis  
 humoribus transmutatur tandem & conuertit̃  
 tur vlceratus locus secundum propriam tem-

periem in vitiosam & malam : sed qua ratione malo huic occurrendum sit quatenus ad fomentum illud & occasionem illam pertinet, quam aliunde habet: quatenus spectare poterat ad præsentem locum, ostendimus agamus ergo de ratione medicamentorum, quibus curari potest particulatim locus qui affectus est: cum fieri nequeat, ut nos quarto methodi cap. 5. docuit Galen. quòd vlcus sanetur, nisi prius sanetur particula in qua contractum est vlcus In his autem duo in primis consideranda sunt nempe intemperies in quam transmutata est ea pars, & quia cum diuturnior fit, nequit esse sine vitiosa materia præsentem, à quo fouetur illa intemperies : quare statim duæ exoriuntur indicationes : prima ut tollatur intemperies vitiosa, restituaturque naturalis & proba : postea ut vacuentur vitiosi faeci congesti in parte vlcera, aut absoruantur. Quibus peractis reliqua est deinde curatio vlcera caui, quam superius exposuimus : sed quia dum præfens ibi vitiosa est materia absorpta in ea parte, vel etiam in vicinis venis congesta, nunquam omnino poterit in temperatura remoueri: ideo ab hoc scopo, vel ab hoc capite erit auspicandum nempe ut vitiosus humor detrahatur, quo detracto facilius erit deinde temperaturæ transmutatio: humor verò vitiosus bifariam vacuari potest. Nam aut per illa vacuationem, qua  
 consipi-

conspicua est et sensibus manifesta, aut per  
exsiccationem digestionem discussionemque  
priorem vacuationem moliri docuit Hippoc.  
in libro de vlceribus, cui subscripsit Gal. quar  
to methodi per incisiones multas scalpeilo in  
fiestas: non solum vlceri, sed vicinis & circum  
stantibus partibus, in quibus congestus est vi  
tiatus sanguis, qui malignitatem vlceris fo  
uet, scarificationem iuniores dicunt, è quibus  
illatis incisionibus, permittendus est sanguis,  
vel copiosus effluere. Sed & hoc ad institutū  
de medicamentorū ratione non pertinet, ideo  
ad alterum vacuationis modum, qui per medi  
camentā fit accedamus, Consideranda ergo in  
primis erit vlceris, tam magnitudo, quā et  
iam malignitas, vt apta medicamenta eliga  
mus componamusque. Nimirum enim ad dif  
ficilia & per maligna vlcera superanda validis  
fortissimisque medicamentis opus omnino  
est, quia ex vsu leniorum & faciliorem auge  
tur potius & malignius euadit vlcus. Contra  
etiam vlcera mitiora & minora, nequeunt cu  
rari acrioribus & fortioribus medicamentis,  
vt potius augeantur & exacerbentur. Cum  
ergo vlcus & quantitate & malitia mediocre  
fuerit, præter omnem rationem fuerit, statim  
curationē acrib. & vehemētib. aggredi medica  
mētis: sed mediocrib. & quantū fieri potest ex  
pertibus



pertibus mordacitatis, strenue tamen exsic-  
 cantibus & potius refrigerantibus. Cum enim  
 erosio fiat, ut diximus, ab acri & calido succo  
 & præsertim à calidiori & sicca intemperie ge-  
 nito, ad consumptionem vitiosi illius succi  
 necessaria est exsiccatio. Ad delendam verò ca-  
 lidam intemperiem, opus est refrigeratione.  
 Et quamuis siccitas sit quasi lima, ut aiunt ca-  
 loris, plus tamen potest tum refrigeratio, tum  
 etiam absumptio vitiosi illius succi qui longè  
 etiam magis siccabat & calefaciebat, quàm id  
 genus medicamenta faciant. Medicamenta ve-  
 ro, quæ huic officio apta sunt, sunt aut arida,  
 hoc est, puiueres, vel emplastra, vnguentaue,  
 & arida, aut simplicia, aut composita. Simpli-  
 cia multa esse possunt, in primis verò metalli-  
 ca, quæ sunt lora & exquisitè trita: sicuti præ-  
 fertim pompholyx, pro qua thuria vtuntur in  
 præsentia, quæ fortasse cadmiæ illa differentia  
 est, quam borritim appellat & factitia est. Sed  
 & plumbum vitum & lozum, præterea sibiū  
 bolus etiam armena, & terra lemnia seu sigilla-  
 ra, & lapis hæmatites, & myrobalanorum pul-  
 vis. Quidam & cariem lignorum laudant, cū  
 quibus consentire visi sunt Galen & Dioscor.  
 Quidam & satis appositè ex multis horum  
 conficiunt aridum medicamentum, ut exem-  
 pli causa, accipiunt spumæ argenti, quæ si sit  
 lora & trita exquisitè ex aceto in sole, vel ex vi

no, vt superius exposuimus, longè vtilius medicamentum erit, stibij, vel antimonij, lapidis hematitis, myrobalanorum citrinorum, boli armenæ, singulorum partes duas, æris etiam vsti, & probè loti, quod si & ipsum eodem modo lauetur, melius erit partem vnã, miscenda sunt omnia, & in tenuissimum puluerem redigenda, quo replendum erit vicus illi, quæ mox si imponantur, penicilli, vel vt Græci vocant splenia, quæ sunt imbuta aliquo vnguento refrigerante & exsiccante, qualia sunt quæ aut ex plũbo vsto, aut ex sandice, quod de minio appellant, aut ex thuria, quæ nunc pro phospholyge vtuntur, aut id quod ex succo solani aut quod vnguentum album dici solet, aut etiam illud quod ex calce sæpius elota sit, de quibus suo etiam loco agemus. Et his quidem maligna vlcera natura superari poterit, & erosio reprimi, præsertim si mediocri fuerit malignitas, quia quandoque adeo malignum erit vlcus, vt eiusmodi medicamenta spernat omnino: quod duplici de causa euenire potest. Nã aut quia à prauis succis, quo refertum est corpus, fouetur, aut quia caro vlcera & partium vicinarum adeò corrupta est, & malum vitium contraxit, vt & alimentum quemadmodum dicebamus, corrumpat in prauum & malignum succum, & partes alioquin sanæ, quæ propè vlcus sunt, ab vlcera & vitiatas per quoddã

veluti contagium malè afficiuntur & cor-  
rumpantur. Vnde si difficultas curationis  
occasionem habeat à fomento quod habet  
aliunde. illi occurrendum erit per purga-  
tionem, aut per missionem sanguinis, vt &  
paulò antè monuimus. Sin autem id ortum  
habeat à magno vitio in parte affecta, tunc  
præstantissimum remedium, & aptissimum  
ad emendandum omne vitium, roborandam-  
que particulam, & corrigendam illius partis  
intemperiem esset, candenti ferro locum inu-  
rere, quod quidem remedium magis aspectu  
horridum est, quàm re ipsa. Quod si quis aut  
propter ægrotantis timorem, aut propter æta-  
tem, aut quia in parte aliqua sit vlcus, quæ nõ  
facile ex toto possit hoc remedium sufferre,  
medicamentis negotium conficiendum erit,  
quæ similem ferè vim habeant, vt pote, quæ  
& crustam adducere solent, & vitiatam car-  
nem exedere: sicut ea quæ fiunt ex atramento  
sutorio, aut ex calce viua, aut aqua vrente, aut  
eo vnguento, quod *Ægyptiacum* vulgo appel-  
latur. Sed in præsentia in multo vsu est pulvis  
ruber, quem præcipitatum nuncupant, & re-  
fertur in Ioannem de Vico celebrem chi-  
rurgum his paulò antèactis temporibus, de  
quibus suo loco dicemus: postmodum ve-  
rò crusta remota, de qua etiam remouenda  
loco opportuno sermonem habebimus, vlcus  
curandum.

curandum erit, quo modo diximus curanda esse ulcera, quæ caua sunt, nempe vt caro aggeneretur, donec planum & æquale fiat, mox verò ad cicatricem deducatur.

*De sinu & fistula, vel de medicamentis, quibus hæc curanda sunt.*

*Caput XIII.*

**S**inus est quasi genus fistulam continens tanquam speciem, nam fistula, vt Galen. in libello de tumo. præter nat. docuit, aliud non est, nisi sinus oblongus & angustus. imò vt ille dem 2. prognost. testatus est à sua figura, hoc etiam nomen sortitum est: imitatur enim fistulam, quæ musicum instrumentum est oblongum, angustum & excavatum, vnde similis est generatio in vniuersum sinuum & fistularum. sinus autem sunt quasi cuniculi in carne, vel similibus corporibus excavati. Vnde semper in sinu os, quod in cute est minus & strictius est, quàm fundus & concavitas ulceris, & fiunt sinus, vt ille idem eodem de tumo. præter nat. lib. exposuit, quando pus tum cutem excoriat, tum verò in causa est cur superiores partes & continentis à subiectis & contentis abscedant, quæ vbi abscessere & mutuò distant, cum redire ad pristinum statum, & simul coire iterum neque-

ant, sinus iam factus est, qui nisi citò curatio apta adhibeatur, callum contrahit: iuniores verò dicerent fieri ostracosum, atque subinde induratur, vt mox non facillè curationem admittat. solet autem sinus plerumque ex abscessibus fieri. Vnde omnes tumores præter naturam, cum in abscessum desinunt, rupto & aperto abscessu, & excreta materia, quæ in eo continebatur, iam, vt ait Galenus 2. lib. com. de his, quæ in medica officina com. 27. non amplius abscessus est, sed sinus erit appellandus. Fiunt tamen sinus interdum ob contusiones magnas, vt nonnulli iuniores dixerunt neque id ineptè. Nam cum sit necesse, vt monuit Hippoc. omne contusum tandem putrescere & in pus verti, in magnis contusionibus sicuti factis ex globulis eiectis vi bellicorum tormentorum, quæ sclopetos vulgò appellant: facillè contusi circumquaque, vel etiam altioribus partibus fiunt sinus. Sinus autem aut rectus est aut obliquus, qui quidem talis pro partis in qua vlcus excitatum longitudine dicitur: quia si recte per longitudinem fuerit protensus, rectus erit appellandus, sed si in latus quoquomodo declinet, erit, vt ibidem testatur Galen. obliquus. rectus verò sinus, aut decliuus est, decliuem autem appellamus, quando fundus superior est, & os inferius: si aut quando contra se habet, & os superius est accliuem

accliuem nuncupare possumus. Hæ igitur sunt differentie sinuum. Eorum verò duplex est curationis ratio. Nam aut integrè & verò curantur: vera autem & absoluta curatio est, quando partes, quæ mutuò abscessere & auul sæ sunt, iterum conuenientes simul agglutinantur, & ita ad vnitatem redeunt, vt nullum inter eas spacium relinquatur, sed vndique ad pristinam continuitatem reuertuntur. Altera verò ficta quædam, vt Galenus in libro de tumoribus præter nat. insinuauit, curatio est, quam palliatam iuniores appellarent. Næ neque inter se diductæ & dispersitæ partes agglutinatæ vniuntur: imò cavitatis aliqua in eis reliqua est: verumtamen contracto callo, ita deinde à medicamentis & ratione victus exiccantur, vt integra videatur curatio. Nam nisi intercitat aliquod in ratione victus peccatum, & alioquin corpus sanum & mundum sit, poterit sinus ita contractus diutissime seruari, vt sanus appareat. Verùm si ex aliqua occasione, iterum fiat aliqua inutilis & superuacaneæ materiæ congestio, inde repleto loco illo imbecilliori factò, iterum fit abcessus, & nisi integra fiat curatio, poterit ad eundem statum sæpius redire, atque etiam semper facilius & frequentius: quia sinus, qui i semper reliquus est, aptus sanè est vt facillimè repicatur, cum iam sit facta facilis via fluxionibus.

imò abscessus isti citra dolorem excitantur propter callum sinui obductum: sicuti postea faciliè etiam cum colligitur materia, effluit: cum sinus sit apertus. Sed si fiat conglutinatio partium & concretio, & mox iterum in eundem locum confluyente materia fiat abscessus, necesse est, ut cum disrumpitur, dolor conciteretur. Hoc verò loco præsertim agemus de ratione eorum medicamentorum, quibus vera perfici curatio possit. Prius tamen pro novitijs medicis hoc videretur explanandum, cuius Gale. 3. lib. comen. in sextum epide. com. 37. 38. & 39. meminit, pertinens ad fistulas, nèpe quòd nonnunquàm cum fistulæ inueterascunt, quòd sæpe in ano contingit, natura illis assuescit, & illis tanquàm emissario quodam perinde vitur, atq; mariscis, ad corpus expurgandũ & excernenda varia, quæ quotidie in corpore gi gnuntur excrementa. Vnde non est omnino, ut ille docet turũ, curare has fistulas, sicuti neque mariscas: nisi huic periculo et recta victus ratione occurramus, & corporis purgatiõe vauationeue, per aliqua interualla repetita, vel saltẽ exercitatione. Sed propius ad institutũ nostrum accedamus, quòd proximè rationẽ & vsum medicamentorũ respicit. Porro vt & Gal. sæpius in libris de cõp. med. restatus est, eadẽ est methodus, quæ nobis curationis, & quæ cõpõsitionis & vsum medicamentorũ rationem

tionem demonstrat. ideo nobis primùm videtur aliqua ponenda fundamenta, quibus ea omnia, quæ dicenda sunt, innitantur. Primùm; aliqua in memoriã reuocanda sunt, quæ prius fuerant exposita: nẽpe, quòd tam in vulnerib. quàm vlcerib. curandis prima, & princeps est natura, ad medici verò officium pertinet procurare, vt ea remoueantur, quæ possunt naturæ esse impedimẽto, quo minus suo fungatur officio. Et quãuis multa huiusmodi sint impedimenta, vt in priorib. capitib. explanauimus, quorũ aliqua morbi sũt, aliqua causæ, aliqua symptomata, et aliqua, aut semp, aut frequẽtissimè concomitantur & ferè ex propria sinus ratione, alia verò rarò, & quasi externa & aliena occasione, de primis nos tantum sermonẽ instituamus. hæc verò tria præsertim sunt. Nã & duplex illud excrementum, alterum tenue & serosum, alterum verò crassum, quod sordẽ appellari diximus, quæ quidẽ & si sint omnibus vlcerib. communia, tam in sinib. ea longè copiosiora, habita ratione magnitudinis, gignuntur, quàm in alijs vlcerib. quæ citra sinũ sunt. præterea verò & callus, qui rarò in fistulis & sinib. cum diuturni sunt, non contrahitur: & quamuis alia quoq; sinibus & fistulis possint accidere, quæ possunt impedimẽto esse horum curationi, quia tamen hæc familiariora & frequẽtiora sunt, horũ tantum memi-



nimus, utpote quæ præfenti huic instituto magis attineant. Quoniam aut omnia vlcera, ut sæpius testari sumus, curantur imprimis exiccatione, deinde verò & deterfione, & hæc non ita facile in finib. præfari poffant, ideo etiam longior & difficilior est eorū curatio. Vnde in hoc præfertim cōfultitatio curandi citius & facilius finis, ut procuremus primū quo patet ea, quæ in illis quotidie gignuntur excrementa pròptè & facile inde poffint effluere. Nam ita pròptius & facilius deficcari & detergi poterant: deinde cū fit opus uti medicamentis ad eorum deficcationem & deterfionem, & non fit perinde facile ut medicamenta opportuna pertingant ad omnes partes vlcis, cū tamen omnes ope eorū egeant, ut ficcètur, in finuofis, ut in apertis vlcis, hæc etiam ex parte defiderant industriã medici, qui aliquã inetratiõem qua poffint medicameta ita parari, ut in vniuersū finū poffint fe infinuare. maxime verò omniū calius, fi iã fuerit obductus, impedimento est, quo minus cōglutinari & cōfolidari finis poffit. Circa hæc itaq; præfertim vertitur negotiū medici curandis iftiusmodi vlcis. & quatenus ad deficcationē & deterfionē pertinet, nihil ita ad facile & citã, tam deficcationē tum deterfionē finis facere poteit, q̄ procuratio, ut nō detineatur pus qđ in eo gignitur, fed facile effluat. Nemo, n non videt

videt quàm egrè exiccari possit & mūdus red di locus in quo nequit pus vt generatur, ita etiam effluere. facile aut̄ in sinibus illis effluit, qui decliues sunt, h. e. in quibus os deorsum spectat, fundus verò superior est. vnde periti medici maximè nituntur, quando sinus non hoc modo se haber, ita parare, vt in eum modum se habeat, nempe in eo situ collocata particula, vt os vlcerae deorsum vergat, si tamen ita potest sine multo incommodo collocari. quod si id ratione naturæ illius particulæ fieri nequeat, ferro, si locus admittat, id facere nituntur, nimirū perforato sinu in eius parte, quæ magis decliuis sit, & ex qua sit puri facilior exitus. Et quia quandoq; neq; hoc licet. obstat enim cōpositio & natura particulæ, cōmenti sūt, præterea medici ligaturis & puluillis molli expulsiōnem puris, nempe fascia deligantes partē vlceraatam, incipientes deligationem paulò sub ipso sinu appposito puluillo, quo cōprimatur fūdus sinus, & facta deligatura astrictiori ad fundū, ascendendo verò semper aliquantū remittendo astrictionem verius os sinus, vt superius ad exitū exprimat̄ & quasi elidatur pus: exireq; cogatur. Quia verò sæpe neq; hæc cōmenta & quasi machinamēta sūt satis, sed & virib. medicamentorum ad abluēdas detergēdasq; sordes, & ad exiccandum suæ per uacaneū humorem idoneis opus est: quod

præsertim ad nostrum præsens institutum spe-  
 ctat: ideo huc vniuersum nostrum sermonem  
 conuertamus, propositis semper duobus illis  
 scopis, qui in curandis omnibus ferè vlceri-  
 bus, vt sæpe diximus, spectandi sunt, nempe  
 sordium deterfio, & superuacui humoris exic-  
 catio. remotis enim his quæ naturæ impedi-  
 mento erant, cætera omnia natura sponte sua  
 molitur. At verò cū medicamenta, quæ hæc p-  
 stitura sunt, non possint suo munere fungi, ni-  
 si fuerint immissa in sinum, & immitti neque-  
 unt, nisi liquida & fluida sint: docti ab ipsa re  
 medici in curandis sinib. id genus medicamē-  
 tis, quæ humida & fluētia sint, vtpote quæ vel  
 per æneam fistulā, vel per aliud instrumentū  
 simile illi, quo clysteres injici solent, immitti  
 possunt, rariā verò sunt, quæ aquea sunt consi-  
 stentia; vt est aqua mulsa, vinum mulsum, lixi-  
 uiū, aqua marina, muria, decocta multa, quæ  
 à iunioribus lotiones appellantur, aut empla-  
 stra, vel vt cum iunioribus etiam loquamur,  
 vnguenta quæ *ύγες* hoc est humida à Græcis  
 dicuntur. quippe, quæ tenera sint, & quæ ali-  
 quo aut oleo aut liquore diluta, fluere pos-  
 sint, prius aut de priori medicamentorum ge-  
 nere sermonē instituamus. cum itaq; sinus re-  
 cēs est, ex paulo ante rupto abcessu excitatus,  
 maxime Gal. 2. li. com. in ea quæ in medica of-  
 ficina com. 28. probatur aqua mulsa infusa, vt-  
 pote

pote quæ satis apta sit ad parandas omnes partes sinus, vt facile agglutinari possint, detergit enim sordes, quæ obitare poterunt. vbi verò iam cæperit sinus esse aptus ad agglutinationem, vtilius erit vinum modò solùm citra mel, modò mulsum itidem infusum, quippe quod accommodarius agglutinationi sit, quàm mulsa, præsertim si inter austerum, vt ibi ait Gal. fuerit & dulce: mulsa verò vtilior est ad sordes ichoresquæ; abluendos & detergendos, quæ id temperamentum habet, vt potui non sit iniucunda. Consueuere autem multi ex iunioribus, in colluendis his sinibus vti aqua hordæacea additò melle rosaceo, in vtroque enim deterfio cum exiccatione est, præter id quod etiam refrigerant, quod maximè opportunum est, quando calida adest in loco intemperatura, aut sint aliquæ inflammationis reliquæ. aliqui verò decocto iridis, aut aristolochiæ, aut vtriusque ad abluendum sinum vtuntur. Sed hæc potius idonea sunt, quando iam carnis generationi, vt repleatur sinus, vel agglutinationi opera danda est. Cum ergo recens est sinus, neque hæctenus sibi aliquam comparauit malignitatem, mundus his aut similibus erit reddendus, quo reddito purgato & mundo, agendum postea medicamentis, quæ tum carnem aggenerare, tum verò latera simul agglutinare possint. Quod si sinus inte-

tèrius malignitatem conquifierit, aut putredinem, aut erosionem, vnde etiam diuturnus euaserit, fortioribus & acrioribus ad superandum eius malitiam erit opus, & quatum ad lotiones pertinet Gal. 2. li. artis cur. ad Glauco. ca. 8. præfertim laudat lixiuium, quo vtendū, tam diu esse voluit, donec tota sordes fuerit exiccata. Auicen. verò, quem multi præterea alij sequuntur, præter lixiuiū probatur, & aqua marina, & aqua aluminosa, quæ præterquam quod deficcant & detergunt, fluxiones etiam ab affecto loco repellunt. Sed si quasi putredinosum sit vlcus à quo humor cruentus & foetidus effundatur, Aetius oxymel alijs omnibus præfert. At verò interdum, imò sæpius non solis lotionibus possunt mundi sinus reddi, simulque carne repleri aut agglutinari, & tandem ad cicatricem duci, verum necessarius est præterea & aliorum medicamentorum, vel aridorum, vel in formam vnguentorum, vel emplastrorum compositorum vsus. illis autem bifariam vti solemus in id genus vlceribus curandis. Nam aut in ipsum sinum, vel fistulam injicimus, aut linteolo paniculoue medicamentum extendentes exterius adhibemus. Priorem autem sermonem de illis instituemus, quæ interiorius in sinum injicimus. hæc ergo pro vario statu & natura vlcerosi sinus varianda sunt. Nam si sinus non contraxit

traxit aliquam malignam naturam neq; cal-  
lum, neq; sordem malam & crassam copioso-  
remq;, quam ratio eius requireret, quæ sini-  
bus solent accidere, aliquando ob vniuersum  
corpus male affectum, vtpote quod prauis suc-  
cis scateat, interdum verò ob medici imperiti-  
am, qui non recta ratione primùm tractau-  
erit, abscessum, deinde verò & sinum, vel ob  
mollitiem metumue ægrotantis, qui non per-  
miserit medicum opportuno tempore aperire  
& rescindere abscessum, neq; postea cõgru-  
entia medicamenta admittere & ferre volu-  
erit: si itaque eò nondum deuenierit, sed sim-  
plicior sit, ea illi medicamenta erunt apta quã-  
tum ad facultates pertinet, quæ idonea sunt  
ad modice implendum sinum carne, atque  
mox agglutinandum, sed quo ad consistenti-  
ã, quæ ita fluida & mollia sint, vt aut per fistu-  
lam aut per instrumentum quod fit ex suilla  
vesica alligata fistulæ, perinde, vt illud est, quo  
pueris clysteres solent imponi. At verò quia  
emplastra vel vnguenta, quorum fit tam ab  
antiquis quàm iunioribus medicis mentio;  
tanq; eorum, quæ idonea sint ad carnem in vl-  
ceribus generandam, vel ad glutinandam et-  
iam, crassioris sunt consistentiæ, quàm vt pos-  
sint his instrumentis iniici in sinum, vt in hos  
usus venire possint, necesse est vt liquecant;  
& diluantur aliquo oleo vel liquore alio, dũ

autem commifcentur cum his, vires remiffio  
 res retinent, & imbecilliores, tam ficcandi q̄  
 detergendi, vnde in curandis finuofis vlceri-  
 bus neceffaria funt longè acriora vuguenta et  
 emplafta, quâ ea quæ farcotica vel agglutina-  
 toria fuperius fuere appellata: qualia funt cõ-  
 munita emplafta. q̄ viridia ab antiquis dicebã-  
 tur. & quorũ fupius eft fua etiam facta mētio.  
 Sed ea funt fumenda, q̄ fola et non cõmixta et  
 oleo diluta nullo modo ferri ab egrotante præ  
 acrimonia poffent, cuiusmodi erat emplaftũ  
 Macherionis, cuius meminit Gal. 2. de comp.  
 per gen. quod in præfentia in nullo eft vfu, &  
 illud etiã quod prifcis temporib. maximè ce-  
 lebrabatur ab omnibus ferè medicis, & Ifis  
 appellabatur. In hoc ordine etiam eft quod  
 ab Auicē. vuguentum apoftolorum dicitur.  
 fait autem pofterioribus in maximo vfu, &  
 nĩ fallor, aliquantisper minus acre eft & vali-  
 dum quã Ifis. parumq; diuerfum ab illo quod  
 cerafcos, vel crascos appellat Mefue. Sed de  
 his paulo poft magis particulatim agemus.  
 Noftri verò iuniores medici, in finib. curan-  
 dis, præfertim verò illis, qui fordidiore & hu-  
 midiores atq; etiam difficiliore funt, vtuntur  
 eo quod Ægyptiacum appellatur, de quo fu-  
 perius verba fecimus, diluunt autem aliquo li-  
 quore, qui & ipfe fit ea facultate præditus, quæ  
 apta fit fcopo, qui nobis in curando, vel munda-  
 dando

dando sinu sit utilis. plerumque verò decocta conficiunt ex aristolochia vel iride, vel centaurio, aliquando verò mulla, aut vino, pro ut magis expedire visum fuerit, atq; infundunt in sinum, & adeo feliciter eo vtuntur, vt eo solo non modò vlcus à sorde depurent, verùm & agglutinent, & ad cicatricem perducant: maximè verò vbi vlcus plurimo humore scaecat, & multa in ano vlcera hac ratione curata vidi. Sed hic vnum mihi videtur animaduersione dignum, cuius meminit Galen. 2. libro artis curati. ad Glaucon. quod interdum sinus proximè sub cute est, adeo vt sæpe sola cute, & illa admodum tenui vt similis ferè videatur tritæ & laceræ vesti, vnde & à Græcis medicis *παρώδης* dicebatur. solet autem talis euadere præsertim quando abscessus non fuerit opportuno tempore per sectionem apertus, & id aut propter imperitiam medici curantis, aut timorem ipsius ægroti, qui incisionem pati non audet. Vnde postea cutis à pure contento & erodente semper magis attenuatur, & non modò in abscessu antequam aperiatur, pus erodit carnem, cui hæret: verùm & in eo rupto & in sinum conuerso, cum pus detinetur, nec facilè effluit. Vnde hac etiam ratione obstat generationi carnis & agglutinationi. Itaque agglutinatio & carnis agglutinationi in his sinibus, qui adeo tenui & la-



cera cuti conteguntur, per quam difficilis est, et peritū medicum requirit: eius autem curandi ratio, altera quidem promptior & facilior, breuiorque est, nempe si forcipe aut cultello secundum longitudinem vlceris, tota ea cutis incidatur, atque ita opertum vlcus aperiatur, nam facilius pus effluit, & vlcus accommodatis medicamentis ficcari & detergi potest, & subinde carne repleti, & ad cicatricem deduci. Commodius præterea medicamenta posunt adhiberi, quamuis malignum & madens sit multo humore, & quidam ignito & candēti ferreo instrumento eam incisionem solent moliri. Altera autem longior & difficilior est, quam medicus ope medicamentorum perficere nititur, & hanc docuit Gal. 2. lib. ad Glauco. Nam interdum ægotantes non præstant se ad hanc incisionem faciles, & quandoque locus non potest nisi cum periculo ferre sectionem, vel si posset ferre, fugimus tamen ob magnam cicatricem, quæ partem illam multum deturparet, sicuti in facie has cicatrices quantum fieri potest fugimus. Cum ergo in hunc modum se habet vlcus, solebat Galen. lixivio lauare, vt purgetur sinus, deinde adhibebat ea quæ humida essent actu secundū suam consistentiam, vim tamen insignem desiccandi haberent. Nam si eis vtamur ait Gal. quæ consistentia sint sicca, tenuis illa cutis a-

deq.

deo reficcatur, vt similis fiat corio vel pelli trita, præfert autem in hac re Galen. suum emplastrum, quod diachalciteos, nostri diapalmam nuncupant, si conficiatur ex vetustissimo oleo, & mediocris sit consistentiæ, quod neque durum admodum, neque ita molle sit, vt inquinet. Præterea verò illi & mel catenus coctum probatur, vt emplastri compagem habeat, nempe vt neque durum sit, neque diffusus. Nam tanquam optimum medicamentum ab antiquis habitum est, si ad congruentem cocturam deueniat, & quia non vnicuique facile est ad eum concoctionis modum vel deducere, ideo Galenus defectum concoctionis docet corrigere super asperso pulvere tenuissimo thuris vel myrrhæ & aloes, vel aliquorum, vel omnium nimirum, quando linteo inunctum liquidius videatur, quam ratio requireret. excutiatur verò pulvis per cribrum, & semel tantum, vel ad summum iterum excutiatur. Sed si maior & profundior fuerit sinus, consulit vt inter coquendum præfati pulueres inspergantur, tamen & centaurium minus, interdum & symphytum, quandoque & erui farina addi possunt. Sed de his satis egimus: agamus præterea de medicamentis, quæ exterius apposita sinum comprehendunt. Ea itaq; huic officio apta esse ait Galenus, quæ præterquam quod infi-

gniter desiccant, etiam è profundo attrahant, hæc tamen omnia citra morsum faciant. hoc tamen diligenter obseruato, vt pro diuersa ratione & conditione ipsius vlceris diuersis vtamur medicamentis, atq; etiam, quod tamen idem est, pro diuersis scopis, qui nobis offeruntur. Nam si vlcus purgatum mundumq; redditum sit, sola agglutinatione laterum opus est, perinde vt in recentibus & sanguinolentis vulneribus. Vnde et eadem vsui esse poterunt medicamenta, quibus vti solemus in eiusmodi vlcerib. vel vulneribus, qualia antiquis ea erant, quæ appellabantur Barbara & quæ cirrha, hoc est fulua, vel quæ fusca, phæa autem à Græcis dicebantur, de quibus Galenus sermonem in secundo & sexto de compositione medicam. secundum gen. satis etiam copiosum habuit, & de hoc medicamentorum genere quantum videbatur posse esse satis, nos quoque superius egimus: in hunc vsu venire posset emplastrum Galeni cuius paulò ante meminimus, quod phœnicinum ipse, vel chalciteos appellat, & illud præterea, quod ex lithargyro & œnelæo, vel ex oxelæo conficitur: sin autem nimis humidum esset, exiccãtioribus medicamentis agendum esset: si fordidius, His emplastrum ex cerato quantum satis esset ad hoc, vt non morderet accommodatum esset, vel aliquod istius modi

modi alterum: si callosum esset vlcus, mollientibus & digerētibus esset opus, vt esset diachylon magnum, additis etiā his lachrymis, quas vulgo gummas vocant: item hissopi seu mauiis ætysi ceratum, quod à Mesue describitur, & id genus alijs, quæ magis minusue digerere & mollire possent, pro maiori minoriue duritie. Nam dum initio res est, neque induruerit calculus, vel diapalma posset sufficere, nam vim molliendi ex adipe suillo habet, digerendi autem & desiccandi ex chalcitide. vbi verò magis obcaluit, ea medicamenta quæ durities digerūt, magis erunt opportuna. Sed in modo vsus horum hoc animaduertendum quod à Galeno moniti sumus secundo libro ad Glauconem, quod eiusmodi medicamenta linteo extensa & illita apponenda sunt, quæ comprehendāt vniuersum sinum, vt tamen forcipe pluribus foraminibus sint incisa ad os ipsius sinus, nempe vt pus ichoresque facilem habeant effluxū. imo & hoc consuluit Galenus, quòd altero & latiori medicamento vniuersus contegatur sinus præter os eius, altero verò os quòd breuius sit, & quasi par, vel paulò maius ipso ore, quod & sæpius: quotidie nimirum, vel alternis diebus mutetur, cum alterum nequaquam auferendum sit: nisi per longa intervalla. Addit & tertio, quando agglutinationi sinus damus operam, alijs medicamentis spongiam

nouam madidam, vel vino vel mulso superad-  
dendam. Sed de callosis sinib. vel fistulis, pau-  
cula quædam dicamus.

*De callosis sinibus fistulisq; ac alijs ulceribus, qua  
ostracosa iuniores appellant.*

*Caput XIII.*

**E**T si vlcera omnia vel ratione male affecti  
corporis vitiosisque humoribus referti,  
vel ex imperitia medici, vel ex pertina-  
cia & inobediētia ægrotātis possint callosa fie-  
ri, & omni ex parte, hoc tamen vitium fistulis  
& sinibus magis familiare est, præsertim verò  
labris ipsorum interius. quandoque tamen vt  
à Galeno quinto de simplic. medic. facultatib.  
haberi potest, & exterius circum circa ipsum  
os. indurantur autē duplici præsertim de cau-  
sa. Nempe aut ex immodica siccitate, aut ex in-  
farctu materiæ, in primis verò crassioris, qua  
repleta particula distenditur & indurescit,  
nam de tertia causa, quia aliquid à frigore  
concrescens induratur, mihi in præsentia  
meminisse opportunum minime vide-  
tur, vt pote quoniam nunquam aut rarissi-  
mè ea de causa indurescunt. labra vlceris.  
pleranque enim, ni fallor, fiunt calli in vlceri-  
bus, eodem modo quo scirrhi, quippe qui aut  
ex infarcto frigido & crasso humore, aut ex ca-  
lido

lido quidem inter initia, crassiori tamen, atque mox deferuescente, digestisque tenuioribus & humidioribus partibus gignuntur, sicut quando inflammatio in scirrhum transit. fit tamen interdum ex importuno refrigerantium usu, ut erysipelas in scirrhum vertatur. Sed potius duobus prioribus modis fiunt callosa ulcera, dum humores influentes in eas partes, nec excreti vel separati, ibi diutius retinentur, maximè verò si crassiores sint, atque ibi dum à calore nativo, magis etiam ab extraneo, quo semper aliqua ex parte affecta sunt ulcera, tū verò vi exsiccantium medicamentorum, discussis paulatim tenuioribus & humidioribus partibus, ibi quasi durus tumor gignitur. Horum porro callosum, ut duplex potest esse conditio, ita duplex indicatur curationis ratio: in initio enim dum nondum exquisitè induruerit, sed indurescunt, & molliri & digeri vi medicamentorum possunt: at ubi exactè induruerint, nequeunt hac curandi ratione vinci atterique. Sed tantum manuali operatione. ut potest si nouacula, aut cultello abscindantur, aut si igne vrantur, & hac ratione detrahantur. At si vel locus non admittat, vel ægrotus nolit vel nequeat ferre hanc operationem, medicamentis crustas inducentibus vrantibusque perinde, ut ignis indurenda sunt: hæc medici tum caustica, tum septica appellant. Sed de prima

curadi ratione priorem sermonem habeamus cæterum istius morbi ratio non est vna & simplex, sed constat ex complexu duorum affectuum, nempe vlceris, & calli vel duritie: & proinde medicamenta quorum vsus ipsis curandis idoneus est, componenda sunt, habita semper ratione duorum scoporum, quæ nobis duo illi affectus offerunt. callus enim requirit tum mollientia, tum digerentia, vlcus verò de tergentia & desiccantia: vnde tum ea quæ in vlcus induntur, tum ea quæ desuper apponuntur comprehendentia sinum & vlcus, oportet mixtis facultatibus esse prædita, vt & siccet & detergant, sed præterea & digerant molliant que. verum quia plerunque cum indurantur, labra inprimis indurescunt, nõ cavitas & profundiores partes vlceris, ideo maior deterfio & desiccatio necessaria est medicamentis quibus spatium vlceris repletur: maior verò molliendi & digerendi facultas illis, quæ comprehendunt vniuersum affectum locum superposita, prioribus. Nam cum labra, vel loca circa ipsa, quæ ad cutim solent pertingere, solent à duritie occupari, magis poterunt ea efficere externa emplastra vel cerata medicamenta, ergo vlcери imponenda mihi illa maximè opportuna videntur, quorum superius fuit habita mentio. nempe id quod Isis dictum est ab antiquis, relata à Galeno quinto de Compositione

tione medicamentorum per gen. cap. 3. præfer-  
 tim confecta eo modo, quo videtur Galen. so-  
 litus conficere, itemque illud quod Apostolo-  
 rum appellauit Auicenna, vel alia quæ cum  
 his rationem similem habent. Ad atterendos  
 tamen vlcerum callos, maiorem vim si rectè  
 velimus vtriusque confectioem æstimare, vi-  
 detur habere Auicennæ medicamentū, quod  
 ipse Apostolorum vel Veneris appellauit, quā  
 Isis. detergendi verò fordes & desiccandi, Isis,  
 quod & longè acrius est. Nam Apostolorum  
 accipit terebinthinæ. ceræ albæ, resinæ picæ  
 singulorum ʒ iiij. oppopanacis, æruginis sin-  
 gulorum drach. ij. ammoniaci drach. quatuor,  
 aristolochiæ longæ, thuris, singulorum ʒ. vj.  
 myrrhæ, chalbani, singulorū ʒ. quatuor, bde-  
 lij drach. vj. lithargyri drach. xj. bdelium ex a-  
 ceto dissoluitur, coquitur verò medicamen-  
 tum ex libris duabus olei æstate, tribus verò  
 hyeme. omnia quidem plus minusue siccant  
 oleo excepto, & ferè etiam lithargyro. deter-  
 gunt verò præcipue ærugo, deinde myrrha &  
 aristolochia: at terebinthina, picca, opopanax,  
 ammoniacum, chalbanum, bdelium partim  
 mollièdi, digerendique insignem facultatem  
 habent: præterea verò & attrahendi ex pro-  
 fundo. thus autem concoquendi: plurimum  
 ergo poterit esse vtile medicamentum callosis  
 vlcerib. roborandi tamen & repellendi, vel



nullam, vel exiguam vim retinet, cum ferè a-  
 stringentibus careat. Iſis autem in hunc mo-  
 dum à Gal. ex ſententia Critonis deſcribitur.  
 Guttae ammoniaci, ſalis armoniaci, ſquamæ  
 æris, æris uſti, æruginis ſingulorum denarios  
 viij. aluminis rotundi denarios vj. ariſtolochię  
 thuris ſingul. denar. viij. myrrha, aloes, chalba-  
 ni, ſingulorum denarios xij. cere denarios viij.  
 colophonię, terebinthinę ſing. den. vj. olei ve-  
 teris, aceti ſingulorum heminas duas, medica-  
 mentum magnam vim habet attrahendi è pro-  
 fundo. Nam ammoniacum, chalbanum, tere-  
 binthina, item & colophonia præter facultatem  
 molliendi & concoquendi, digerendiq;,  
 non parum etiam attrahunt è profundo, & om-  
 nia ſiccant, non minus etiam attrahunt æru-  
 go, ſquamæ æris, & æs uſtum, ſal ammonia-  
 cum, quæ & detergendi vim obtinent in ſignè.  
 aliquam etiam habet myrrha, maiorem tamè  
 concoquendi, tum ipſa habet, tum vel etiam  
 thus: astringunt autem & ſubinde particulas  
 roborant, fluxionesq; repellunt alumen & a-  
 loe. Epigonus verò ſuccum marubij, quod &  
 ipſum attrahit, & non parū detergit, & ſereos,  
 quæ calorem aliorum poteſt aliquantulum  
 temperare: conſecto autem hoc medicamento  
 in ſinibus curandis biſariam uti poſſumus, ſi-  
 cut duplex poteſt, eius eſſe uſus. Nam & in  
 fiſtulas, vel ſinus injici poteſt, & exterius ap-  
 poni

poni, iniicitur autem, vel linamentis, siue vt iuniores loquuntur, tentis eo iunctis, aut per instrumenta paulò antè exposita eliquatis: præterea verò potest & linteò extensus externò apponi. Si quidè hoc modo vtamur, cerato immiscendū est, nam & moderatiora hac mixtura fiunt id genus acria medicamenta, quæ rarò ferri possent sola & immixta, vtpote quia eroderent carnem, fit autem eius cum cerato miscela secundum eam symmetriam, quæ magis videtur medico esse opportuna. Nam quo plus istius emplastri, & minus cerati simul cõmiscetur, eo acrius & fortius erit medicamentum: quo verò plus cerati, & minus emplastri, mitius & minus potens euadet: vnde illud laudant quòd & recentia vulnera possit conglutinare, & carnem generare, & cicatricem inducere. Sed id pro varia ratione illius mixturæ, nam eo modo magis minusque ficcans, magis minusque detergens & itidem astringens fit. At verò si aut infundendum est medicamentum, vel etiam illinendum linamentis, oportet vt fluens & mollius reddatur: vnde erit aliquo oleo eliquandum quod magis erit medici sopo congruens. Nam si in fistula, vel sinu aliqua sint inflammationis reliquæ, vel principia, accommodatius erit oleum rosaceum vel maturum, vel omphacinum, & id quatenus sit opus maiori repulsione & refrigeratio-

ne, ſi autem humidior & ſordidior, vt & digeſtione deſiccationeque maiori & deterſione ſit opus, oleo veteri diſſoluetur. ita & maior copia ad oleum emplaſtri, vel minor imponenda. Vnde dicebat Galenus, quòd aliquando vna pars emplaſtri componitur cum duabus cerati, vel olei, aliquando tribus, vel pluribus, quo enim ſordidior erit ſinus vel vlcus, eo etiam ex minori cerato diſſoluendam erit. & quo purior fuerit, eo etiam copioſiori cerato, vel oleo liquandum erit. Quando verò magis incalluerint & induruerint labra vlceris, quæ vt ſperemus medicamentis digeri & atteri poſſe duritiem, tunc vel abſciſſione totius illius partis ferè erit agendum, qua ablata, vt vlcera recentia & cruenta erit affectus curandus, vel ſi id minimè liceat, medicamentis que cauſtica vel ſeptica, hoc eſt vrentia, vel putrefacientia dicuntur à Græcis, res eſt tractanda. Noſtri chirurgi interdum Ægyptiaco dicto vnguento vtuntur, inciſis prius, vel vt ipſi aiunt, ſcarificatis labijs, ſicuti præcipiebat Auicenna crederem quòd & Iſis ſine alia mixtura poſſet illud præſtare. ad hoc officium non ineptus eſſet vſus illius rubri pulueris quem præcipitatum appellant, cuius auctor fuit Ioannes de Vigo. Fit autem ex ſublimate hydrargyro, vel vt nunc appellamus, argento viuo, conficitur etiam medicamentum ex calce viua aſſumpta  
ex nigro

ex nigro saponē. Aliqui etiam componūt medicamentum ex arsenico albo, quod sublimatum vulgo appellant. quæ omnia vrunť & crustam inurunt, quæ deinde aut butyro, aut alio molliēte & concoctorio medicamento paratur vt cadat, deinde curatio instituēda pro ratione vlcēris: vt tamen cum his causticis vtimur, illis sit desuper apponēdum medicamentum refrigerans, & aptum ad arcēdas inflammationes. Possēmus autē hoc loco multa eiuſmodi describere medicamenta caustica, quorum copiosissima reperitur sylvā apud auctores, qui hanc materiam tractarunt: sed mihi in præsētia hæc satis sint, properamus enim ad finē tractationis vlcērum: agamus in futurum de excreſcente carne, præsertim molli in vlcēribus.

*De his quibus curanda sint ulcera, quibus superexcreſcit caro inutilis, quem affectum Græci*

*ὑπερσάρκωσις* appellant.

Caput XV.

**Q**uia vlcēri interdum superexcreſcit caro, quem affectum ὑπερσάρκωσις Græci appellauēre, esseq; morbum auctæ magnitudinis Galenus ꝫ. methodi sensit, qui sui detractionem indicat, sicuti cum ea deficit, esse peragenerationem augendam: quamuis

deinde vtriusque officij, nempe detractio-  
 auctæ carnis, & aggenerationis, qua caua vlce-  
 ra replentur & ad æqualitarem deducuntur,  
 vt cicatrix commodè illis obduci possit, non  
 sit eadem ratio, quia solius naturæ, vt & supe-  
 rius monuimus, munus est carnem aggene-  
 rare: medici verò, vt ea amoueat, quæ naturæ  
 possunt esse impedimento, contra verò res in  
 carnis detractioe se habet, quia ad solum me-  
 dicum hoc officium pertinet, cum natura ni-  
 hil ipsa in hoc possit. Vnde neque abrefuerit,  
 si de instrumentis egerimus, quibus vti solent  
 medici ad reprimendam & amouendam su-  
 perexcrecentem vlceri carnem. cum autem  
 caro excreseat in primis, vt Auicenna testatus  
 est fen. 4. libro quarto, quando medicus pro-  
 curat, vt caro generetur in vlcere antequam  
 purgatum à sorde sit vlcus, & probè, quantum  
 nempe satis sit desiccatum, videtur inde sequi,  
 quòd causa cur fiat hyperfarcosis, sit redun-  
 dans in vlcere excrementosus & superuacuis  
 humor, & proinde caro, quæ hoc modo accre-  
 scit, inutilis & vitiosa caro est, quæ propterea  
 neque vnius est naturæ, sed potius diuersa,  
 pro diuersitate excrementi exuberantis. Nam  
 aliquando superacrescens hæc caro mollis,  
 madens & flaccida est, interdum verò durior,  
 & quasi callosa: ideo neque eadem erit ratio  
 eorum instrumentorum, quibus & accretio  
 reprimen-

reprimenda sit, & aucta detrahenda. Ratio vero hæc diuersa harum differentiarum à diuersitate naturæ excrementosi humoris oritur, quia ad vlcus affluit. Nam si tenuis & quasi aqueus, copiosus autem, generatur caro mollis vt eam Hippoc. tertio libro de Articulis appellat, mucosa, quam ex affluxu multæ humiditatis procreari ait ibidem Galenus Com. 65. 66. si autem sit confluxus crasriorum humorum vt est crassa pituita, vel melancholicus humor vt potius sordidum quàm ichorosum sit vlcus, caro callosa & durior ibi generatur, quò modo & calli alibi gignuntur, euaporantibus nempe partibus tenuioribus. Longè facilius autem est carnis detractio, quæ mollis sit, quàm eius, quæ callosa, sicut & illius quæ non plurima est, quàm illius quæ plurimum excreuit: sed præterea quoniam, vt inter initia probauimus, ab vsu iudicantur & eliguntur remedia, vsus verò pendet à primis illis indicationibus, quæ tum à natura & magnitudine affectus depromi solent, tum à natura particulæ: ideo sicut horum amborum multiplex est differentia, ita etiam necesse est, multiplicem esse differentiam eorum instrumentorum, quibus in remouenda hac inutili carne medicus utatur. quandoq; n. medicamentis, interdum vero ferro igneq; & quandoq; medicamentis negociū trāfigi posse viderur, interdum qdē acriorib:

& fortioribus vti necesse est: nonnunquam mi-  
 noribus & facilioribus, atque id tum ratione  
 magnitudinis & difficultatis morbi, tum etiã  
 ob naturam ipsius corporis, quod aut mollius  
 aut tenerius est, aut durius: item que quod aut  
 acriori, aut obtusiori sit sensu. Et cum docue-  
 rit Hippocrates ad officium medici in primis  
 pertinere vt citius quidem, quã fieri po-  
 test, sed suauius & quanta minori potest mo-  
 lestia morbos curet, atque vt iuuet, minimè  
 verò noceat, in vlcereb. verò curandis dolores  
 & morsus, præter quã quòd ægrotantes cru-  
 ciant, vlcera etiã irritant & fluxionum sub-  
 indeque inflammationum in causa sunt: &  
 cum ad detrahendam superexcrecentem in  
 vlcereb. carnem sit opus his medicamen-  
 tis, quæ vt tertio meth. cap. 6, docuit Galen. vehe-  
 menter siccent adeo, vt hac ratione proxima  
 illis sint, quæ cicatrici idonea obducendæ sunt  
 quæque etiã vehementer detergant, & ple-  
 raque id genus medicamenta, vt idem 5. de  
 Comp. med. per gen. cap. 14. calida sint & acria  
 & proinde mordacia: recte consulunt, qui  
 aiunt, vt si citra morsum transigi hoc negotiũ  
 possit, abstinemus ab illis quæ mordet: quòd  
 si necesse sit acris & mordacibus vti, ita pa-  
 ratis vtamur, vt quatenus fieri potest, tempe-  
 retur, & moderatio reddatur acrimonia mor-  
 dicitasque. In qua quidem re præstanda, con-  
 sideran-

sideranda sanè erit medicamenti natura primum, deinde verò conferenda cum natura tū corporis, tum etiam particulæ, quæ vlcus habet, æstimata nempe duritiæ, vel mollitiæ eius, sensus acrimonia & hebetudine. præterea & aduertendum, an in vlcere aliqua sint initia, vel reliquæ inflammationis, vel etiam sit aliqua suspicio eius superuenturæ. quia istiusmodi medicamenta, si insignem haberent deteriorationem, aut desiccationem, irritarent vicus, & inflammationem augerent, vnde in his fortasse, qui non possunt ferre acriora medicamenta, non absque ratione esset dictum in libello de theriaca ad Pisonem, posse aloem exficcare supercrescentem in vlceribus carnem. Sed magis particulatim rem hanc tractemus. in vsu itaque plurimo nostris his temporibus & præcedentibus est alumen, quod roche vulgo dicitur, combustum. Nam dum vritur, fit minus mordax, & hoc medicamentum mulieribus etiam familiare est, quo nonnunquam solo, interdum verò ex Auicenn. consilio illi bolus armeniam admiscetur: efficax sanè medicamentum, quando multa non fuerit caro, quæ superaccreuerit, neque callosa. In eodem ferè ordine est, & illud, quod vulgo alumen zuccarinum vocant: est autem medicamentum non simplex, sed ex multis compositum, & priori minus mordax, quod conficitur ex non vltro alu-



mine trito subactoque aqua rosacea, & albo ovi, ex quib. acrimonia vel mordacitas aluminis non parū delinitur. quidam hermodactilis tritis & cū fece vini, quā tartarum vocant, mixtis vtuntur. vtilis etiam est vsus cineris conchiliorum, vel eorū piscium, qui testacei sunt, vel testa clauduntur, vt sunt ostrea, buccinæ, purpuræ, & id genus alia quando cōburuntur & in cinerem, vel puluerē vertuntur. eius. n. meminere antiqui ferē omnes. Quidam autē chirurgi vt quoquo modo ægrotantes decipiant, præsertim pueros & timidās mulieres, excerpunt ex tritis & laceris linteis panniculis fila, easq; in muria, aut ex decocto aluminis macerant, moxq; exsiccant ad hos vsus. His fortiora sunt misy, sory, disryges, chalcitis, atramentum futoriū, sandaraca, de quib. superius fuit habitus sermo. In fortiorib. etiam sunt æs vstū squamæ æris, flos æris & ærugo. Sed vt sapius ex Gal. sententia monuimus, hæc ita parari possunt, vt & magis ac minus acria sint. si enim vrantur, minus quidem acria sunt, nō tamen minus desiccant. & si exquisitè præterea lauētur, adhuc minus acria & magis mitia redduntur. Composita quoq; medicamenta, quæ ex his conficiuntur, hoc officium possunt præstare, sicut sunt viridia vngueta, vel emplastra, vt illud quod Litem appellari diximus, & Dauescenum, & Apostolorum, & Isis, tandem &

*Egy-*

*Ægyptiacū*. Iam .n. declarauit Galenus, quòd eisdem sepiſsimè medicamentis vt poſſumus ad agglutinandum vlcera, & ad aggenerandam in eiſdem carnem, & ad cicatricem obducendam, & tandem etiam ad detrahendam & conſumendam excreſcentem in vlceribus carnem. Quamuis enim diuerſos medicamentorum ordines & rationes, vt ſuperius docuim⁹, hæc requirant: poſſumus tamen medicamenta hæc ita, additis, aut detractis illis, quorum mixtura, aut miſceſcit & obrunditur eorū vis & acrimonia, aut intenditur & exacuitur, parare vt differentibus illis muneribus poſſint pro diuerſa eorū ſymmetria accommodari: Vnde vt diximus, vel ipſo etiam *Ægyptiaco* interdum carnem excreſcentem reprimimus, & carne vlcera replemus, & agglutinamus & cicatricem inducimus. Quæ omnia à Galeno, & 3. meth. in vniuerſum, & primo de Compoſitione medicamentorum per genera de diachalciteos emplaſtro demonſtrata, & 2. de viridibus emplaſtris, & 4. etiam de liſide & dealijs. Præter autem hæc ſunt ad hos ſcopos, non inutilia multa medicamenta arida, tum ſimplicia, præfertim vero illud cuius antea meminimus, nempe quod iuniores mercuriū præcipitatū appellant, & apud omnes chirurgos in præſentia eſt in multo vſu, quodq; & ipſum ſi lauetur miti⁹ redditur, tū paſtillorū multè diſſe-

rentiæ, quæ antiquis in frequenti erant vsu, vt sunt Andronis, Pasionis, Poliydæ descripti à Gal. 5. de Comp. med. per gen. nostris autem temporibus Andronis pastilli vbique fere parati reperiuntur, de quib. etiam superius nos sermonem habuimus: præterea verò & pastilli ex charta combusta. Interdum verò adeo excreuit caro, & illa adeo callosa & maligna, vt sit opus causticis septicisq; medicamentis eam auferre: vbi multi in præsentia vtuntur oleo ex atramento futorio, quod ex vitriolo vulgo appellant, aut oleo, vel aqua sulphuris: sæpe etiã ad ferrum transire & ad ignem necesse est, nempe eam rescindendo, vt de calloso etiam vlcere paulò antea diximus, aut candendi ferro inurendo. Sed quatenus ad vsum horum medicamentorum, quæ mordent & exedunt pertinere potest, est id aduertendum, quod cum pleraque, imo omnia calefaciant irritentq; locum, in causa interdum esse poterunt concitandi fluxiones, & accrescendi inflammationes: quapropter hoc in primis perito & prudenti medico attingit, vt his periculis se opponat vsu eorum medicamentorum, quæ refrigerent & repellant imminentes fluxiones. sicuti si vel panniculus aliqua aqua, vel succo alicuius herbæ, huic rei idoneæ, prius immersus post appositos exedentes pulueres, vel alia medicamenta, desuper apponatur comprehendens vlcus  
vniuer-

yniuersum. aquæ verò, vel succi sint solani, plantaginis, polygoni, semperuiui, herbæ lichena, quam hepaticam vulgò appellant oxalidis, & id genus aliarum. Vel emplastrum aliquod ynguentumue refrigerans, nam & vires diutius seruabit. Ad quem vsum vtilia essent album ynguentum ex cerusa confectum, vel simplex, vel quod camphoratum appellant, itemque diapompholygos, vt nunc appellant, ex thuria: aut ex plumbo vsto & loto. nec minus vtile esset id quod ex succo solani dicitur, de quo sumus suo loco sermonem habituri, vel quodpiam aliud istius naturæ, neque præter rationem esset, si circum circa ea illinirentur, quæ a junioribus defensiuæ appellantur, de quibus superius longus etiam est habitus sermo. Reliquum autem est vt de causticis vel vrentibus agemus medicamentis, quæ septica dicuntur, hoc est putrefaciencia medicamenta, cum eorum vus sit interdum illis medicis necessarius, qui in vlceribus istiusmodi, fistulosisque & putridis, præterea & multis tumoribus præter naturam curandis versantur.

*De compositione & vso medicamentorum, quæ caustica quæque septica, hoc est vrentia & putrefaciencia dicuntur. Caput XVI.*

**S**Vnt quidem proxima qualitatibus & viribus medicamenta, quæ caustica Græcè,

hoc est vrentia, quæque septa, vel septica, hoc est putrefacientia dicuntur, non tamen eandem omnino naturam & rationem habent, Nam caustica illa propriè dicuntur, quæ carnem vel alias similes partes perinde ferè vt ignis exurunt, relicta crusta parte, illi simili, quæ ab igne inuri solet. Vnde escharotica etiam medicamenta dicuntur, quasi crustam inducentia, escharam enim crustam ab igne excitatam Græci appellauere, quæ vt testatur Galenus, nihil aliud est, quàm pars exusta carnis, quæ consumpto proprio & natiuo eius humore, relictis tantum terreis partibus, induruit, & quasi in carbonem, vt in combustis lignis fit, conuersa est. vt ergo ab igne, ita & ab igneis medicamentis exiccatur, imò quasi vritur, & dissipatur natiuus carnis humor & calor, quæ ab illis tangitur & in crustam duram conuertuntur partes crassiores & terrestriores. Vnde hac ratione corrumpunt partes quas tangunt, & ad interitum deducunt, constant siquidem ignea imprimis terreaque natura. Septica verò medicamenta impropriè sanè dicuntur putrefacientia, quia putrefactio fit à calido cum multa humiditate, quam cum natiuus calor regere nequeat, externus corrumpit, et extincto, vel potius digesto natiuo calore, mixturam dissoluere nititur, atq; ita per putrefactionem extinguuntur, & inter-

eunt

eunt mixta corpora. conſequitur autem putredinē, quaſi proprium eius ſymptoma fœtor. Vnde proprie putrefaciunt ea medicamenta, quæ calida & humida ſunt. Quæ autem *ονητικὰ* vel *ονητικὰ* à medicis Græcis quaſi putrefacientia dici ſolent, ea calefaciunt & deſiccant, cum partium tenuitate, vnde carnes & alias etiam partes quaſi colliquant, & natiuū calorem corrumpunt, vt quaſi cadaueris partem eas relinquunt, neq; alioquin cruſtas inurant, neq; cū dolore id agunt, & id quia neq; ita terreæ, neque ita craſſæ ſubſtantię ſunt, ſicut cauſtica ſeu vrentia medicamenta, quæ cruſtas excitant, hæc enim cū dolore fixo propter ſubſtantię craſſitudinem, ac ſi infixus loco eſſet ſtipes, cruciant. Propterea ergo quod citra dolorem & citra cruſtā colliquant & corrumpunt extinguntq; partē cui inhærent, ſicuti & ea, q̄ putrefaciunt verè proprieq; ab effectus quadā ſimilitudine putrefacientia dicta ſunt. Hoc tamen tēpore chirurgi hæc confūdunt & cauteria tam ea quæ proprie cauſtica ſunt, quàm illa quæ ſeptica vel putrefacientia ab antiquis dicebantur, appellant. Sed de his magis particulatim agamus, & eorū materias præfertim verò illas, quæ in maiori vſu ſunt, exponamus, ſunt autē in ordine vrentiū, vel cruſtas inducētium medicamentorum ex ſimplicib. mineralia ea, de quibus multa ſæpe facta eſt mentio.

nempe atramentum futorium, quod chalcanthum Græci vocant, chalcitis, misy, sory, siue illa vsta sint ait Galenus 5. meth. siue citra vstionem illis vtamur. præterea verò calx viua. in his nonnulli vini & aceti fecem si cumentur posuerẽ. Imprimis verò Dioscorid. & in his eisdem æruginem esse ponendam arbitraret. Septica autem, quæ à Galeno 5. de simp. medicam. referuntur, sunt auripigmentum, vel vt Græci arsenicum appellant, sandaraca, quæ similis ferè generis cum arsenico est, de sandaraca autem græcorum loquimur. Præterea verò & chrysoçolla, sed & filiculá ex herbis Galen. dryopteria appellat, aconitum, & pithyocampe, nisi quod hoc est animaduertendum, quod sicuti nostri iuniores caustica cum septicis vbique ferè confundere videntur, ita & Galenus, nam quamuis ea ita mutuò distinxerit vt caustica & crustam inducant, & crassiorum partium sint, & citra dolorem eliquant ferè carnem, & inter septica medicamenta in principe loco arsenici, vel auripigmenti meminit 5. de fac. simp. med. Nono tamen libro illud causticè esse facultatis ait, quemadmodum & sandaracam. In horum putrefacientium ordine existimarem ponendú oleum illud, quod ex atramento futorio fieri solet, inuentum alchimistarum, item & oleú, yel aqua sulphuris. Nam ex modo quo conficiuntur

ciuntur, tenuitatem partium suarum acquirunt, utpote quia terreæ partes separantur, & aquam etiam illam acerrimam, ex qua fit sapo, & illam etiam qua utuntur, qui aurum ab argento separant, & quæcunque alia his similem habent virtutem. pulverem autem, quæ præcipitatum appellant, potius in ordinem cauteriorum redigerem. Sed hoc longè maiori consideratione dignum, quod ad vsum eorum pertinet, nempe quod similibus medicamentis, quæ vel caustica, vel septica appellamus, multiplici de causa medici uti solent. Nã aliquando ad aperiendos abscessus, sicuti in illis, qui incisionem & ferrum timent, aut interdum nimiam sanguinis effusionem timeamus propter multas magnasque venas in loco in quo incisionem moliri oportet, aut præterea ut putredo serpentium & depascentium vlcerum rosioque & passio reprimatur, & tandem superetur, aut etiam ut sanguinis eruptionem ex insigni aliqua vena vel arteria refrenemus aut intercipiamus, præsertim si profundior illa sit, ut neque medicamentis, quibus sanguinem fluentem filtrare & suppressere solemus quicquam agere potuerimus, neque vinculis, neque ligaturis & fascijs quod imprimis contingere solet in corrosivis vlcibus. nam aut candenti ferro, aut causticis medicamentis inurimus locum. crusta enim, quæ



ex vitione inducitur, cooperuli vicem supplet, quod exitum sanguinis prohibeat, donec superexcrefcens in vlcere caro, verum & naturale illi fiat operculum, & quia hoc, si infigne fit vlcus, breui tempore fieri nequit, quãtum possunt procurant medici, vt crassior duriorque exciterur crusta, quo diutius ibi possit manere, alioquin enim si citò ante genitam carnem, quæ cooperiat & consolidat locum, cadat crusta, deterius quàm prius, vt 5. methodi docuit Galenus, semper res se haberet, quia cum crusta nihil aliud sit, quàm illius loci exusta caro, cum illa cadit, foramen maius euadit, et proinde consuluit, vt illis causticis ad hoc munus vtamur, quæ propriè caustica & escharotica appellantur, potius quàm septicis, quæ licet carnem corrumpant, duram tamen crustam non excitant. Illa verò sunt imprimis huic officio commoda, quæ præter vrendi vim, insignem etiam astringentiam habent, vt atramentum sutorium vstam vel non vstam, chalcitis, misy, sory, long ceteriam magis quàm calx viua, quia crusta, quæ ab ea inuritur, citius cadit, quàm ab alijs, quæ præterea insigniter quoque astringunt. Insuper & tertio neque omnino hoc prætermittendum, quod idem Galen. videtur aduertisse 7. de sim. inedicamen. fac. vbi de cedro & eius oleo, quod cedream antiqui appellabant, ferino.

sermonem habet. Nempe quod medicamenta quæ vim habent liquandi carnẽ, siue ea sint vrentia propriè, siue putrefacientia, non eadem vires habent. Nam alia maiores, alia minores, quod ipsè cedriæ vel cedræ exemplo docuit ibidem. Ait enim quod vim quandam habet liquandi mollem carnem, duriores tamen particulas nequaquam, vnde cadauerũ carnes à putrefactione seruat, vtpote quæ possit humorem earum vnde essent putrefaciendæ exiccare. Multa verò sunt septica, vel vrentia medicamenta, quæ etiam cadauerum carnes, vbi diutius illis hæserint, liquare & putrefacere possint, vnde in his multi ordines, siue simplicia sint, siue composita, obseruari possunt, quæ obseruatio non erit parum utilis ad id, vt possit medicus aptare hæc medicamẽta tũ affectib. nempe pro ratione eorũ magnitudinis vel paruitatis, cũ extremis morbis extrema, vt docuit Hippoc. remedia opportuna sint: tum etiam corporibus. Nam corpora molliora leuioribus & facilioribus possunt facile cedere, duriora verò & solidiora non vincuntur nisi à fortioribus & acrioribus. Præterea verò aliqua perspicacissimi & acerrimi sensus sunt, quæ ferre sine magna noxa & cruciatu acriora medicamenta nullo modo queunt, alia verò obtusiora sunt, vt hæc facile tollerent. Sed de hoc medicamentorum genere magis particulatim sermonem instituamus. Et quia

simpliciora medicamenta huc spectantia, si non omnia, saltem quæ in maiori usu fuere singulatim paulò antea fuere exposita, & aliqua etiam factitia, quæ etsi vires habuerint ab alijs pluribus, per quæ dilabuntur, vel excolata sunt, ferè inter simplicia recensuimus, quia illis quasi simplicibus in compositione utimur. Sicut aqua prima, ex qua saporem conficiunt, eam in oleum, dum coquitur, infundendo. Fit autem aqua illa ex viua calce & cinere, vel sale, ex qua cum lapidibus rotundis è fluminibus detractis ac exquisitissime tritis vitra conficiunt, ex cinere ergo & aliqua etiã parte illius salis quod alchali Arabes vocant, & ex viua calce aqua de supereffusa aquã parant ex qua, vt dixi, fit sapo, quæ acerrima est. affusa enim in has materias, ab illis vniuersam eam igneam substantiam vel facultatem, quam Aristo. vt & Galen. testatur, empyreuma vocabat, abluens fit admodum acris, vt febre exurat & liquefaciat carnem, quam attingit & diu madefacit, aliqui verò quibus fortasse non est copia cineris illius herbæ, vtuntur cineribus illis, quibus tinctorum vtuntur, ex quercu, vel cerro. nonnulli hunc aquam, quam vulgò chirurgi capitellum vocant, adeo coquant, vt tandem crassescat & condensetur in quandam quasi gypseam substantiam, & illa vtuntur pro ruptorio medicamento, vt illi

illi loqui solent. tritum enim vel ex salina, vel ex modico sapone vel melle exceptum, & inclusum calici ex cortice auellanzæ, vel cera ne defluat & lædat partes alias; apponunt loco qui inurendus est, vel rumpendus, & breui tempore imprimit, & opus suum perficit, & validum admodum medicamentum est. alij, cum similibus medicamentis fuerit opus, prout statim habent hoc, accipiunt viam calcem tritam, & cum nigro sapone commiscetes emplastrum, & ipsum acre et validum conficiunt. alij tantundem auripigmenti quantum calcis & ex eodem sapone medicamentum eodem modo conficere soliti sunt, valentissima sanè medicamenta. Sed ni fallor, fortius his omnibus & acrius est, id quod argentum sublimatum appellant alchimistarum inuentum, quod ex hydrargyro, vel vt nunc appellant, argento viuo & sale ammoniaco dicto simul mixtis, & ex alembico sublimatis conficitur, perniciosum alioquin medicamentum, vt pote quod excedat exuratque. Illud autem alijs admittis, quæ aliquantisper leniant & repriment acrem & perniciosam vim, tum ipsius, tum aliorum causticorum, validorumque medicamentorum deponunt. Et licet variæ fiant ex his compositiones: ego tamen quarundam mentionem faciam, quæ possint tanquam exempla modum compositio-

nis communi quadam ratione insinuare. Hoc quidem inter valentissima habitum à multis est, sicuti omnino efficax admodum est. Accipit autem lithargyri, hæmatitis lapidis, chalcanti, quod vitriolum romanum appellant, singulorum drach. ij. argenti istius sublimati drachmas duas. s. quibus simul tritis, conficiunt aridum medicamentum inspergendum loco, vbi eo sit opus, superaddito aliquo emplastro vel vnguento panniculo extenso, à quo contineatur, quodque inflammationem aut calidiorē intemperiem possit arcere. Alij medicamentum liquidum ad consistentiam aqueam conficiunt in similem modum. Accipiunt sublimati istius argenti, exempli causa, drachmas duas, aluminis communis drachmas quinque, aquæ rosaceæ vel plantaginis, vel vlrerius similis, drachmas sex, simul omnia ad medietatem coquatur. Alij aquam mirificè vrentem & exedentem ex destillatione ad alembicum more alchimistarum conficiunt, cuius materia hæc est, Accipiunt atramenti sutorij partes duas, aluminis rochæ appellati partem vnam, salis nitri partem mediam. prius tamen atramentum & alumen conficte in testaceum vas ad ignem calefaciunt, non tamen eatenus vt rubescant, sed quatenus digestis tenuioribus partibus vi ignis exiccantur, mox extracta in vitreum instrumentum,

tum, in quo solet fieri distillatio addito nitro inijciunt, & apposito altero quod capellum vulgò dicunt, & subiecto eo vase quod recipiens nuncupant, oblinitis tamen solito luto optimè commissuris, & subiecto igne mediocri, procurant, vt destillet inde aqua, adhibita ignis ea moderatione, quam ars illa requirit, validissimum euadit medicamentum perinde ferè, vt oleum ex chalcantio, vel ex sulphure. Fiant præterea & variæ differentiæ pastillorum, vel trochiscorum, & aliquorum auctores fuere prisca Græci, vt sunt trochisci Andronis. Musæ, Passionis, quorum Galenus sepe meminit, præsertim verò quinto de compositione medicamentorum secundum genera & cõfectionem describit aliquorum quos Arabes alicalon appellant, & ab eisdem eorum describitur cõfectio. Aliqui etiam à nostris recentioribus sunt inuenti, in quibus recensendis nolumus esse longiores & nimium temporis contere, sed duntaxat illis expositis, qui his temporibus à multis plurimum laudantur, & in Ioannem de Vigo celebrem hac tempestate inter chirurgos auctorem referuntur. Accipiunt autem panis fermentati quatuor vncias, argenti purissimi sublimati singulorum vnciam, minij semivnciam. panis optimè ex aqua rosacea vel cucurbitæ, vel alia simili maceratur et diluitur, ac deinde tria

illa in tenuissimum puluerem redacta pani inspergantur, & simul mixta subigantur, & mox fiunt pastilli, vel trochisci diuersæ magnitudinis, qui siccentur in tepido clibano, & ad usum seruentur.

*De medicamentorum ratione, quæ in curandis affectibus nervorum ad solutam continuitatem atinentibus, in usum solent venire.*

Caput XVII.

**M**E non sanè præterit consueuisse iuniores præsertim qui istius artis professores sunt, seorsim & proprijs capitibus agere de verminoso ulcere. præterea verò & de illis, quæ aliqua intemperatura in ulcerato loco contracta difficilem curationem habent. nos verò, quia in maius volumen, quam voluissimus excrescit tractatio, longitudini partentes, hæc omnia summatim percurremus: quia neque etiam longior horum explanatio videtur esse necessaria. Nā vt à priori incipiamus, vermes non gignuntur nisi ex putredine, vnde illa curatio, qua nitimur putrefactioni resistere, opportuna etiam erit ad prohibendam vermium generationem, sicut deinde illos genitos interimunt amara omnia, sicut aloë, succus absinthij, marubij & tandem omnia amara. Intemperatura verò, in qua-

quacunq; parte fit, contrarijs corrigenda est, unde fomenta, olea, cataplasmata, emplastra, vnguentaque & cerata, quæ secundum suas qualitates vicerum intemperaturis erunt aduersaria, opportuna & vtilia erunt ad eas tollendas. Quare longè maius operæ pretium nos facturos existimauerim, si statim de ratione curandi per medicamenta eos neruorum affectus, qui in soluta continuitate essentiam habent, sermonem in præsentia instituasus, præsertim verò quando ab externa causa & procatartica ortum & occasionem habent, & imprimis de illis agemus differentijs, quæ aut à diuersa figura instrumenti, aut diuerso quo inferuntur modo nominantur. nam vulnus, aut ab acuto telo & punctim infligitur, & punctura nerui dici solet, aut ab incidente, & cesim, & vulnus illud appellamus neruorum, quamuis sit generalius vocabulum: item quando hoc modo ceduntur nerui, aut per transfuersum vniuersus neruus rescinditur, aut non vniuersi fit abscissio, sed tantum secundum partem: sicut & per longitudinem neruus quandoque inciditur. Præterea verò aut fauciatus neruus apertus & detectus est aut profundus & occultus. Per has ergo distinctiones, si quis hæc neruorum vulnera, vel vlcera rectè curaturus est, & curandi rationem & medicamentorum naturam & vsum



metiri oportet. nam punctura malū est, quod manus affert periculum, cum illa facilius solent sequi dolores & conuulsiones. præsertim si altum sit vulnus: postea illi proximum est vulnus, quantum ad discrimē pertinet, quod per transuersum neruum fuit inflictū, si prorsus non fuerit recisus, sed secundum aliquam duntaxat partem, quia cum omnino præcisus est neruus, res ferè periculo caret, nisi quod pars ea cui neruus inserviebat sensu vel motu destituta remanet, nec aliam curandi rationē desiderat, quam vulnera alia recentia & cruenta. Sed cum non est totus neruus recisus, si bræ, quæ recisæ non sunt ab illis quæ sectæ sunt, læduntur, utpote quæ fiunt & ipsæ inflammationis participes, illa ab incisis ad integras transseunte, propter integras autem facile accersitur neruorum distētio et conuulsio, minoris momenti vulnus est, secundum fibrarum longitudinem illatū. maioris verò periculi ratio, quatenus ad rationem vulneris pertinet, ex duobus occasionibus, vel fortasse tribus pendet. primam quidem ex dolore, qui & causa & comes plerumque inflammationis esse solet, quæque facillimè in neruorum læsionibus, vel maximis solet excitari, et illud ob insignem eorum sensum, dolorem verò & inflammationem, imò insignes noxas omnes ferè, conuulsio sequi solet, propter maximum neruorum cum

cere.

cerebro nexum & consensum. Alterum verò periculum, quod in neruorum plagis impendet ex frigore, occasionem habet. frigus enim vt Hipp. 5. aph. testatus est, summe neruis & spinali medulla aduersarium est. Vnde Gal. 3. de comp. med. secundum gen. historiam refert cuiusdam, qui cum in neruo uinuis haberet, & recta curandi ratio esset alioquin adhibita, bene vsq; ad quartâ diem, & citra dolorē & inflammationem se habuit. Sed cum ab urgente negotio coactus domo fuisset egressus, in aereq; frigido diu degisset, domum redijt totum membrum vsq; ad ceruicem conuulsim deferens non sine vehemēti dolore. Tertium verò periculum est putrefactio, quod periculum præfertim in chordarum vulneribus quas tendines antiqui appellabant, contingit, quæ & ipsa ad vulnera neruorum referri possunt, cum magna ex parte ex nerveis fibris contextæ sint. facile ergo putrescunt, arque vicinas partes putredine afficiunt. Sed agamus primùm de vulnere punctum illato ab acuto aliquo instrumento, vt sunt acus, vel pugiones acutissimi: in his enim maximum est periculum, quod in hoc consistit, quod vbi neruus pūctus profundior est, & angusta admodum est, & quasi cæca via per quam effluere aut exhalare oporteret virus, aut sanies illa tenuis, quæ præcipuè in fauciatis neruis

generari & congeri solet, illa nequit effluere, quo fit vt dum continetur aliquo tempore, diffuariq; & trāspirare nequit, acrior iuxta neruum male affectum mordens & pungens, dolores vehementes, & subinde inflammationem concitat. vnde summa curationis vniuersa in hoc sita est, vt arceamus inflammationē, quod nequit nisi remotis illius causis, fieri: causa vero inflammationis est fluxio humoris ad affectum locum concitata à dolore. Ob sistendum ergo & prohibendum, quo minus dolor fiat, & fluxio exoriat. fluxionem verò inhibemus euacuatione corporis reuulsionibusq; vnde in his, quo ad tuti ab inflammationis timore sumus, tenuis admodū victus imprimis est necessarius, & abstinētia à vino. Nam Hippocrat. est sententia in aphorismis, quod vbi morbus statim extremos labores habet, statim tenuissimus victus instituendus est. extremus autem labor est conuulsio quā plurimum timeamus in his affectibus. Mesue vero dixit vinum per se oculis & neruis nocere. Sed & nisi aliquid magni momenti, vt sunt vires & ætas obstet, ad vacuationem pariter & reuulsionem vena erit secanda, sed & purgandum erit corpus, si vitiosis scaterē humoribus videatur. nam & hæc in illis vulneribus recensenda sunt, in quibus utilis est purgatio, si Hippocrati in libro de vlcibus, & Galeno quarto

quarto methodi credimus . Sed hæc ita summationem percurrenda sunt , vt quæ ad primum nostrum institutum non videantur attinere , sed potius ad rationem & procurationem vniuersi corporis . De localibus ergo & exterius adhibendis remedijs agamus . Cum ex ipso ulcere maxima omnium malorum occasio sit . quando eo quasi obcæcato , nequit extra effluere vel destillare ichor saniesûe , ex puncto neruo , incumbere in primis oportet , vt apertum & liberum exitum & exhalationem paremus , quod & opere manuum & medicamentis erit præstandum . nam incisione cutis , vt tertio de Compositione medicamentorum secundum genera , & sexto methodi docuit Galenus , & aliarum etiam partium vulnus erit aperiendum dilatandumq; : sectionem verò moliri ad duos angulos rectos , ne iterum facile claudatur idè docuit . Medicamentis præterea agendum erit quæ possint ex alto saniem extrahere , & in his in præsentia insistamus , vt pote quæ primario ad hanc tractationem spectent , de eisq; primum agamus in vniuersum : mox verò & particulatim . Ea ergo medicamenta commopè hanc attractionem præstare poterunt , quæ modestam vim calefaciendi & siccandi habent , sine dolore tamen & molestia , & huic muneri accommodatissima erunt illa , quæ tenuis substantiæ sunt . hæc enim facile possunt suis re-

nuius partibus se in profundum indere, atque saniem inde extrahere citra ullam molestiam, quippe quæ neque etiam mordicent. Hæc ergo est medicamentorum natura in vniuersum quæ curandis neruorum vlcibus, præsertim verò puncturæ quàm maximè idonea sint.

Particulatim verò Galenus cui posteriores omnes subscripsere, omnibus alijs medicamentis, quæ ad curandos punctos vel vulneratos neruos vtilia sunt, resnam terebinthinam præfert, nam moderatè calefacit & desiccatur citra morsum, & est tenuium partium, sed quia non vbique huius copia potest haberi. & vt idem Galenus sæpe testatus est, huic proxima & ferè similis est laricea, præsertim verò illa eiusdem ferentia, quæ terebinthinæ, & substantiæ ratione & colore, odoreque similis est, ita vt promiscuè penè nos altera pro altera posse vti confessus sit, ideo cum terebinthina hanc in eodem ordine ponendam censemus. Deinde verò in secundo ferè loco ab eo ponitur propolis, quæ est fordes quædam in aluearibus reperta ceræ similis: quam quidam vulgo ceram virginem appellant. hanc verò si durior fuerit, paulillo oleo molliendum esse ait. non inutiles autem præterea futuras & resnam liquidam ex figulinis, & eam quæ fricta dicitur, & abietinam interdum & strobilinam cæsendum est. sed præcipuè hæc durioribus corporibus magis apta erit

erit, vt quæ calidior & ficcior fit. Hoc tamē ad-  
uertendum, quod in corporibus tenerioribus  
vt essent delicata corpora, præsertim puerorū  
mulierum, & eunuchorum, & eorum qui um-  
bratilem & otiosam vitam degunt, hæc satis ef-  
se poterunt, & hoc quantum pertinet ad na-  
turam ipsorum corporum. Quatenus ad dif-  
ferentias vlceris pertinet, in vulnere non cæ-  
co, sed aperto & vbi neruus sit detectus non  
occultus, hæc quæ nunc proposita, sine alte-  
rius acrioris & valentioris medicamenti mix-  
tura idonea vtiliaque sola esse poterunt: ve-  
rū si corpus ficius duriusque erit, aut si ner-  
uus profundior, & minimē detectus, verū  
occultus, his aliquid erit addendum, quod va-  
lentius sit, vt facilius vis medicamenti eò per-  
ueniat, & saniem latentem in alto desiccare  
vel extrahere possit. solebant autem antiqui  
terebinthinæ, vel alijs nuper expositis immi-  
scere aliquantulum euphorbij, præsertim ve-  
rò Gal. qui profitetur vbique se primum fuisse  
inuentorem auctoremque istius rationis cu-  
rationis in istis vlceribus. minorem autem vel  
maiorē copiam immiscebat, pro ratione cor-  
porum, aut profunditatis vlceris aut vigoris i-  
psius medicamenti: nam quo corpus durius  
& fici⁹ est, eo copiosioris euphorbij mixtura  
erit opus: ita quo magis in profundiori & ma-  
gis occultus erit affectus neruus, eo etiam va-

lentius medicamentum erit magis oportunū.  
 Nec minor medicamenti ratio consideratio-  
 que habenda, nam quanto recentius & magis  
 nouum erit euphorbium, eo vires in illo maio-  
 res erunt. dum enim inueterascit, vis eius obso-  
 lefcit & elanguescit, & proinde si recens tere-  
 binthinæ immiscendum est, minus immisce-  
 re oportet, plus verò, si vetustius. verū adhuc  
 magis particulatim res est tractanda. Ait ergo  
 Gal. meth. 5. non cognouisse medicamentū in  
 his neruorum affectibus quod hoc esset præ-  
 stantius, cuius ipse fuit auctor. Accipit autem  
 terebinthinæ, picis, singulorum partē vnā, ce-  
 ræ verò duas, interdum autem ex altera tantū  
 earum & cera medicamentum cōficiebat, præ-  
 sertim verò ex terebinthina. quamuis si inter-  
 dum deesset eam habendi facultas, fricta aya-  
 bietina utebatur, addamus nos & lariceam,  
 quandoque verò strobilinam, sed tantum in  
 durioribus corporibus. hoc ergo erat illi præ-  
 cipuum medicamētum, quo citrà vltterius mix-  
 turam vteretur, in mollioribus corporibus, vel  
 in apertis vulneribus, & detectis neruis. in du-  
 rioribus verò & profundis, præsertim in pun-  
 cturis, illi addebat euphorbium, varia tamen  
 vt diximus symmetria, pro diuersa illorum  
 ratione, quæ nuper esse considerata diceba-  
 mus. nam si recens fuisset euphorbium, & me-  
 diocre medicamentum fuisset compositurus,  
 & resi-

& resinam liquidam haberet, illud tritum & tenui cribro excussum reliquis prius eliquatis iniiciebat, tantum autem vt duodecimam cere partem æquaret, aut tatum plus hoc, quantum videbatur esse opus validiori medicamento. Tertio autem de Compositione medic. secundum genera Galen. hoc modo medicamentum componit ad neruorum vulnera, valde idoneum vtileque: præsertim verò vbi timeamus ne plaga clausa & obcæcata sit. Accipit euphorbij recentis partem vnã, tres cere, duodecim olei. mollius enim & magis fluens erit hoc medicamentum priori. vnde facilius poterit fluens penetrare in intimiores vlceris partes, veletiam angustas & inde saniem extrahere, & propterea magis aptum puncturis, & occultis plagis. Quamuis autem hæc horum symmetria optima sit, & plerunque utilis, non est tamen ita superstitiosè semper & ad amussim seruanda, vt aliquando non possit ex ratione, imo cogatur etiam medicus illam mutare. nã si secundum hanc mensuram videatur quandoque hoc medicamentum debile, erit addendum euphorbium. poterit enim accipi pars eius vna & semis, quandoq; vna & altera, quandoque etiam vtiliter tantundem euphorbij accipiemus, quantum cere, & ea varietas à diuersitate ipsius euphorbij, quod aut recentius, aut verustius sit, erit petenda vel à diuersitate vul-



neris, quod magis vel minus angustum & profundum, vel à diuersitate naturæ vulnerati corporis, quod durius & solidius sit, vel magis tenellum & acriori sensu præditum. Sed quoniã vniuersa ferè ratio hæc in quadam coniectura fita est, in qua nemo sanè est, qui non possit aliquando falli: ideo præterea exposuit Galen. quandam quasi regulam, qua possimus facile conijcere, nũ rectè iudicauerimus fecerimusque in commensuranda compositione istius medicamenti: nempe ex impressione in vulnus & affectu, quem obseruando percipimus post primam administrationem medicamenti. quia si adhibito medicamento paulò post dolorè & morsum perceperit ille, qui vulnus habet: præterea verò si circum circa partes calidiores fiat. atque plus quàm par sit punctura intumuerit, & in ore eius veluti quædam inflammationis initia conspiciantur, hæc indicia erunt, quod medicamentum acrius iustò valentiusq; fuerit. quare exoluendum est, antequam iterum apponatur. exoluetur autem, aut copiosiori oleo addito, aut accepto euphorbiæ vetustiori. contrà verò agendum erit si languidius visum fuerit medicamentũ, quod quidem inde poterit deprehendi, quia omnia contraria visa fuerint circa vulnus illis, quæ nuper exposuimus: sicuti si omnia moderatè se circa vlcus habuerint, nihil erit omnino immutandum,

dum. quantum ad medicamēti robur & facultates pertinet. vnde tres rationes diuerfas secundum symmetriam exponit Galenus, quibus confici hoc medicamentum potest, robore differentes. Nam illa quam nuper descripsimus, nempe in qua ceræ ratio ad euphorbium tripla est, ferè potentissima est. infirmissima verò, quæ quincuplam ceram ad euphorbium accipit: quemadmodum mediocris erit, quæ quadruplam ceram accipiet. His tamen & illud addendum, quod non semper vna & eadē forma vel compages medicamentorum æque facile accommodari potest omnibus particulis & occasionibus: interdum enim fluido & liquido medicamento, sicut in profundioribus angustioribusq; vulnerib. magis indigemus. nonnunquam crassiori & tenaciori vt crassitudinem emplastri, vel vt nunc aiunt, vnguenti habeat. Quare vt nuper exposita ratio apta erit ad componendum medicamentum molle & diffuens: ita si pari mensura erunt accepta oleum & cera, euadet medicamētum, quod crassioris emplastri vel vnguenti compagem habebit: sicut si tantundem terebinthinæ, quantum ceræ addideris, aut quando illa desit, frictam colophoniam eius loco acceperis, fiet medicamentum tenaciter cuti hærens, quod non facile inde auelli possit. Non est autem putandum artem medicam ita angustis arētari finibus, vt

si medicus in locis degat, ubi aut terebinthina, aut euphorbium desint, non possint medici illis opem ferre, qui vulnus vel puncturam in nervis acceperint: imò quantum ad terebinthinam pertinet diximus iam, quod & aliae resinae sunt, quae in locum terebinthinae suffici possunt. Nam in puncturis & profundioribus nervorum vlcibus terebinthina & cera quibus in componendis medicamentis utuntur, magis utuntur, sicuti ibidem testatur Galenus, tanquam apta materia ad id officium ut medicamenta crassitudinem & compagem emplastris vel unguenti habeant, quam ut ipsa possint aliquid alioquin utilitatis curationi praestare, quod sit alicuius momenti. Sed etsi euphorbio careamus, quod in praedictis medicamentis principem locum habet, multa praeterea alia docet Galenus, quae ubique ferè reperiri possunt, & similem, quatenus ad praesens negotium attinet euphorbio vim habent. nam tantundem ferè faceret stercus columbinum resinis, vel alijs medicamentis immixtum, & innumera ferè alia. quaecunque enim tenui constant substantia, nullamque astrictionem gustui repraesentant, ut ex herbis & radicibus, quae saporis sunt amari, & quae acris quoque, modò non immodicè acres sint & astrictionis sint expertes, quales sunt, dictamnium, amarus, marum, polium, argemone, chamepithys, centau-

centaurium, vtriusque aristolochiæ radix, draconitijque & præterea cucumeris agrestis, bryoniæ, iridis, acori, meu, asari, phu, gentianæ, & id genus multa alia. hæc igitur diligenter trita & tenuissimo cribro excussa & quasi in polinem eo modo redacta, quo arida colliria confici solent, aliquo cerato excipienda sunt, accepto eo istorum pondere, quod euphorbij accipiendum superius diximus. & cum fuerit hoc etiam paulò antè expositum, quod diuersifras in euphorbij viribus non parua est ratione temporis. nam si recens est, quod non excesserit secundum annum fortius & acrius est imbecilius verò, si trium annorum fuerit, atque ita subinde: ideo cum horum etiam enumeratorum simplicium nõ eadem sit vis, quæ gustui dum manduntur manifestum calorem representant, qualem dictamnum, meu, acor, & id genus alia, erunt in mensura conferenda cum bimulo euphorbio: quæ verò potius amaritudinem cum trimulo euphorbio, talia sunt aristolochiæ, iris, draconitij, gentianæque radices, centaurium & alia similia. Nec hæc modò hunc in vsum venire posse ait Galenus, sed & multa alia. sicut erui farina ex lixiuio, præterea & propolis, aut per se, aut cum fermento: atque etiam fermentum, quod etiam quò vetustius fuerit, erit etiam melius, sed & idem cū succo tithymali, farinæ quoque lolij, vel faba-

rum, vel lupinorum ex oleo veteri, vel etiam ex lixiuio exceptæ, præsertim verò durioribus corporibus, vt rusticorum sunt, hæc magis ac commodari possunt. Sed quatenus ad horum medicamentorum vsum pertinet, quædam, vt idem Galenus monuit, sunt maximè aduertenda, & primum quidem, quòd medicamenta, quibus vtuntur medici in his neruorum affectibus curâdis, omnia sunt calida imponenda & administranda: non frigida vlllo pacto. Nam vt pronunciauit Hippoc. frigidum vulnibus mordax, præsertim verò inimicum esse neruis, idem 5. aphor. 19. ait, neque etiam tepida, tepidum enim laxat & ad putrefactionem facit. Præterea verò in vlceribus neruorum prætermittendus est vsus aquæ, cauendumq; ne illa vulnus attingat, vnde Galen. vel oleo parijs vel sapæ voluit neruorum vulnera detergi. Hæc est ratio curandi solutam in neruis continuitatem, cuius inuentor & expositor fuit Galenus. Nisi quòd vt res absolutior habeatur istis, quæ hæctenus à nobis fuere explanata, hæc etiam ex Galeni doctrina sunt addenda, nempe quod interdum soluitur nerui continuitas non solum per incisionem & puncturam, verùm & cum contusione, quod ille duobus modis fieri posse autumat. Nam quandoque contunditur vnà cum neruo & cutis atq; dilaceratur vlceraturus. quod frequentius accidere

videre solet. nonnunquam tamen contusio so-  
 li neruo accidit, nequaquã contusa cute: quan-  
 quam id rarò fieri soleat, & semel tantum acci-  
 disse animaduertit Galenus, si cum neruo vnã  
 & cutis fuerit contusa, curatio per exsiccantia  
 medicamenta perinde erit instituenda ait ipse  
 6. meth. ac in neruorum vulnere, vt ramentum ea  
 sint, quæ possint contrahere constringereque  
 partes dissociatas. eiusmodi verò est cataplasma  
 quod ex farina fabarũ & oxymelite paratur,  
 cui esse adiiciendum aliquid picis liquidæ ait.  
 quando præterea & color fuerit infectus. &  
 quia pro ratione corporum magis vel minus  
 desiccantibus medicamentis est opus: ideo si  
 sicciori sit opus, his & farina erui addenda erit  
 & iridis illyricæ, vel myricis tritæ puluis. Dio-  
 scorides verò in contusis neruis dixit vtile es-  
 se, si ex cinere sarmentorum adipeque & oleo  
 fiat cataplasma. At verò si neruus fuerit contru-  
 sus nullo cuti illato vlcere, calido aliquo oleo  
 quod vim digerentem habeat, fouendus erit  
 locus. Multa autem prætermisimus quæ in vul-  
 neribus neruorum vtiliter in vsum venire pos-  
 se tradidit Galenus 6. meth. & 3. de composi-  
 tione medicamentorum secundum genera. vt  
 sunt sagapenum, opopanax, præsertim in dũ-  
 rioribus, succusque cyrenæicus, si cum oleo &  
 terebinthina componantur, his enim pro eu-  
 phorbio vti licet. Item & sulphur ignem non

expertū nec lapidosum ex oleo tritum ad sordium crassitudinem, in minus duris corporibus, sicut in durioribus ad crassitudinem mellis, & alia multa, sed nimis longum esset omnia recensere, quare quibusdam præterea relatis, quæ iuniorum nostrorum aut inuenta, aut illis in inuito sunt vsu, huic tractationi finem imponemus. in nervorum itaque vlceribus in vsu frequenti est vnguetum basilicon magnū descriptum à Mesue, de quo in superioribus capitibus egimus. eo autem vtuntur, excepto vel extenso panniculo, vel linteo, & alijs quæ in vlcus instillantur superaddito, nam vim & ipsum habet attrahendi desiccandi quæ, præterea & concoquendi, aliquam præterea detegendi. His etiam præteritis temporibus erat in frequentissimo vsu empiricis præsertim nostris, quod & plurimum admirabantur tanquæ preciosum secretum oleū, quod ipsi zanetum vel zanerinum appellabant, eo quæ in nervorū vulneribus, præcipuè vbi videbatur illis imminere conuulsionis periculum. & sanè non ignobile medicamentum censendum est, si compositionem velimus rectè extimare. conficitur autem in hunc modum. Accipiunt succi apij, roris marini, singulorum ʒ. vnam. saluæ, rutæ, lumbricorum terrestrium, sing. drach. ii. millefolij, plantaginis, herbe quam Laurentiam vulgo appellant, calendulæ in præsentia dictæ,

dicta, singulorum drach. iij. verbasci, lanceo-  
 la, quæ est alia plantaginis species quæ angu-  
 stiora folia habet, cyciaminis, singul. ʒ. ij. ab-  
 sinthij ʒ. j. succos harum herbarum additis olei  
 veteris libris duabus, terebenthinæ, resinæ a-  
 bietinæ, singulorum lb. j. chalbani drachmas  
 duas, resinæ pini lb. ij. simul verò omnia bul-  
 liant ad succorum consumptionem, & illis po-  
 stea reperfactis addendæ sunt æruginis opti-  
 mæ triæ ʒ. ij. ac ita seruandum medicamentū,  
 quod postea vulneribus instillandum calidū,  
 atque panniculo exceptum illis apponendū.  
 Medicamentum verò multiplices vires habet  
 Nam ex multis conficitur, quæ calefaciunt, &  
 è profundo attrahere possunt, utpote quæ te-  
 nuium partium sint, ut saluia, rosamarinus, a-  
 pium, ruta, herba quam Laurentiam dicunt,  
 absinthium, omnia enim hæc attenuandi &  
 digerendi facultatem habent, & his etiam ma-  
 gis cyclamen. De oleo autem veteri resinæq;  
 terebinthina, siue veram intelligamus terebin-  
 thinam, seu lariceam, & abietinam, piniq;, nō  
 est cur aliquid in presentia dicamus, cum satis  
 superque de illis egerimus. Sed aliqua in his  
 sunt, quæ & influentes humores repellere, &  
 inflammationes arcere possint, faciuntque  
 ad vlcerum consolidationem, ut vtraq; planta  
 go. Lūbrici verò terrestres adeò vtilis neruis  
 vulneratis esse creduntur, ut mirificè possint,



quemadmodum & Galenus de simplicium medicamentorum facultatibus tradidit, eos incisos conglutinare & consolidare. Vnde & ex eis confectis oleis: nam & chamemelinū & rosaceum oleum ex lumbricis passim confice resolent, & illis exsiccatis & in puluerem tritis sæpissimè in his nervorum affectibus vtuntur medici, vulneribus insperso puluere. Sed cuiuspiam fortasse non videtur rationi consentaneum, quod his medicamentis, in quibus omnino sit cauendus omnis morsus, ærugo sit immiscenda, quæ est acerrimum & mordacissimum medicamentum. Sed si rem velimus rectè extimare, & considerare quanta ærugo, quanto medicamento, quod vim insignem habet reprimendi & demulcendi acramoniam & morsum æruginis habet. Si que præterea & id considerabit, quod à nobis ex Galeni sententia, vbi de viridibus emplastris egimus expositum fuit, de miscenda ærugine cum cerato, neq; à ratione alienum illi videbitur, quod ærugo huic medicamento fuerit iniecta. Nam ita commoderata non mordet: sed desiccatur detergitque circa vllum morsum, & ex alto attrahit. & de his quidem satis diximus.

Quibus

*Quibus medicamentis sistendus sit sanguis  
immodicè à vulneribus, uel ulceribus  
profluens.*

Caput XVIII.

**P**ostrationes illis quæ ad curationem vlcera, vel vulnerum pertinebant, non primario & perse quatenus vlcera vel vulnera sunt, sed quatenus aliquid aliud illis præterea coniunctum erat, quod illis erat impedimento, quo minus possent admittere curationem, siue id symptoma aliquod esset, quod causæ rationem subinduxerit, siue causa, siue alius affectus illis adiunctus, & quæcunque tandem essent, quæ aliquam vim haberent propriam indicandi, iure merito etiam agendum videtur de sanguinis profluentis immodicè à vulneribus vel vlcerebus, repressio, nimirum quibus medicamentis sisti possit. Nam quamuis res hæc potius symptoma censenda sit, symptoma autem ut symptoma est, nullam vim indicandi habeat, symptomata tamen multa sunt, quæ ita excrescunt, ut ferè symptomata esse desinant, & causæ subinducant rationem, & proinde etiam sibi vim aliquam indicandi vendicant, atque interdum adeò validam, ut superet & obscuret aliorum omnium indicationes, quemadmodum se habet interdum dolor, & in his est & san-

sanguinis profluuium. Nam præter id quod curationem præcipuè affectionis prohibet, in causa etiam esse potest multorum & maximorum incommodorum, vt sunt virium omnium debilitas & dissolutio, conuulsiones, singultus aqua intercutem, & alia id genus multa, vnde tum ratione impedimenti quod curandæ solutæ continuari affert, & periculi, tum verò ratione difficultatis suæ curationis plurimum negotium facessere solet medicis, & longe etiam maius ipsis ægrotantibus. At verò quia institutum nostrum in his libris omnibus, quæcunque tractamus, illa ex methodo definire, & eadem est methodus qua componimus, quæcunque curamus hos affectus, medicamentis vtimur, necesse est vt prius methodum exponamus, quam vulnerarij medici sequentes immodicam hanc sanguinis profusionem oppugnant, ac supprimunt. Verum quia methodi fundamenta primaria sunt indicationes, quæ à natura rei indicantis depromendæ sunt: ideò de hoc sanguinis profluuiio aliquis sermo habendus est, atque de eius causis. his enim perceptis facillè nobis methodum hanc constringemus. Sanguis itaque si copiosus à parte quapiam profluat, exire non potest, nisi ex vasis, nimirum ex arterijs, aut venis, cum secundum naturam sanguis nullibi contineatur nisi in vasis aut in corde. à venis autem & arterijs effluere confer-

confertim nequit, nisi illis aliqua ratione a-  
 pertis. aperiuntur verò aliquando eorum of-  
 cula & fines, ab ipsa natura spòte sua se exone-  
 rantè, dum vel à multitudine sanguinis aggra-  
 uatur, vel à prava aliqua eius qualitate irrita-  
 tur, aut ex aliquo calore immodico laxante,  
 & rarefaciente, vt prætermittam nunc, quod  
 interdum accidat quòd sanguinis effluxio ex  
 nimia accidat venarum imbecillitate nequa-  
 quam illum continere valentium, sed exire  
 permittentium, quæ imbecillitas sit exorta ex  
 aliqua intemperie in illis contracta, vel ex ni-  
 mia dissolutione spiritus & natiui caloris, cū  
 rarissimè hoc in vulneribus ac vlceribus acci-  
 dat. quamuis non sit etiam negandum, quin  
 possit nonnunquam accidere. Interdum au-  
 tem potest sanguis profluere ruptis vasis, hoc  
 est soluta in illis vnitare, quod fieri potest, re-  
 cisis venis vel arterijs in aliqua particula, vel  
 illis disruptis ex aliqua violenta distensione,  
 vel distortione, vt interdum in casu è sublimi  
 loco ex saltu violento, vt quandoque in tho-  
 race contingere solet in clamoribus summa vi  
 concitatis, in sufflationibus violentis, quod  
 aliquo confracto vase sanguis excreatur, &  
 hoc etiam venis nonnunquam euenit, quæ  
 sunt in membranis cerebri & illis quæ ad na-  
 res pertingunt. Aliquando verò ex erosione,  
 quæ fit vel ab acris & mordacibus excre-

mentis, quæ vel in vlcere in dies ex proprio il-  
lius particulæ alimento corrupto gignitur  
propter intemperiem aliquam, quæ pars illa  
affecta est, vt in erodentibus vlceribus fieri so-  
let, aut ex acri aliqua fluxione, quæ aliunde  
eo confluerit, vt ab acri distillatione erosis  
venis narium, auroris et faucium, interdum  
palmorum & thoracis. eroduntur etiam ab  
acri & mordaci humore intestina, nonnun-  
quam & ventriculus, possunt & ad exulcera-  
tas partes mordaces & acres succi confluere,  
& facta ad vasa vsque abrasione & erosione,  
tandemque corrosis illis in causa esse eruptio-  
nis sanguinis. Sed istis & illud addamus,  
quòd cum fieri ferè non possit confertim lar-  
gum profluuium sanguinis ex apertis quo-  
quomodo venis, nisi ab alijs aliarum partium  
cum quibus continentes sunt venæ, quæ a-  
perts ad has confluant. Vnde hoc modo re-  
fertur ratio profluuij immodici sanguinis vn-  
decunque fiat. Et quamuis princeps causa sit  
aperta vena, nam ab alijs ad illam cõfluit fan-  
guis quadam consecutione, & vt ita dicam,  
ratione vacui-attamen interdum in loco affe-  
cto ex quo fluit sanguis, præterea est aliquis  
aliarum causarum conuentus. Vnde concita-  
tur ad eam partem maior fluxio irrita nempe  
affecta parte, sicuti si sit calor aliquis alienus  
ab illius natura sanguinem eò attrahens, iti-  
demq;

demque & dolor & illius partis inflammatio. quæ utroque nomine sanguinem promouet, sed & situs particulæ à quo sanguis profluit non parum ad hoc facit, facilius enim & proprius atque magis confertim effluit sanguis, si decliuis sit, hoc est, deorsum vergat pars affecta, quàm si accliuis, quia facilius sanguis innata grauitate descendit, quàm ascendat. Hæc quidem exposui quàm potui breuius, utpote quæ ad rationem compositionis, & usus medicamentorum non parum sint necessaria, si id ex methodo sit agendum, quæ ab indicationibus suum habet fundamentum. Quamuis autem vniuersam methodum exposuerimus, qua omnes causæ profluuij sanguinis possunt inueniri, non tamen ille omnes ad institutum nostrum attinere censendum est. Nam de his tantum in hoc libro sermonem habere institimus, quæ generali vulnerum vel vlcerum rationi accidentia, priuatam aliquam rationem indicandi retinent, nam de illis quæ certum aliquem locum, vel definitam aliquam particulam respiciunt, agemus in sequenti lib. Sicuti de fluore sanguinis è narib. vel ex ore, vel de mictu sanguinis, vel de immodico profluuio sanguinis ex utero, vel ex venis sedis. Nã in præsentia, ut statim ab initio monuimus, tractatio fuit instituta de usu & cõp. med. secun. gen. quæ apta sunt curandis istiusmodi vulnerib. & vlcerib.

quæ occupant communia & simplicia membra: plerumque autem in his fiunt sanguinis eruptiones copiosæ, vel recisis, vel erosis venis, quamuis interdum & vasa aperiri possint, ex confluxu multi sanguinis ad illam partem, ob id, quia plenum sit admodum corpus, & inde fiat fluxio ad affectam partem, tanquam ad infirmiorem locum, quem cum aggrauet, cumque illi sit molestus, facultas expultrix ad quam pertinet expellere ea quæ particulis corporis molesta sunt impellit ad eam partem spiritus confertim, vt facto impetu vasa aperiantur, & grauis illi loco sanguis effluat, vnde 7. aph. 22. dixit Hippocrates, quod à pulsu in viceribus expectandum est sanguinis profluuium, vehementius enim pulsant arteriæ spiritu & sanguine repletæ, atque ea propterea quod magis calefactæ, quâuis hoc, vt ibidem exposuit Galen. præsertim fiat si inflammetur locus, aut ob id, quia attrahitur ratione caloris aut doloris excitati in ea parte. neque putamus negandum esse, quin & id fieri possit ex insigni illius particulæ imbecillitate, qua venæ nequeant sanguinè retinere: verum, quia imbecillitas hæc, vt diximus, aut ex intemperie aliqua pender, aut ex laxitate & dissolutione spirituum & nativi caloris, ideo de medicamentis eligendis atque de eorum vsu non agamus, nisi in vniuersum, quia horum multa ex illis

ex illis percipi poterunt, quæ magis particularim superius fuere explicata. Nam nemo esse videtur, qui non nouerit, quòd si calida fuerit intemperies illa, indicari, occurrendum esse refrigerantibus medicamentis, & itidem vñ etus ratione. Commoda ergo erunt cataplasmata refrigerantia, itidem etiam embrochæ seu perfusiones, inunctiones, emplastra, cerata & id genus omnia alia. Contra verò, si frigida fuerit intemperatura, quæ illam imbecillitatem attulerit, & quia mutatio intemperamenti non potest ita citò fieri, & interim sanguis effluit, ideo vt citius ille reprimatur, sunt illis simul intermiscenda astringentia: ita etiam si fuerit virium infirmitas ex laxitate & resolutione spirituum, & natiui caloris, opportunum quidem erit corpus reficere, modeste tamen, & astringentibus robur illis partibus addere. Quæ verò plerunq; & ex propria fere vlcerũ vel vulnerũ ratione solent accidere sanguinis, pfluuia, ea fiũt, aut vasis resectis, vel ex re cõtundẽte dilaceratis, aut illis erosis, quod propemodum in vlceribus erodentibus solummodo fieri consuevit. Quamuis vt diximus, possit & fomentum aliquod habere, ex dolore, vel ex calore, & cum Galenus quarto lib. methodi medendi in vniuersum hanc protulerit sententiam, quòd, quotiescunque in aliquo morbo præsens est causa, quæ fouet, o-



portet prius, inde illam remouere: ergo siue dolor sit, siue calor, siue inflammatio, siue fistus decliuus, de quibus nolumus in præsentia verba facere, quia hæc non videntur proximè spectare scopum in hoc capite propositum, illis primum consulendum erit. Accedamus ergo ad ea quæ nostro instituto in præsentia magis attinent. Cum itaq; duæ videantur esse causæ, vt nuper meminimus, fluoris sanguinis ex viceratis vel vulneratis particulis, præcipuè si multus fuerit fluoer ille, nempe a pertio vasorum vnde sanguis effluit, & cõfluxus sanguinis conferuim ad locum affectum. vtręque hæc causæ propriam priuatamque indicationem habent. Sed prius de confluxu loquemur. Porro indicatio, quæ inde petenda est, nobis statim ostendit, intercipiendam esse eiusmodi fluxionem: quia verò duplex est illam intercipiendi modus, vel ratio, ideo isthæc indicatio duos nobis scopos spectandos offert, duobes namq; modis id quod indicatur, fieri potest, nempe vt sanguis repellatur à loco in quem confluere cepit, atq; vt aliò instrumētis medicis attrahatur, & quia in aliam partem attractio vim habet maiorem, imò tantam, vt parum admodum prior ille possit, præsertim si aliqua fuerit corporis plenitudo, aut magnus confluentis succi impetus, nisi hic alter præcedat: ideo de hoc prior

rem

rem sermonem instituemus, nisi quoddam fortasse operæ pretium erit, ut pauca quedam verba dicamus de ratione vsus eorum remediorum, quæ accommodari solent his duobus scopis, utpote quoniam sit a deo diuersus, ut ferè aduersarias rationes habeat. Nam repulsio quidem fit à loco affecto, & ea quæ hac ratione administrantur, oportet ut vim habeant repellendi à loco affecto succos ad illum ingruentes, & proinde aut affectæ parti, aut circum circa sunt apponenda. Contra verò in attractione ad locum conuertitur modus defluentis humoris, in quo sunt illa quæ attrahunt. Vnde is modus reuulsio ab antiquis medicis dictus est, & propterea reuellentia remedia accommodatarum locum habent in remotioribus particulis, vel si in vicinis, non tamen in particula affecta, neque in illa quæ affectæ proximè adiacent. eiusmodi verò attractio, quæ alioquin ad vicinum locum fieri solet, deriuatio dici solet. Sed his expositis, horum quæ hoc officio fungi solent remediorum rationem exponamus. huiusmodi ergo attractio, quæ reuulsio à medicis, vel deriuatio solet appellari, vel vacuatione fieri potest, vel citra vacuationem, quæ saltem sit sensibus conspicua. Cum vacuatione fit reuulsio per sectam venam, aut per aliam rationem, qua sanguis detrahi solet, ut per cucurbitulas cum cutis præ-

cisione, vel per hirudines: his enim instrumentis detracto sanguine, & subinde inanitis partibus in quibus hæc molimur conuertitur modus & fluxio in illam partem in qua sanguis detrahitur, & hoc pacto reuellit ab vicerata parte. de ratione autem istius reuulsionis est, vt procul fiat & in contrariam partem. Fit etiam per euacuationem reuulsio versus purgantium medicamentorum, tum per superiora, vt per vomitum, tum per inferiorem aluum, vel deuoratis medicamentis purgantibus, vel per clysteres, vel glandes iniectis. Sed de his particulatim hoc loco non est habendus sermo, cum alibi hæc sint distinctius tractata, hic enim rerum connexionem & consecutionem, hæc à nobis dicta sunt, quibus tamen si & hoc addamus, non erit ab re. Nempe, quod in supprimendo sanguinis profluvio, longè aptior & tutior efficaciorque est vacuatio sanguine detracto, quàm quæ per vacuantia medicamenta fieri solet. Reuulsio verò, quæ fit citra conspicuam vacationem, tum & ipsa manuali operatione fieri potest, tum verò per medicamenta. opera manuum fit reuulsio frictionibus, dum enim fricantur partes remotiores, & fiat valida frictio, duplici nomine fit reuulsio. Nam per frictiones mouetur sanguis & exprimitur versus eas partes ad quas ducitur in fricando manus: præterea vero locus

rò locus etiam qui fricatur calefit, & per calorem attrahit ad se aliò confluentes humores. Sed & per cucurbitulas. nam & illa citra etiam præcisionem cutis attrahunt ratione doloris concitati, & proinde si detincentur partes remotiores & oppositæ, fit reuulsio. Medicamenta etiam, vt caraplasmata, perfusiones, & quæ rubificantia dicuntur, vel Græcè sinapifimi, vesicantia, & huiusmodi reliqua, quæ calefaciant, quemadmodum balneæ aquæ calidioris administratæ remotioribus partibus, reuellendi vim habent. Pro ratione autem vrgentis rei, & impetus fluentis sanguinis, ea eligenda sunt instrumenta ad hoc officium, quæ valentiora aut imbecilliora sunt. Venæ enim sectio alijs vim maiorem habet, deinde detractio sanguinis per cucurbitulas, aut hirudines. Vomitus verò, aut purgatio per medicamenta, non ita sunt opportuna ad sistendum sanguinis profluentium, nisi interdum sit in causa tenuitas & acrimonia sanguinis, vbi purgatio bibulosorum, calidorum, & tenuiũ humorum mixtorum cum sanguine conferre potest. Nam per purgationem eductis partibus, quæ calidiores & tenuiores sunt, & subinde magis fluxioni aptum sanguinem reddentes, sed & motus excitatus humorum vi medicamenti communi quadam vacationis ratione reuellit.

Quantum verò ad alium scopum pertinet, repellendi nimirum ab affecto loco confluentem in illum sanguinem, illa eadem remedia sunt opportuna, quibus ad arcendas inflammationes vti solemus, nempe refrigerantibus & astringentibus, de quibus suo loco erit instituendus sermo: & ideo hoc loco in illis exponendis tempus non conteremus, nisi quod hoc non prætermittendum videtur, quod hæc eadem videntur, & vim habere proximè & sua ferè ratione obturandi ora vasorum per quæ sanguis effluit, tum quia astringunt, densant, tum verò quia horum ope sanguis qui in extremis partibus reperitur facilè concrefcit & grumescit. Sed de his satis quantum ad nostrum institutum pertinet, neque enim hæc quæ cum multis alijs communia sunt, quæ alibi, aut exposita, aut exponenda sunt, particulatim hoc loco sunt explicanda, hic autem à nobis in vniuersum proposita sunt, ductis, vt diximus, à magna connexionè & consecutione, quæ inter ea sunt, & hæc de quibus sumus acturi. Altera causa, immò prior & princeps à qua pendet sanguinis profluuium, est apertio vasorum, quæ facta est, aut per eorum incisionem, aut per dilacerationem, aut per corrosionem. Et hæc quamuis particulatim à diuersis causis sit facta, cum tamen vnã communem rationem habeat,

beat, quæ est apertio, vnam etiam habet communem indicationem, nimirum claudenda esse ora apertorum vasorum, si sit supprimendus sanguis, quæ tamen conclusio & ipsa facienda est per varios modos, diuersitas verò claudendi accipitur à diuersa ratione vulneris, vel vlceris, quatenus ad eorum magnitudinem & profunditatem pertinet, vel à modo quo apertæ fuere venæ, aut arteriæ. Res autem hæc facilius percipi poterit, si particulatim tractetur. Clauduntur ergo primùm aperta vasa per coniunctionem mutuam laterum, vel vt recentiores dicunt labiorum vulneris, vel vlceris. Adducuntur enim impellentibus manibus, donec mutuò iungantur & hæreant. Ex mutuo namque occurfu & coitu clauduntur aperta vasa, donec vulnere consolidato omnis affectus tollatur, deinde deligatura est opus, vtpote, quæ & ipsa paulatim astringendo & impellendo facit ad adducenda latera. sæpe etiam eorum consutione egemus, qua illa vnita seruentur. Verùm his vtimur, quando non admodum vulnus, vel vlcus fuerit altum. Nam in profundis eâ neque adduci manibus, neque deligatura possunt latera in parte profundiori, & proinde ad alios modos accedendum est. Hi verò sunt, vt obturentur vasorum ora aliquo operculo illis appposito, opercula autem quæ in vulneribus

procuranda sunt, aut ab ipso vlcerato, vel vulnerato loco petenda sunt. Nam vt quinto methodi capite tertio docuit Galenus, aliquando aliqua caruncula prominens in vulnere reperitur, quam procuramus vt adducatur, vel impellatur, ita vt ab ea contactum os claudatur: in aliquibus autem vulneribus vel vlceribus ipsa cutis nobis potest hoc officium præstare, nonnunquam etiam operculum hoc à fluente sanguine petendum est. Vt enim paulò antè diximus, cruor vi refrigerantium, & astringentium medicamentorum vulnere impositorum crassescit & densatur in grumum, qui hærens in ore vasis, officio operculi fungitur. Aut operculum hoc non à sanguine petendum est, sed vniuersa ferè eius ratio in vi medicamentorum sita est. horum autem diuersus modus est parandi eiusmodi operculum. Sicuti diuersa etiam est eorum natura. Nam hæc aut emplastica sunt, quæ crassæ viscidæque sunt materiæ, vel substantiæ, & dum locis vnde sanguis effluit apponuntur illis lentore suotenaciter hærentes: præsertim verò oris vasorum eis obtutatis, prohibent, quo minus possit sanguis effluere. Alia verò sunt, quæ vrentem vim habent, Græcè verò caustica medicamenta vel cauteria dicuntur. Quamuis aliquando, vt vbi de putridis & erodentibus sermo

fermo habitus est, diximus, sæpe igne, vel candenti & ignito ferro fiat hæc inuſtio. ab his autem medicamentis, vel instrumentis fit vasis operculum, non ex se, vt à prioribus, hoc est, non quòd ex ipsis fiat operculum ori vasis. Sed operculum fit ex carne exuſta. dum enim vritur caro, vel partes, quæcunque vrantur, exuſta carne fit cruſta, quæ operit, & hac ratione claudit, & intercipit exitum sanguinis donec in eo loco manet, & inde non decedit. Nam necesse est, vt tandem subcreſcente pure aut aliqua humiditate cadat. Expositis autem modis quibus sanguis restringi potest, eos ad vtilem vſum referamus, tum secundum se consideratos, tum verò mutuò inter se collatos. Postremus itaque in alijs omnibus magis fallax est. Nam niſi citò caro subcreſcat, decedente cruſta, iterum sanguis rumpit, vt reſpreſio ſit poſtea difficilior, quia cum cruſta fiat exuſta particula vulnerata, necesse est, vt eatenus magis petens fiat cauitas vlceris. Sæpe autem nequit ita citò caro regenerari. Sicubi verò videtur aptus atque fere neceſſarius is modus, in vlceribus, quæ putrida aut erod. ntia ſunt, vtilis videtur. Nam exuſtio ſiue medicamentis fiat, ſiue igne vel ignito instrumento, præter id, quod induta cruſta intercipit profluuium sanguinis, conſumpto etiam, atque reſiccato vitioſo



humore, qui rofionis, aut putrefactionis erat in caufa. fiftit etiam rofionem, vel putrefactionem, vt facilius deinde vicus poffit curari. nã licet cadente crufta, iterum fanguis quandoque erumpat, ille iterum per alios modos retineri poterit, & eo retento, facilius caro regenerari & vicus curari. primus verò, qui fit per reductionem laterum vulneris, atque per aſtrictionem & comprefionem futuramq; & deligaturam, locum quidem habere poteft & fatis facilem in vulneribus non admodum in profundum præterea vfus: in profundis tamen, præfertim fi in alto fint vafa aliqua inſignia, quæ confertim fanguinem eructent, maximeq; fi arteria, hoc modo nihil efficere poterimus. Sed erit neceffe vti altero, aut tertio, nempe vt vulnus, aut aſtringentibus impletur medicamentis & refrigerantibus, nam hæc deficcant & deficcando generationem carnis iuuant, quæ eft exquisitiſſima curatio iſtius rei, aut illis quæ emplaſtica inſunt, vel vtriſque, nempe, vt in profundiores partes emplaſtica indamus, deſuper verò refrigerantia & aſtrigentia imponamus, vel ea quæ vtranque facultatem mixtam habent. Antequam autem de compoſitione & vſu horum medicamentorum particulatim agamus, operæ pretium fortaffe fecerimus, ſi cuiuſdã præcepti Hippoc. meminerimus, circa rationem  
reſtrin-

restringendi sanguinis. Cui Galen. primùm  
 4. meth. cap. 6. deinde verò & Auicen. sed &  
 ante Auicen. antiqui ferè omnes subscripserunt,  
 cum id ab illis admodum vtile fuerit indica-  
 tum. Consultit itaq; Hipp. in recentibus vulne-  
 ribus, præsertim quæ non sint in internum  
 ventrem, sed in externis partib. adacta, sangui-  
 nem non esse statim cum inde effluit, suppri-  
 mendum, sed permittendum aliquatenus de-  
 fluere, & id quatenus medico visum fuerit ex-  
 pedire. vtilitas verò, q̄ potest egrotanti accede-  
 reest, quod facilius arceatur, quo minus inflam-  
 matio vlceri, aut circumstantib. partibus su-  
 perueniat. qua autè de causa modesta sangui-  
 nis profusio tutas ferè reddat partes vulnera-  
 tas & circūstantes ab inflammatiõe, facile per-  
 cipiemus, si eorum memores fuerimus, quæ  
 sæpius & in hoc libro & in alijs fuere explana-  
 ta. nimirum enim ostensum est, inflammatio-  
 nē originem habere à fluxione humorū con-  
 fluentiū ad aliquē imbecilliozem locū. facile  
 autem excitātur fluxiones in corporibus ple-  
 nis. vbi verò obest plenitudo, partes, quæ su-  
 peruacacuo humore carent, auariores reddi-  
 dæ, contendunt quanta vi possunt, ne vtilis &  
 ferè necessarius succus illis subtrahatur. Ne-  
 que minoris momenti illud est, quod Galen.  
 5. methodi capit. tertio docuit, ad sanguinem  
 reprimentum ex vulneribus profluentem, in

quo exponendo hac methodo procedit, si incisa sit vena, & vulnus eius oculis conspici, & digito seorsum vsque peruenire possit, digito vulneris osculo admoto, atque leuiter compresso, ita vt exitus sanguinis intercipiatur, citra tamen dolorem, facile sanguinem suppresses. Nam sanguine in grumum interim dum digito locum prems conuerso, osculum obturabitur. Verum si vas in penitioribus vulneris partibus fuerit incisum, tunc diligentius rei attendendum, & situs magnitudoque illius erit exquirenda. insuper verò, & quodnam vas illud sit, num vena, vel arteria. Quibus examinatis & perspectis, si vnco vas apprehensum leuiter attolles, moxque aliquanto intorqueas, hoc pacto forsitan supprimetur sanguis. quod si id ex voto non successerit, si vena illa fuerit, medicamentis erit agendum, quæ vim habent sistendi sanguinem, præ alijs autem, emplasticis. At si arteria fuerit, vix medicamentis hoc assequi poteris, si vas hoc fuerit alicuius magnitudinis. Quare relictis medicamentis, necesse erit manibus agere, & aut circumducto vinculo deliganda erit arteria, aut vniuersa rescindenda, & si vinculo uti volueris, hoc tibi obseruandum erit, vt deligetur arteria ex ea parte, vnde illa ortum habet, nempe versus cor, quia sanguis inde imperum facit versus vulnus. Vnde si arteria ascenderit à

corde

corde, vel ab aliquo ramo, qui statim à corde defluerit, in inferiori parte vinculo deuincienda erit. Verùm si ex illis fuerit quæ deorsum versus particulas inferius feratur, in superiori parte deliganda erit. Sed sæpe medici nõ sunt vinculo solo contenti, sed præterea & vas vniuersum præcidunt, quod in vulneratis venis moliri quoque interdum cogimur. præsertim vbi vena fauciata ex valde profundo loco ascendens, per vias angustas fertur, aut per aliquas ex partibus, quæ aliquo pacto in præcipuis sit. Vasa enim hæc hanc habent naturam, vt si excendantur, aut alioquin diuellantur, vtræque partes retrahuntur, vnaquæque ad suum locum, circumstantibus verò superpositisque corporibus quasi conuiuentibus, absconduntur præcisæ vasorum partes secundum ora, atque ita intercipitur sanguis, quo minus effluere queat. Consulit autem Galenus, methodi capite 5. vt vtrumque agamus, nempe vt primum partem vasis quæ suum initium respicit, vinculo deligemus, alteram verò, quæ ad extremum vergit rescindamus. Quo peracto nihil antiquius nobis sit, quàm procuratio vt carne aggenita vulnus repleatur antequam vinculum à vase decidat, alioquin nisi caro cito excrescens comprimat partem præcisi vasis, præsertim verò quando sit arteria, quæ vulnus acceperit, quæque sanguinem effundat, sed in-

ne aliquod ibi relinquatur, antequam vinculum excidat, excitabitur tumor ille, qui à Græcis *αιθερωμα*, ab Arabibus autem mater sanguinis appellatur: vnde ex hoc concludit ibi Galenus, quod omnino in hoc negotio præferendus fit vsus medicamentorum emplasticorum, vsu eorum qui crustam inducunt, & id propterea quia magis & citius carnem reparant: sed ab hac reprimendi sanguinis ratione eximenda sunt vasa, quæ per cerebri membranas digesta sunt, nimirum venæ, & præterea illæ *σφαιριδαι* à Græcis dicuntur, à Latinis verò iugulares appellantur, in quibus solo medicamento, de quo agemus, citra vinculum sanguinis erit astringendus. Sed videretur forsitan opportunum accedere particulatim ad horum medicamentorum tractationem. additis ergo his paucis ad præcedentia, ea exponemus. Nā diuersam aliquanto curationis rationem sanguinis requirit, quando ex profundioribus partibus profunditur. quia siue velis vincula experiri, siue ligaturam, nihil omnino proficies, minus quoque si medicamentis crustam inurentibus vtaris. Sed neque si alijs fissuræ imponendis, verum solis reuulsionibus aut deriuationibus proficies. præterea verò tam cibus, quàm potu, tum astringentibus, tum refrigerantibus, quæ non modò in his profusionibus ex partibus, quæ in alio sunt, maximè sunt oppor-  
tuna

tuna, verum in illis etiam, vbi externa reme-  
 dia, vt sunt refrigerantia, siue astringentia sint,  
 siue citra astringentiam, solent censeri esse acco-  
 modata, nihil proficere poteris, nisi prius im-  
 petus confluentis humoris per reuulsionem,  
 aut ex secta vena, aut per ligaturas, aut per cu-  
 curbitulas auertatur. Addamus preterea quod  
 si effundatur interdum sanguis quasi exudans  
 ex venis per *διὰ πύλων* Græci dicunt, quod fit  
 vel propter raritatem & laxitatem substantiæ  
 vasis, aut propter tenuitatem substantiæ san-  
 guinis, quamuis id ad solutam continuitatem  
 non pertineat, non erit tamen ab re, vt saltem  
 in vniuersum de hoc etiam pauca dicamus,  
 nempe quomodo sit reprimendus: porro ne-  
 mo ferè non videt, quod id per refrigerantia  
 & astringentia sit agendum, in quibus est fa-  
 cultas densandi & colligendi vasorum substan-  
 tiam, & cibus quoque in crassantibus, quando  
 id à sanguinis tenuitate pendet. tandem ergo  
 particularim ad rationem horum medicamen-  
 torum exponendum accedamus. quorum in  
 vniuersum paulò antea facta est mentio: & cū  
 hæc in tres ordines, vel tria genera sint dige-  
 sta, prius ea describemus, mox non quidem om-  
 nia, sed quæ magis in promptu & in frequen-  
 tiori vsu sunt, recensebimus. genera verò sunt  
 hæc. Quædam refrigerantia & astringentia  
 sunt, alia emplastica, alia caustica, vel inuren-

gia. De causticis sanè non est cur in præsentia aliquid dicamus, cum multa fuerint à nobis, dum de malignis putridis & erodentibus vice ribus ageremus, literis tradita. Emplastica vero ea sunt, quæ crassioris sunt substantiæ cum quodam lentore. & quamvis eorum aliqua nõ videantur expertia alicuius caloris, quæ tamè aliquantulum in frigus inclinant, nostro huic scopo magis videntur accommodata. Ergo ex simplicibus in primis album ovi, quod cum expers morsus, & lentoris sit particeps, atque quoquo modo refrigerans, nonnulli præterea & vim aliquam attribuunt, fuit semper in frequentissimo usu, atque maximè vulgare medicamentum, quo tum solo præsertim lineis pulvillis, excepto, tum verò tanquam materia, qualia assumantur uti solent. emplasticam etiam facultatem habet aranæ tela, quæ præterea refrigerando apposita loco, vnde sanguis effluit, ibique hærens solet suppressere, vel etiam sola: sed si illa accipitur, quæ reperitur vbi triticum molunt, vel vbi à furfure excutitur farina, sunt enim telæ illæ refertæ tenuissima farina quæ euolat, inde maiorem vim emplasticam & agglutinatoriam consequitur, nam & pollen, hoc est tenuissima farina vim emplasticam insignem habet, sed si alijs interdum medicamentis careremus, raro deesset pulvis communis. ille enim si Galeno §. de Facultat. simplicium

plicium medicament. credimus, eas omnes vires habere videtur, quæ plurimum valent ad sanguinem supprimendum, nam emplasticus est, refrigerat & repellit. Gypsum quoque, præsertim verò si fuerit exquisitè lotum, in hac re plurimam vim habet, vel ita aridum inspersum, vel ex albo oui mixtum, vel alio liquore similis consistentiæ, nam & in emplasticis medicamentis est, & refrigerandi desiccandi que facultate præditum. resina etiam fricta, vt ait Galenus 5. meth. cap. 3. quamuis non refrigeret. quia tamen emplastica & ipsa est, reprimere potest fluentem sanguinem. Validè etiam potest fluentem sanguinem sistere bolus armena, quæ & ipsa aliquid habet emplastici, quamuis vt Galenus nono de Facultat. simplicium medicamentorum testatus est, magis exsiccando id agunt, & partim etiam refrigerando. Cû his autem posuerim lapides hæmatitè & schistum, & terram lemniam vel sigillaram, & si quidpiam aliud est istius generis. Refrigerantia autem & ea ratione sanguinem supprimantia, sunt aqua frigida, posca, succus cucurbitæ, palustris lenticula, lactuca. Refrigerant autem cum aliqua astringitione portulaca & eius succus, refrigerant quoque & astringunt, simulq; aliquantulum siccant solanum, plantago, polygonum, semperuiuum. Vtcunq; possumus cum his recensere, malum cotoneum, reliqua.



que mala & pira, quæ alicuius austeritatis & astringentis sunt expertia, præterea sorbæ, & mespila, præsertim quæ mitia minimè sunt, & corna & fructus comari. Sed & omnium horum folia, sicut & fructus rubi, atque etiam mororum, quæ immatura sunt, & rubi quoque germina. Insigniter autem astringunt & refrigerant gallæ, præsertim iminaturæ, balaustria, cytini, malicorium. sed & myrtus, hypocistis, rhus, omphaciam. sunt & aliqua quæ etsi calida sint, ratione tamen, qua astringunt & siccant, huic muneri possunt esse vtilia, vt aloe, thus, & eius manna, & frixa resina. sed & aliqua in illis emplastica facultas id adiuuat, & pini etiam cortex, vinum præterea austerum, præsertim nigrum astringendo potest iuuare ad supprimendam sanguinem. Sed & multa alia his iuniores addunt, quæ, ni fallor, desiccando potius quàm alia ratione fluentem sanguinem intercipiunt, sicuti fuligo, quæ à clibano, vel à lebate aeneo deraditur, sed fortasse & thuris fuligo vel mastiches vim haberet maiorem, ira & gallinacæ plumæ combustæ, pilique leporis combusti, ossa vsta, spongia etiam exusta, quanquam & alia non modo siccando, sed etiam astringendo esse possunt vtilia, vt rhabbari torrefacti puluis, gallæ exustæ, moxque aceto vel vino præsertim austero restinctæ, cinis quorumcunque lignorum, quæ astrin-

quæ astringentem facultatem habuerint. Possimus alia præterea multa ascribere, quæ orationis prolixitati parcentes, dimittimus, & Galenum imitati, vno capite colligemus omnia, nimirum dicentes, quæ astringendi facultate præditi sunt, ad hunc scopum pertinere. vnde si paucula quædam de compositionis istius generis medicamentis literis tradiderimus, huic capiti finem imponemus. Cum autem omnia composita medicamenta ex simplicibus conficiantur, & ex his præsertim, quæ iam à nobis proposita sunt, aut saltem, quæ ad idem genus cum his tandem referenda sint ea cum omnium non sit vnum omnino & simplex genus. Nam alia magis emplastica sunt, alia verò astringentia & refrigerantia partimque exsiccantia, nonnulla caustica, vel exurentia: ideo diuersus reperitur modus & diuersa methodus compositionis id genus medicamentorum. Vnde si diligenter velimus ea medicamenta examinare, quæ ab auctoribus tum priscis, tum recentioribus. descripta reperimus (nam alij quidem omnia ferè ad idem genus pertinentia, commiscent, alij verò ex diuersis & sæpe etiam ex omnibus generibus. vel etiam inter se contrarijs medicamenta colligunt commiscuntque, & aliqui multa, alij pauca) incipiemus ab illis, quæ antiquis & maxime præcipuis medicis fuere in vsu. Galenus itaque duo com.

posita medicamenta quàm maximè laudauit, alterum quod confici potest ex resina addito polline triticeæ farinae, vel gypso trito in tenuissimum puluerem, vel etiam additis vtrisque ea portione, vt fiat molle emplastrum vel cataplasma. vel etiam si duo hæc simul mixta assumantur ex albo oui, erit nihilominus accommodatum medicamentum, quamuis ex farina & gypso potest fieri aridum medicamentum, vel puluis, qui vulnere & ori nasis inspersus, dum fluenti sanguini cõmiscetur, fit veluti emplastrum vel cataplasma. nam aliqui etiã sanguinis grumo exiccato ac trito, in puluerẽque redacto vtuntur ad astringendum fluentem sanguinem, quomodocunque autem medicamentum paratur, emplasticum erit, & ex emplasticis confectum. Alterum verò quod à Galeno cæteris omnibus præfertur, est id cuius materia est aloë & thus, & eius vt recentiores loqui solent, basis, quamuis non semper idem erat illi modus vtendi, neque eadẽ mensura simplicium, quæ accipiebantur, sed varium pro diuersa ratione corporum in quibus medicamẽto erat vsurus, tum etiam pro ratione vulneris. Nam illi interdum videbatur esse opus magis emplastica facultate, interdũ magis astrictiora & desiccatoria. Communis tamen eius ratio erat, vt esset thus duplex a daloen. & thus illud eligeretur, quod mollius esset &

set & recentius, iuniores dicerent gummosius  
 utpote quoniam hoc magis emplasticum est,  
 atque in magis emplasticum euadit medica-  
 mentum. Si tamen corpus cui esset opus istius  
 modi medicamento ficcius esse videretur, fic-  
 ciori etiam esset opus medicamento. par ergo  
 portio vtriusque esset assumenda. Interdum  
 verò & aliquantulum plus aloes indebat, nū-  
 quam tamen aloë thuri erat superius. aloë au-  
 tem magis desiccatur, & magis astringit thure.  
 imo nonnunquam quando plus præterea es-  
 set necessaria & astrictio & desiccatio, pro thu-  
 re consulit Galenus esse assumendam man-  
 nam, quam thuris corticem iuniores solent ap-  
 pellare. Nam ut idem testatur, manna magis a-  
 astringit, quam thus: hoc autem emplasticum  
 magis est. modus verò vtendi isto medicamen-  
 to frequentior & vtilior est ille, quem ibidem  
 Galenus docuit, vt aridum paretur, nempe cō-  
 tritis omnibus simul, & in tenuem puluerem  
 redactis, atque ita seruetur: cum verò vtendi  
 occasio fuerit oblata, albo oui subigendum est  
 atque ad crassitiem mellis deducendum & as-  
 sumendum mollissimis pilis leporinis, & na-  
 si sanguinem effundenti imponendum, atque  
 subinde vniuerso vulnere moxque tenui fascia  
 id deligandum accommodata ligatura figuræ  
 & situi ipsius particulæ deligandæ, ita, vt pri-  
 mum ter, quaterue, aut etiam quinquies vul-

neri locoque vnde effluebat sanguis circumdatur, mox verò circumductio procedat versus radicem originis: mûe ipsius secti vasis, qua tenus tamen id fieri potest, nam in fauciatis cerebri membranis id nequit sanè fieri. Mihi verò neque satis compertum est, an hoc medicamentum membranis cerebri hoc modo ex albo oui subactum & pilis leporinis exceptum membranæ commodè possit imponi, vel potius illis sit aridum inspergendum, ac mox ex oui albo & leporinis pilis vulnere exterius imponendum. nostris autem tēporibus sæpe pro illis pilis vtuntur medici mollissimo lino, aut etiam coto. Laudatur autem adeo medicamentum hoc, propterea quia præter id quod agglutinando & astringendo sanguinem sistere potest, vim etiam illam habet, vt carnem aggeneret. quod non modò vtile, verùm & summè necessarium ad reddendum omnino tutum hoc negotium. Auicenna verò & ipse suum quoddam medicamentum reliquit conscriptum, in quo exponendo vel examinando non ero multus, quia idem ferè in alijs est, nisi quòd bolum armenâ & draconis sanguinem medicamento Galeni addidit: omnia verò accipit pari pondere, at idem est modus eo vtendi, & hi quidem auctores persistere in illis medicamentis miscendis, quæ ad genus emplasticum pertinent. nam & melius id est & tutius

tius. Posteriores verò his minimè contenti, alia etiam commiscuère, quæ diuersorum generum sunt. nam & caustica, vel crustifica cum emplasticis composuère, quemadmodù Brunus inter recentiores chirurgos verustior, Arabes, præsertim verò Rasim & Albucaasim imitatus. is enim in hunc modum conficit medicamentum. Accipit calcis viuæ, de qua sermonem alibi habuimus, sanguinis draconis, gypsi, aloes, thuris, chalcãthi, singulorum tantundem, omniaque simul contusa in tenuem puluerem redigit, & ex albo oui addita tela araneæ, eatenus cõmiscet, donec ad vnã compagem deuenerint, eoque vitur vt suprã. In qua compositiõẽ cætera emplastica sunt, chalcanthum verò causticum est, & ex ijs quæ crustam vrendo inducunt. at calx viuã inter septica vel putrefacientia recensetur. Possemus longè maiorem copiam medicamentorum compositorum describere, nisi superuacaneum fore hunc laborem putaremus. nam his rectè perceptis, atque seruata memoria simplicium, quæ fuère paulò antea literis commissa, non erit difficile variare rationem medicamentorum, & syluam ingentem sibi parare, vel istis aliquantisper mutatis partim additis aliquibus alijs pro ratione opportunitatis, partim etiam nonnullis detractis, vel diuersis etiam ab his commixtis prout videbitur, vel

ratio corporis, vel temporis, vel loci nobis ea facile subministrare atque expetere. Quapropter iam videtur opportunum, vt finem quatenus ad hoc caput pertinet, faciamus.

*De curandis tumoribus, qui in corpore humano, præter eius naturam excitantur per medicamenta, primumq; de eorum natura in uniuersum.*

Caput XIX.

**E**Xpeditis, autem illis, quæ ad curanda tam vulnera, quàm vlcera pertinere poterant, quantum nempe ad nostrum institutum spectare videbantur, ad tumorum rationem, qui præter corporis laborantis naturam solent concitari, orationem conuertamus, & exponamus, quibus medicamentis, & qua ratione administrandis curandi sint. verùm quia vt sæpius ex Galeno in prioribus capitibus fuit ostensum, aut vniuersa, vt maior pars methodi tantæ componendorum quàm adhibendorum medicamentorum à natura ipsius curandi affectus depromenda est, ideò de tumoribus, tum vniuersim, tum etiam particulatim agemus: sed quantum duntaxat poterit ad faciliorem eorum quæ dicenda sunt explanationem conferre. Attoiluntur itaq; in tumore partes nostri corporis non alioquin, nisi quia  
ali-

aliqua replentur materia à qua infarcta distenduntur. quãuis autem possit illa materia qua replètur in eadem particula quæ in tumorem attollitur paulatim ex aliquo in eo contracto vitio generari, sæpissime tamen, vt Gal. in lib. de caus. morb. tradidit, à fluxione fiunt, expellentibus nimirum fortiorib. particulis inutiles vel ob copiam, vel ob malitiam & excrementosas materias naturæ instituto à se, & id ministerio expultricis facultatis, quando natura ab illis irritata excitat hanc facultatem, atque inde subinde fit, donec impulsio ad eam particulam desinat, quæ non eas vires habeat, vt à se aliò ingruentes humores possit impellere, tunc autem replentur primum plus iusto ab hac fluxione vasa maiora distèdunturq; , mox autem & minora. demum per vasorum ora & per meatus angustos & sensibus inconspicuos humor copiosus infarctus, cum contineri amplius ferè nequeat, quasi expressus exudat exciditque inter spacia quæ in musculis sunt inter similes partes, vt idem & in lib. de inæquali intemperie cap. 3. & lib. de art. med. cap. 95. & 14. meth. cap. 2. docuit, quales sunt membranæ, nerui, ligamenta, venæ arteriæ. Vt tandem & caro ipsa istiusmodi humore suffundatur, eumque veluti absorbeat. Is ergo est modus & ratio generationis omnium id genus tumorum, de quibus in præsentia sumus ser-



monem instituturi. Et quamuis in vniuersum eundem modum generationis habent, differentem tamen speciatim habent naturam, quae vniuersa diuersitas, à differente natura influentis humoris ortum habet. Nam influens humor, aut naturam sanguinis habet, aut bilis, aut pituitae, aut melancholici succi. Præterea verò quandoque non ex corpulento succo excitatur tumor, sed ex flatulento potius, vt testatur Galenus quarto de ratione victus in acutis morbis commen. 21. spiritu, & quasi ventoso. Pro ratione ergo fluxionis vnde ortum habent, diuersam quoque naturam sortiuntur tumores hi, sicuti fluxio aut calida aut frigida est, ita alij calidi sunt, alij frigidi, & antiquitus quidem, nempe tempestate Hippocratis, omnes calidi tumores, vno quasi communi nomine à medicis *plegmone* Græcè, inflammatio verò Latine dicebantur, posteriores verò vt idem Galen. tum loco à nobis nuper adducto, tum etiam 2. lib. artis curat. ad Glauconem, commune hoc nomen determinarunt ad vnâ tantum horum tumorum calidorum speciem, nempe ad illam quæ excitatur à sanguinea fluxione, in qua significatione nunc passim accipitur inflammationis nomen, quem morem & nos in præsentia sequemur. Prius autem de tumoribus calidis agemus, & primum de inflammatione, nisi quod prius quædam ad-  
huc

huc in vnuerſum conſideranda ſunt anteaquam particularim res hæc tractetur, primaque, quòd aliquando ſimplices ſunt hi tumores, vt pote qui ab vno tantùm & ſimplici humore influente ortum habeant: aliquando verò compoſiti vel mixti, quando à pluribus & diuerſis humoribus mixtim confluentibus excitantur, ſicuti aliquando exquisita eſt inflammatio, aut exquisitum eryſipelas, aliquando verò inflammatio erit eryſipelatoſa, vel eryſipelas phlegmonoſum. Sed huic & illud addamus, quod nos idem Galenus decimo tertio methodi docuit, quod quando dicimus purum, & exquisitum eryſipelas fieri à ſimplici humore, itidemque exquisitam inflammationem, hoc ita accipiendum, quaſi rariffimè, aut nunquã accidat, quia ſemper ferè mixti fluant humores, & eryſipelas, aut inflammationis aliquo modo particeps eſt, aut ſcirrhi, aut œdematis, & ita etiam alij, vel huius vel alterius participes, aut hoc ad ſenſum referendum eſt, quia adeo copia & viribus vnus humoralios ſuperat, vt illi à ſenſibus noſtris nequeant diſcerni, ſed ab illis tantquam vnus & ſimplex humor habentur.

*De ratione medicamentorum, quibus curandæ sunt inflammationes.*

*Caput X X.*

**I**nflammatiō, quam phlegmonem, vt paulò antè monuimus, Græci posteriores Hippocrate particulatim nuncupauère, tumor est, vt idè 2. lib. ad Glauco. c. 2. ait, qui à sanguineo-optimò modice tamen crasso, aut sanè à sanguinea materia, hoc est in qua copia & viribus sanguis superior est, influente in aliquam particulam excitatur. symptomata verò communi quadâ ratione inflammationes consequentia sunt, vt decimo quarto methodi docuit Galenus calor primum, deinde rubor, mox dolor tensioque & renitentia comprimenti. Et calor quidè insignis & quasi flammeus, vel igneus, vnde & inflammationis, vel phlegmone nomen inditum. Percipiunt enim ægri calorem adeo vehementem, vt quasi accensa flamma videatur, cuius multiplex est causa, primū quidem, quia sanguis suapte natura calidus est, de inde verò cum comprehenditur constipatus in inflammato loco, seipso longè calidior fit, quia cute obstructa, à multa & crassiori materia, prohibetur quo minus diffari possit, atque ita maior accenditur calor, cui hac etiam de causa putredo accedens, priori calori & illum addit, qui à putredine accenditur.

Rubor

Rubor verò item in sanguinis colorem referendus, & distenditur etiam particula & prementi renititur, quia spacia quæ inania prius erant, sanguine inculcato & infarcto plena sunt. Dolor autem tum ex nimio calore terroreque excitatur, tum verò quia partes à materia efferuescente distenduntur, ac quasi dilacerantur, tum etiam quòd ab incumbentibus partibus comprimuntur & aggrauantur, qui plerumque cum pulsu est, si inflammatio insigniter creuerit, & in loco fuerit, qui sit sensus particeps, & propinquas habeat arterias. pulsus enim is ab arterijs, vt 7. aph. docuit Galenus, prodit, quæ & refrigerio egent maiori, & noxiam rem expellere nituntur, & compressæ angustiori spacio, dum impetu maiori mouentur, circumstantes partes percutiunt. præcipue verò is pulsus fit cum inflàmatio in suppurationem propensa est. Sed antea quam ad eorum tractationem accedamus, quæ magis particulatim huic nostro instituto attinent, aliqua insuper circa communem rationem inflammationum sunt explananda necessaria ad methodum componendorum medicamentorum, quæ apta sint illis curandis & ad rationem vsus eorum, & hoc primùm quidem declarauimus, quod tanquam corrolarium ex illis sequitur, quæ nuper fuere exposita. Nempe quòd in inflàmata parte duplex reperitur

caloris ratio, & altera quidem natiui, ad quem principem spectat & morbos curare & omnia pertinentia ad vitam & salutem illius partis administrare; alter extraneus & aduentitiuus, præsertim, vt diximus ex putredine concitatus, qui omnino aduersarius natiuo, corrumpit, destruit, & impedit omnia à natiuo administrata, qui sicut aduersarij mutuo sunt, ita semper inter se pugnant ac veluti colluctantur. Vnde ex his postea accidit, vt inflammationes non semper vno & eodem modo terminentur, sed vt à Galeno multis in locis fuimus docti, multipliciter, nam aut omnino natiuus calor superior est, aut omnino externus & ascititiuus, aut res quasi medio modo se habet, nempe quia neque natiuus, neque extraneus alterum superat, sed vel pares sunt viribus, vel si impares, vtriusque tamen actio in materia, quæ iam fluxit, apparet. Et si quidem omnino superior sit vis natiui coloris, nulla sequitur suppuratio, nullus abscessus, sed per attenuationem & digestionem, vel, vt aiunt, resolutionem materiæ attollentis particulam in tumore inapitum inflammata pars, & inanita citra aliud incommodum redit ad pristinum & ad naturalem statum, quæ quidem terminatio vel curatio optima est, & præcipue semper opranda. Sin autem externus & ascititiuus calor penitus superet natiuum, pars omnino corrup-

corrumpitur & putrefcit, quo modo sunt gāgrenæ & sphaceli, & reliqua id genus, quæ quidem terminatio pessima est & maxime detestanda. Quando verò non omnino alter calor alterum vincit, tunc inflammationes in abcessum vertuntur & suppurantur, & quia in hac horum calorum quasi pugna, varij sunt ordines, vel, vt aiunt, gradus, quatenus magis vel minus alter alteri superior est. Nam nativi operatio & scopus est quando digerere per vacationem sensibus inconspicuum humorem vitiosum nequit, saltem illum concoquere, & in optimū conuertere, ascititius verò semper putrefacere & corrumpere, ideo pus quod in abscessibus gignitur, aliquando excernitur albū & leue, & æquale, nullum, aut non insignē referens malum odorem: interdum odore cōsistentia, coloreque victoriam caloris extranei referens, sicut autem diuersæ sunt hæ rationes, quibus terminantur inflammationes, ita etiam oportet, vt medicus, qui naturæ adiutor est, diuersas medicamentorum rationes ineat, quibus naturę laboranti opem ferre possit. Quibus & illud addendum est, quod cum morborum temporibus occasiones mutandi rationes remediorum accipiendæ sint, non erit etiam abre, si de temporibus inflammationum aliqua dixerimus: præsertim cum nō vnus simplexque modus sit, quo distinguen-

da sunt eiusmodi tempora. Ratio verò distinctionis à diuersis modis accipitur, quibus terminatur inflammatio, & materia in inflammatione transmutatur, quando per digestionem, vel per suppurationem, vel per corruptionem et putrefactionem terminatur. Nam principium, vt in libro de temporibus vniuersi morbi exposuit Galen, inflammationis est, quando ex fluente sanguine pars affecta impletur. Cum ergo consistente fluxione iam coepit collecta materia putrescere, calor vehementior ex putredine excitatur, à quo sanguis magis funditur, atque inde spiritum generari contingit: quo deinde fit, vt quamuis constiterit fluxio materiae, pars tamen magis distendatur quàm antea, vnde hoc tempus incrementum censendum est. Cum verò concoquitur materia, & per concoctionem paratur, aut ad digestionem faciliorem, aut ad suppurationem, maximus tunc dolor & maior concitatur febris. dum pus enim conficitur dolores, & febres magis molestæ sunt quam confecto iam pure, atq; tempus id igitur vel consistentiae existimandum est. Postremò verò, vbi in pus versus est sanguis, vel coctus digeritur, decrescit tumor, remittitur partis distinctio, incipit inflammatio inclinare. Est tamen his & illud adiiciendum, quòd triplex est ratio distinguendi tempora in ipsis inflammationib.

tionibus, accepta à tribus, quæ necessario simul semper reperiuntur in omnibus morbis, qui ex materia ortum habent. Nam est primū ipsa morbi natura vel essentia, est materia quā partim natura vel natiuus calor, partim calor præter naturam & extraneus, transmutare & vincere nititur: tertio sunt symptomata, quæ tam morbum, quàm materiz transmutationem sequuntur. & horum omnium in hac arte multa semper ab omnibus medicis, præsertim verò rationalibus ratio habita est, adeo vt ab omnibus istis suis tempora distinguendi modus est depromptus: qui quidem modi (si Galen. credere volumus) in vnum quandoq; cōspirant, vt eadem sint tempora, tam quo ad morbi essentiam, quàm quo ad symptomata, aut etiam quo ad materiz transmutationem & concoctionem, nonnunquam adeo dissentiant, & diuersa sint, vt vigor sit quatenus ad symptomata pertinet, quando nondum incipit coqui materia, quod nobis insinuauit Gal. 1. de ratione vict. in morb. acu. com. 3. vbi Hippocra. de pleuritide agens ait, quòd vbi dolor sit asiduus, qui vsu fomentorum non lenitur sputumq; non procedit, sed citra concoctionē perquam glutinosum est, si ptisanam ante sectionem venæ, aut purgationem medicus dederit, ægotantem interficiat, locum explanās Gal. ait, quòd ea quæ ab Hippo. exponuntur,



signa sunt vigentis inflammationis, vbi liquido patet, de illo vigore ipsum eo in loco sensisse, qui ex distinctione temporum penes symptomata accipitur, non autem penes rationem concoctionis. Nam si sputum nondum procedit, sed citra cōcoctionem fit glutinosum, cruditas adhuc manifesta est ipsius materiae, & quatenus ad illam pertinet inflāmatio, aut in initio adhuc est, aut parū ab illo abest. Sed & experientia huic attestatur, vbi .n. incipiunt concocta expuere pleuritici incrementum est, ratione quidē concoctionis, symptomata autē inclinare incipiunt, nā & dolor remittitur & respirandi difficultas, sed clarius hoc exposuit 3. eiusdem de ratione vict. libr. com. 62. vbi ait interdum tempora symptomatum, & ipsius affectionis simul procedere interdū verō nequaquam. Quibus ita expositis, vltterius progrediamur et explanemus scopos et indicationes, quæ sunt veluti fundamenta, quibus inittitur methodus curandarum inflammationū, tum per medicamēta localia particulatim exterius administranda, tum etiam per alia communia remedia, & primū id reuocemus in memoriā, quod inflammationes ortum & incrementum à fluxione habent, quare & communi methodo subiectas esse necesse est, cui & cæteri omnes morbi subiecti sunt, qui à fluxione ortum habēt, & indicationib. quæ à fluxione

xione depromendæ sunt. inter quas princeps illa est, quæ nobis demonstrat fluxionem supprimendam reprimendamque esse. Et cum duplici ratione fluxioni occurrere possumus, primùm remotis causis fluxionis, deinde procurando ne particula ad quam defertur defluens materia, illam minimè admittat recipiatque. Et quamuis fluxionis causa aliquando in ea sit particula, vt in 13. meth. Galenus docuit, ad quam humor confluit, & hæc multiplex sit, vna quidem communis, & est illius particulæ imbecillitas aliqua, vel ex ipso ortu, vel ex aliqua externa vel interna occasione contracta, aliæ verò magis priuatæ sunt, aut calor aut dolor in illa parte excitatus, nam duo hæc præcipuè vim habent attrahendi ad affectam particulam superuacuos humores in alijs residentes. Aliquando autem fluxionis causa nõ est in loco affecto, sed potius in alijs circumstantibus vicinis, vel remotis partibus, vt sæpe etiam in vniuerso corpore, cuius deinde vniuersa ratio in multitudinem, aut vitiosam naturam fluentium humorum, qui irritant naturam earum partium, vt expultrice facultate excitata insurgat ad eos procul expellendos: attamen omnia in hoc tandem caput resoluuntur, nempe in repletionem multi aut vitiosi succi. Nam nisi hæc adsit redundantia, nihil attrahenti prodest attractio, cū nihil re-

reliquum sit quod attrahendum sit. Nam aliæ partes non cedunt attrahenti, cum nihil superuacui habent, quod attrahi facile permittant, neque impellentes quidpiam à se expellere conantur: nisi quod illis est, aut copia, aut mala aliqua qualitate molestum. In summa ergo primus scopus & communis in omnibus defluxorijs morbis erit, tum vacuatio, tum etiam reuulsio. Vacuationes autem quæ maiorem in hoc munere præstando vim habent, sunt sanguinis missio & purgatio per medicamenta, maximè verò quando euacuando etiã reuellunt. Hæc ergo erit princeps & cõmuniõ pars methodi curãdarum, tam inflãmationum, quàm aliarum etiam affectionũ à fluxione excitatarum, quæ ita cursim à nobis tractata sunt, quoniam particulatim non videntur spectare ad præsens institutũ, in quo de localibus remedijs vel medicamentis agere institui mus. Vnde ad aliam partẽ accedamus, in qua agendum est quonã pacto procurandum est, primũ quidem ne locus affectus influentes ingruentesq; humores recipiat, deinde verò si qui recipiantur, illa vacuent. Et hoc, quia cũ fluxio aliquanto tempore in aliquem locum tendit, qui eas vires non habeat, vt illam à se repellere possit, necesse est, vt tandem victus aliquid recipiat, & subinde semper plus sit recepturus. Hæc autem nobis statim indicant, procu-

procuranduu quantum fieri potest, vt arceamus quod adhuc fluit, vel fluxurum est, & elidamus exprimamusque quod iam influxit & receptum est, vel si hoc fieri nequeat, saltem per digerentia, vel resoluentia vacuus locus reddatur. Scopi ergo qui præcipui in hac re sunt spectandi, hi præsertim sunt, repellendum esse, vel vt iuniores dicere solebant, repercutiendum esse, & digerendum seu resoluendum. qui quidem & si ambo sint summe necessarij, non tamen semper æqualem vim habent. Nam inter initia, dum fluxio incipit, maiorem vim habet scopus repellendi, quàm digerendi, imò digerendi, vel nullaten, vel admodum exiguam habet, cum id quod influxit & receptū est, parum admodum sit, quod verò fluxurum est, vel fluere potest, plurimū. & proinde medici omnes in hoc consenserunt, in initio solis esse opus repellentibus: in incremento cum aliquid alicuius momenti iam influxerit, atque receptum sit intermiscenda esse digerentia repellentibus, primū quidem in minori copia, mox autem paulatim & subinde in maiori copia, donec ad consistētiam vel vigorem sit peruentum, quo tempore nisi aliquid sit adnexum, vel ob naturam particulæ, vel ob aliam rationem quod fecus indicet, solis digerentibus relinquatur locus accommodatus. Hæc autem si recte extimen-

tur verissima profecto censenda sunt, si tempora hæc ad naturam morbi referantur, quatenus à fluxione omnino habet. Nam in principio fluxionis repellere solum oportet, cum verò procedit fluxio & augetur tumor, partim repellentibus, partim digerentibus egemus. Vbi verò iam constiterit fluxio, solis digerentibus. Sed si sequamur partitionem temporum, quam paulò ante ex libro de temporibus morbi vniuersi exposuimus, methodus hæc non omnino vera erit. nam vbi dicebat Galenus, quòd vbi consistat fluxio, inciperet incrementum. eo autem tempore nemo dixerit oportere mixtim vti repellentibus & digerentibus. cur enim repellendum, si nihil amplius fluit? Nam potius ea tunc erunt curatio idonea, quæ partim concoquendi, partim verò digerendi vim habent, si speramus per digestionem resolutionemue terminandam in inflammationem, aut saltem illa quæ pus mouent. Si videatur suppurari & in abcessum transire tumor. Verùm & hoc considerandù, quòd cognitu in his necessariù est, præsertim ad aptam & commodam medicamentorum compositionem, & eorundè congruentem usum summe vtile est, nempe quòd in præsentia nuper exposito theoremati id accidit, quòd & alijs plerisq; generalibus medicorum præceptis. illud verò est, quòd si ea referamus ad eas

ratio-

rationes & eas indicationes vnde deprompta sunt, omnino vera sunt: quia tamen multæ aliæ etiam rationes & conditiones, vel circumstantiæ cum illo affectu, siue inflammatio sit, siue alius morbus, quæ suam & ipsæ rationem propriamq; indicationem, & eam non contemnendam habent: ideo nonnunquam à generalibus illis theorematibus deflectere cogitur medicus, neq; tamen propterea tollitur, quin ea vera sint. Ecce enim, vt parum antè dictum est, inflammatio primam occasionem habeat in ipso loco affecto à dolore concitato à spiritu flatuoso, & densitate cutis, non oportebit statim ab initio aggredi curationem, per ea remedia, quæ repellant, vt pote quoniam adderent densitati cutis, & magis concluso spiritu augerent dolorem, & subinde etiam inflammationem, sed potius erit agendum, vt 13. method. docet Galen. illis quæ modicè calefaciunt, qualia sunt quæ laxantia dicuntur, quæque defatum corpus rarefacere possunt, & flatulentum spiritum extenuare digerereq; , & quicquid confluxit in inflammatam partem discutere, itidemq; si ex refrigeratione concitato dolore orietur inflammatio, calefacientibus. frigidiori contractæ intemperaturæ doloriq; & inflammationi esset consulendum; Contra verò si ex immodico loci calore inflammatio originem haberet, refrigerantib. & in-

temperaturæ calidæ, & inflammationi esset occurrendum. Nam intemperatura contrarijs tollitur, & per refrigerantia & astringentia, pars repleta, expressa quasi contenta materia & extracta, perinde inanitur ferè, ac per digerentia. His præterea & id addamus, quòd si fluxio crassorum admodùm humorum sit, aut materia plurimùm fuerit inculcata ab affecta parte repellentib. & refrigerantib. insistendum minimè erit, sed ad digerentia transeundùm. Vnde tandem vniuersam istius rei rationè in hanc summam resoluemus. quòd si quando omnino humorùm fluxio repressa constiterit, corpusquè probe mūdum & inane fuerit, tuti què sumus ne iterum excitetur aliqua fluxio, tunc in principio quidem sola repellentia refrigerantiaquè accommodata erunt, inclinante verò inflammatione, vt nobis breuissimè exposuit Gale. 1. de comp. med. secund. gen. sola digerentia, vbi tamen vehemens adesset dolor mutanda esset hæc ratio, quia lenientia ad sedandùm dolorem necessaria essent. intermedijs verò temporib. mista esse repellentia oportet cum digerentibus, vt tamen repellentium vis inter initia superet, atquè quo morbus magis per incrementum versus vigorem progreditur, eò magis de repellentibus detrahendum, digerentibusquè adijciendum, adeo vt præpe vigorem par sit ferè vtrorumquè ratio. In vigore verò, vt idem

sexto

sexto de compositione medicamentorum secundum loca, concoctorijs medicamentis fucus est locus, concocto verò morbo & inclinante, digerentibus. At verò vbi corpus non omnino mundum fuerit, & fluxionis timor non desit, semper oportet, vt eodem quarto de compositione medicamentorum per genera aperte pronuntiauit Galenus, mixtam esse vtranque facultatem digerentem & repellentem. Quæ, si fuerint secundum artem & methodū, mixtæ, non modo quamuis videantur inter se esse aduersariæ, non se mutuò impediunt, ac potius, vt eodem sexto de compositione explanauit idem Galen. mutuò se iuuent. Sed tandem ad hæc ipsa particulatim tractanda accedamus. Et quia diximus duplicem esse modum, quo scilicet potest inflammatio terminari, curarique, nam cum fiat inflammatio ex repletione sanguinis, qui defluxit in ipsam particulam, fieri nequit, vt curetur hic affectus, nisi per contrarium, nempe per vacuationem repletæ partis. Dupliciter autem solet superuacua illa materia, cum inculcata est & absorpta ab ipsa particula, detrahi & vacuari, nam aut per digestionem eius in halitum, aut per eius conuersionem in pus & effluxum ex facto iam abcessu rupto vel inciso. Sed de priori ratione curandi inflammatio nes agamus, nempe per digestionem. Rema



yerò hanc diligentissimè Galen. secundo li-  
 bro artis cur. ad Glauco. tractauit, in hunc mo-  
 dum. Inter initia inflammationum, vel vehe-  
 mens admodum cruciat dolor, vel non est a-  
 deo vehemens (nam vix fieri potest vt sit in-  
 flammatio omnino doloris expertis, dolor ta-  
 men non tantus est, vt omnem, vel maiorem  
 curationis partem ad se conuertat.) si quidem  
 vehementior adsit dolor, neque vsus eorum,  
 quæ refrigerant & exiccant, qualia illa sunt,  
 quæ paulò post sumus exposituri, quæque so-  
 lum repellunt, utilis futurus est, neque etiam  
 eorum quæ laxant & molliunt, quale est cata-  
 plasma ex triticea farina oleoque & aqua con-  
 factum, aut aquæ calidæ, aut olei perfusio.  
 nam quamuis hæc videantur statim ferè leua-  
 re & lenire dolorem, in affectibus tamen ab  
 impetu confluentis materiæ concitatis aliena  
 sunt, & noxia istiusmodi medicamenta. eos  
 enim augent, quia fluxiones magis prolectât.  
 in his itaque dolor leniendus erit, quo piam  
 simili medicamento, vt illud est, quod ex pas-  
 so & rosaceo fit addita modica cera ex vtro-  
 que liquata, quæ apponenda sunt excepta la-  
 na plurimo ex æsipo sordida, sed & utile præ-  
 terea erit medicamentum quod fit ex plan-  
 tagine lenticulâq; præsertim coctis addito pa-  
 ne, & exceptis rosaceo oleo, in his enim vis  
 refrigerandi quidem est, & digerendi, & ro-  
 borandi

borandi particulam, vt se tueri ab ingruentibus humoribus possit. Nam in plantagine & lenticula præterea in rosaceo etiam vis est astringentia, modesta tamen quæ potest robur parti affectæ prestare, non tamen tanta, vt contrahere & exasperare ipsam possit, atque ita dolorem exasperare, in pane vero itemque in rosaceo aliqua leniendi & digerendi, sed & refrigerant hæc medicamenta: & vnde frigida ætate, tepida verò hyeme sunt adhibenda. Tertio enim de temper. ait Galen. calidis affectibus ætate medicamenta actu frigida esse apponenda, hyeme vero ne ex ære vehementer frigido cõtrahatur magis pars affecta, intendatur magis, & ita exacerbetur dolor, tepidum medicamentum imponendum erit. Ita enim dum partim corrigitur & reprimitur calidior intemperatura inflammati loci, digeriturque pars aliqua contentæ materiæ, vnde illa minus distenditur, & delenitur etiam, fit dolor minor & minus molestus. Verùm quia istius rei summa inter initia in fluxione sita est, cui imprimis incumbendum, & quæ illam potenter reprimunt, si inflammate parti imponantur, dolorem exacerbant, idcõ præterea idem consulit, vt paulò supra male affectam partem apponatur spongia aspersa prius ex vino astringenti, aut aqua frigida, deinde verò expressa, quæ item frigida sunt ap-

ponenda, cui si præterea aliquid adijciatur acetum, res melius se habebit. hæc verò superiori loco apponenda voluit, per quem putat fluxionem descendere, vt eam astringendo & contrahendo fluxionem intercipiat prohibeatque. Et hoc quidem medicamentum eorum officio fingitur, quæ à nostris iunioribus defensiva dici solet, de quibus cum abundè suo loco fuerit actum, in præsentia nullum habebimus fermonem, quamuis & illa huic loco possent accommodari, sin autem vehemens dolor nõ cogat nos à recta curationis methodo diuertere, toti erimus inter initia in repulsione, cum refrigerantibus & astringentibus & subinde desiccantibus. Nam vt eodem secundo libro ad Glaucon. docuit Galenus, ea optima emplastra sunt, quæ mollia sunt, quæque reprimunt & coercent cursum fluentis materiæ, sed & desiccant, præsertim si sine dolore illud fiat. nam quæ multum partem intendunt, dolorem maiorem concitant, & plus noxæ, quam utilitatis afferunt. Præsertim verò hoc cataplasma laudauit ibidem, quod conficitur ex semperuiuo, malicorio, ex sapa, rhu, farina hordei. nam potest reprimere repellereque fluxionem, eamque exiccare, & circumpositas partes roborare, nam omnia quidem desiccant plus aut minus, semperuiuum insigniter refrigerat, aliquantisper desiccant & astringit,

astringit, non tamen intendit ob multam aqueam humiditatem. Malicorium insigniter deficcet & astringit, cum verò ex vino coquitur, mollius fit medicamentum, & aliquantisper digerens, neque tamen minus attringens & siccans, præsertim si ex austero vino coquatur, sed rhus etiam siccet & astringit: hordei verò farina deficcet quidem, aperit verò meatus & materiam digerit & transpirare facit. Auicenna verò hoc cataplasma in hunc modum descripsit, vt & iuniores referunt. Accipiamus succi semperuiui libram, vini nigri austeri dimidiam, farinæ hordaceæ tres uncias, malicorij, rhu, singulorum tritorum unciam & semis, his simul coctis fiat medicamentum. Galenus tamen coqui voluisse videtur ex vino malicorium, reliqua verò trita & tusa esse addenda ad compositionem cataplasmatum. Medicamenta verò quæ semper ferè possunt esse in promptu vtiliaque sunt, sicut vinum nigrum & austereum, si eò perfundatur spongia, vel lana succida quam appellant, hoc est antequam lauetur à suis sordibus: item posca hoc est aqua ex aceto, quæ frigida sunt, vel ex lanæ vellere, vel ex spongia loco affecto, sicut antea diximus, in superioribus & suprastantibus inflammationi apponenda sunt. Sunt etiam innumera ferè simplicia, quæ in hos vsus commodè venire possunt, vt semper

uiuum, planago, polygonum, solanum, vi-  
 tium capreoli & germina, germina rubi. hæc  
 omnia refrigerant & astringunt, atque etiam  
 desiccant. sunt præterea portulaca, cucurbita  
 cucumer. quorum succus refrigerat quidem,  
 non tamen astringit, neque desiccatur. istarum  
 tamen facultatum fieri possunt participes, si  
 aliqua astringentia cum illis miscentur, sicut  
 omphacium, vel succus vix acerbæ, vinum  
 aliquod austerum, succi aliarum herbarum a-  
 stringentium, vt oxyacanthæ, sorbi mali, ali-  
 cuius aut piri, quæ saporem astringentem ha-  
 berent. Album etiam oui addita aqua rosacea  
 & aliquanto aceto huic officio esset aptum me-  
 dicamentum. Sunt & quàm plurima alia, quæ  
 mihi videtur superuacaneum recensere, po-  
 steaquam nemo est, qui facile non possit ea  
 omnia lectis libris, in quibus de medicinali  
 materia agitur, colligere. Sed transeundum  
 est ad ea quæ iam incremente inflammatione  
 possunt aptè adhiberi. Tertio itaque de facul-  
 tat. simplicium medicamentorum Galenus  
 oleum rosaceum medicamentum esse ait, quod  
 maximè accommodatum sit incrementis in-  
 flammationum, sed cum non vnica sit ratio  
 hoc oleum conficiendi. nam & ex oleo imma-  
 turo quod omphacinum Græci appellarunt,  
 & interdum, imo frequentius ex oleo matu-  
 ro & quo communiter in cibis vtimur, primū  
 illud

illud & frigidius est & magis astringens, quare repulſioni accommodatius, vnde eius vſus in ea parte incrementi, quæ principio proxima eſt, erit magis opportunus. quod verò maturius eſt maiorem vim digerendi & concoquendi obtinet: quam ob rem aptius erit, cum incrementum vltcrius progreditur, imo verſus vigorem vel ſtatum, vt aiunt, accedente in inflammatione, ſi cum chamæmelino oleo commiſceatur præſtantius erit medicamentum. Nam & magis digerere, & præterea magis lenire dolorem poterit. Et hæc quidem ſunt ſimpliciora medicamenta. nam & componi præterea multa cataplaſmata poſſunt, quorum mentio & ab Auicenna & alijs auctoribus fit, ſicuti defrutum, vel ſapa inter medicamenta referuntur, quæ incremento accommodata ſunt. Vnde ſi acceperimus olei roſacei vncias duas primum, ſapæ vnciam vnam, croci drachmam vnam, erit vtile medicamentum, maiorem verò digeſtionem habiturum, ſi ex ſucci da appellata lana aſſumptum apponatur. Alij in hunc modum componunt aptum cataplaſma. Accipiunt enim foliorum maluæ manipulum, quem ex aqua coquunt, adduntque abſinthij, roſarum aridarum, ſingulorū ſemunciam, farine hordei vnciam, omnia ex aqua coquunt, & atterunt, & addunt olei chamæmelini parum, commiſcentque in molle em-

plastrum, & apponunt. potest & ex oleo rosaceo & chamæmelino farinaque hordeacea componi cataplasma addito deinde oui vitello, interdum & paucis croco. sed innumera possent confici medicamenta, nobis tamen hæc satis erunt proposita iuuenibus. tanquam exempla, ad quorum imitationem plura alia, si quis fuerit peritus facultatum simplicium medicamentorum, illa conferens cum explanatis scopis sponte sua componere pro opportunitate & occasione sibi oblata poterit. Galenus autem 2. artis ad Glauconem, & 1. de compositione medicamentorum secundum genera maxime laudat emplastrum suum diachalciteos, quod & Phœnicium appellauit. iuniores vero Latini, & Arabum multi diapalma, præsertim vero si ex rosaceo resoluatur. digerit enim ex adipe veteri & oleo, refrigerat ex rosaceo & spuma argenti, astringit ex chalcitide & rosaceo: præsertim si sit omphacinum oleum, & ex palmæ succo, desiccatur sine morfu & dolore, quamuis enim chalcitis sit acre medicamentum, & per se dolorosum asperumque; aliorum tamen mixtura lenitur eius asperitas. Mihi vero præcipue probaretur eius usus ad arcendas repellendasque, & partim digerendas in vulneribus & vlcibus inflammationes: nam & ad curanda vlcera, ea exiccando detergendoque, & ad arcendas inflammationes, siue

res, siue antè in ceperint, siue etiam nondum  
coeperint, sed timeamus earum superuētum.  
De medicamentis autem opportunis in vigo-  
re, non est cur multa dicam. cum enim eo tem-  
pore dolores magis infestent, concoquenti-  
bus & dolorem sedantibus res tractanda erit.  
de quibus aliqua paulò superius diximus.  
post vigorem verò digerentibus attenuanti-  
bus præcipuus locus erit, & quia, vt Gal. 13.  
methodi dixit, inclinantis inflammationis si-  
milis, vel eadem ferè curatio est, quæ & scir-  
rhi. & Auicenna non absque ratione eo tem-  
pore laudat vnguentum, quod Basilicon dixi-  
mus appellari, de quo sicut & diachalciteos  
superius, quantum satis videbatur esse, actum  
fuit, præterea verò & diachylon, vtraque ve-  
rò digerendi insignem vim habent, atque etiã  
molliendi, præsertim verò diachylon, de quo  
inferius & sermonem suum sumus habituri.  
præterea verò & oleum anethinum, chamæ-  
melinum, liliaceum, & id genus alia. Quod  
si inflammatio in maturationē potius & sup-  
purationem, & tandem in abscessum, quam  
in digestionem inclinet, alia erit curationis ra-  
tio ineunda. Nam illis erit agendum, quæ  
pus mouere possunt: præsertim verò in in-  
flammationibus externarum partium. quia  
inflammationes internorum viscerum, cum  
in abscessum & suppurationem vertuntur,



transeunt in aliud grauius etiam & difficilius genus morbi: nempe in vlcus, vnde pulmonum inflammationes, cum suppurantur in tabem vel phthisim, hoc est in vlcus pulmonis; pleuritis verò, primū in suppurationem, vel vt Græci appellāt, ἐμπύημα, & tandē in phthisim. De inflammationibus verò internis capitis, ventriculi, iecinoris, & aliorum viscerum, cum suppurantur, & tandem rumpuntur, nō est cur multa dicamus, nemo enim ferè non nouit, quanta afferāt pericula: vnde quàmmaximè in illis incumbendum est, quò minus suppurentur. Illud verò fiet vacuationibus & reuulsionibus fortioribus, tenuissimo victu, repulsoijs medicamentis, & reliquis, quorū hætenus satis copiosè meminimus. In partiū autem exteriorum inflammationibus curandis, non erit adeò remittendum maturationi & suppurationi, sed cum naturam propèsam in id viderimus, adiuuanda erit, vt citius & facilius suppurentur. Medicamenta verò quæ huic officio idonea sunt: nempe puri mouendo, ea sunt, quæ vt quinto de simplicium medicamentorum facultatibus docuit Galenus temperaturam similem & conformè habent cum humano corpore. Pus enim præsertim illud quod in abscessibus exoptādum est, nempe quod bonum est, opus est caloris natiui in primis & præcipuè: quare medicamentis suppuran-

purantibus calorem excitari oportet, qui calori humano similis sit temperie, & proinde etiam alia medicamenta alijs corporibus ad faciliorem & promptiorem suppurationem idonea erunt, & illum pro diuersis corporum temperaturis. Simile ergo corpori in caliditate erit medicamentum, quod pus sit excitatum, quia vis & copia natiui caloris augenda est, non autem qualitas. quatenus autem ad rationem substantiæ pertinet, ea quæ *ἰμδασι* à Græcis dicuntur, huic muneri in primis apta sunt. hæc enim cum obstruant inconspicuos cutis meatus per quos diffatur corpus, spiritus includunt, vt non digerantur, qui suppurationi velociori auxilio sunt. Calida ergo medicamenta temperato calore erunt apta suppurandis abscessibus, quod & Hippocrates testatus est. 5. aphorism. vbi ait quod frigidum prohibet, calidum verò suppurationi promouendæ idoneum in omnibus, præterquam in vlcereb. putridis, & illis quæ ac huc à fluxione humorum tentatur fouenturque. In his enim id genus medicamenta putrefaciunt magis & fluxiones maiores concitant: præsertim verò cum id genus medicamenta calida sint, verum vt Gal. 5. meth. ait, & humida sint oportet. Nam cum puris generatio non solum à natiuo calore, quamuis cum probum pus est, natiuus sit superior, verum & extra-

neus accedit, & ideo quoquo modo putrescit materia, quæ in pus transmutatur: quare citissimè medicamentis solètur mouere pus, quæ calida & humida sunt, Sed de his tandem & particulatim agendum est. Forus ergo inflammatae partis ex aqua tepida, item ex oleo tepido maturo & dulci, vel etiam ex vtrisque mixtis tanquam accommodata remedia ad suppurandas inflammationes à Galeno tum quinto de facultatibus simplicium medicamentorum, tum verò secundo artis cur. ad Glaucon. & quarto meth. habita sunt, item decoctum iufci seu althææ. Composita verò huic muneri accommodata sunt, in calidioribus & feruentioribus, cataplasma confectum ex aqua, & oleo pari mensura coctis, atque tanta farina hordeacea inspersa, quanta satis sit ad confectionem mollis emplastri: in illis autem quæ non adeo feruent, mirificè pus mouet, simili modo confectum cataplasma, sed ex triticea farina. & hoc quidem magis suppurationem mouet. Ex hordeacea verò farina, aliquantulum etiam inflammationem repellit. Sed panis etiam qui non sit vehementer coctus, si ex aqua & oleo subigitur & coquatur, & modice calidus apponatur, aptum erit medicamentum: Verum hoc ex fermento & sale præter maturandi vim habet etiam non parum digerendi, ad facilem ergo suppurationem deligendus est panis

est panis non plurimum coctus, quia ut eodem s. de facult. simp. med. Gal. testatur, panis quo magis coctus fuerit, maiorem vim exiccandi habet, & proinde aptior est inflammationibus, quæ concoctæ sunt difficiliore, qui verò modicè est coctus, calidioribus & feruentioribus. Sed & quo plus olei adjicitur, eo etiam valentius ad suppurationem adducit cataplasma ex pane, vel ex farina etiam: quo verò minus olei, & plus aquæ, eò feruidioribus inflammationibus vtilius erit. Ita etiam quo farina triticea purior, & furfurum magis expers, itemque & panis aptior ad pus mouendum erit. Adipes quoque suppurandis inflammationibus vtilis sunt, non tamen omnes pariter: aptissimi enim sunt, primum suilla, mox gallinacea & vitulina, reliqui verò ut sunt tauri, capræ, leonis, pardi, & id genus aliæ syluestrium animantium, magis digestionem, sicut et oleum vetus, quam mouendo puri sunt apti. Picem autem & resinam posse pus mouere, eodem quinto de simplicium medicamento- rum facultatibus tradidit Galenus, siquidem ex oleo liquentur: communi quidem & recenti quando feruidiores fuerint inflammationes, sed si frigidiores, aptius erit oleum cichnum, vel raphanium, vel oleum vetus. Medicamenta verò quæ ferè vulgo in vfu sunt ad maturandos calidiores præsertim abscessus,

in hunc sanè modum solent parari. Nam manipulum foliorum maluz ex aqua coquunt, moxque in mortario terunt, additaque axungia suilla recenti salis experti pari ferè pondere, cataplasma componunt, cui nonnulli & parum croci addunt nempe drachmam: valentius erit si acceperimus radicem ibisci; seu althez, & foliorum maluz coctorum singulorum tantundem atque ex axungia suilla contritis omnibus molle confecerimus cataplasma. Quidam etiam coctas radices liliorum alborum unam nempe vel alteram prædictis addunt. In illis verò, in quibus & difficiliore est seppuratio, & alia addunt. Coctis enim folijs maluarum, radicibusque althez & liliorum, illisque tritis in mortario, & adiecta axungia ex farina feminis lini & tritici singulorum quantum videbitur satis esse pro emplastro conficiendo conficiunt medicamentum, eas enim subigunt ex decocto prædictarum rerum, mox illis radices tritas & axungiam commiscunt in copagem mollis emplastri. Nonnulli verò & & caricas pingues cum alijs commiscunt coquendas, teruntque. Hæc autem ex multis collegimus, quæ etiã in maiori usu his nostris temporibus esse solent, quæque pro præsentis nostri instituto putauimus posse esse satis, & tanquam exempla aliorum multorum quæ confici possunt. nã in hac tractatione plus fortasse, quam par esset

effet videmur esse vagati . Suppurato autem  
 abscessu, duplex deinde reliqua est eius curan-  
 di ratio , altera quidem qua abscessus aperia-  
 tur, vel sponte sicuti quando pus sibi ipsi viam  
 facit erodens cutim superpositam & quasi e-  
 rumpens, quod accidere sepe solet quando in  
 externis & summis partibus statim cuti subie-  
 ctis attollitur inflammatio, raro autem quan-  
 do in alto suboritur. Nam & plerunque mate-  
 ria calidior & tenuior solet ascendere ad ex-  
 ternas partes versus cutē, crassior verò in pro-  
 fundum potius decumbere . Vnde in empla-  
 stris maturantibus abscessus, quando profun-  
 diores sunt, solent medici vt facilius fiat aper-  
 tio, vel vt diximus sponte sua , vel per incisio-  
 nem, vel per medicamenta, quæ ruptoria vul-  
 go dicuntur, maturantibus emplastris aliqua  
 commiscere, quæ materias in abscessibus con-  
 tentas attenuent, & è profundo versus cutem  
 attrahant, addunt verò plerunque fermentū,  
 quod magis attrahit , quò fuerit verustius.  
 In hac autem curationis ratione , vt morbi  
 ratio mutatur ( nam inflammatio in vlcus  
 apertum transit ) ita etiam curatio: curandus  
 etenim postea nonus is affectus , quo modo  
 vlcera sunt curanda, de quibus copiosè etiam  
 oratione superi<sup>9</sup> tractatio fuit instituta & hæc  
 curationis ratione plerūq; aut fortasse etiã sem-  
 per medici, qui nostris his temporibus chirurgi

gi nuncupantur, sequi solent. raro enim non procurant ut pure confecto aperiatur abscessus. Altera vero curandi istiusmodi abscessus ratio magis Galeno decimotertio methodi probari videtur. nempe ne statim ad abscessum aperiendum accurramus. Sed potius, ut quantum fieri potest experiamur, si medicamentis attenuantibus digerentibusque, & è profundo attrahentibus discuti possit latens pus citra incisionem, vel aliam aliquam aperiionem. Nam, facilius & minori cum molestia in hunc modum succedet curatio. Voluit tamen & in usu horum medicamentorum medicum esse prudentem & cautum, considerata nempe prius diligenter natura ipsius affectus, quia si adhuc sint aliquæ in eo loco inflammationis reliquæ à fortioribus & acrioribus discutientibus omnino erit illi abstinendum, ut potius quæ sint potius affectum irritatura, quam pus discussura: si autem nihil inflammationis sit reliquum amplius, materiaque subsit durior & ineptior, tunc apta & opportuna erunt valentiora & aciora medicamenta: sed horum mentionem faciemus, ubi de durioribus tumoribus sermo erit instituendus. At vero cum ea est puris copia, ut potius vincat vim medicamentorum digerentium, quam quod ab eis vincatur, tum ad aperiionem, ut incisionem vel vitionem ferro vel medicamentis

mentis erit accedendū Sed de his satis, tranſ-  
eamus nunc ad curationem aliorum tumo-  
rum per medicamenta curandorum.

*De aptis medicamentis ad ignem ſacrum re-  
cte curandum.*

Caput XXI.

**T**umor qui eryſipelas à Græcis dicitur,  
ignis ſacer à Latinis præferim à Pli-  
nio nuncupabatur, quæ nuncupatio à  
multo incendio quod percipitur eſt deprom-  
pta, ſicuti Græcis à rubedine quæ vicinas par-  
tes corripit. Eſt autem bilioſus tumor atque à  
materia bilioſa, nam à ſola bile, aut à ſangu-  
guine tenuiſſimo & efferueſcenti, atq; ita ad  
naturam flauæ bilis accedenti, aut à ſanguine  
cū copioſiori flaua bile mixto, excitatur. Cū  
enim bilis ſincera copioſè fluens, ad cutim la-  
bitur (nam ſolius cutis ſunt hi affectus) & illa  
naturali ſit aliquantiſper craſſior, non tamen  
admodum acris, aut ſanguis tenuiſſimus &  
feruens, ſit exquisitum eryſipelas, quod citra  
conſpicuum cutis tumorem ſit. Si verò bilis  
acrior admodum fuerit, ſummam cuticulam  
(epidermida vocant) ſerpendo excoriat vlce-  
ratque, & herpes propriè affectus dicitur, ſed  
ſi acrior adhuc ſit, & craſſior, non modò cuti-  
culam, ſed & profundius cutem ipſam, uſque



ad subiectam carnem exedit, herpesque effio-  
 menos hoc est exedens dicitur, herpes vero  
 quia prioribus relictis ad alias partes serpat.  
 Prior verò herpetis differentia, miliaris dici-  
 tur, propterea quia efflorescant quædam ve-  
 luti vesiculæ similes granis milij. Fieri autem  
 hunc affectum dixit Galenus in lib. de tumo-  
 ribus præter naturam, & 14. methodi cap. de-  
 cimo sexto, vel ab exquisita & tenui bile, vel  
 potius ex ea prompta cum tenui ichore pitui-  
 toso, at cum sit mixta fluxio ex bile & sangui-  
 ne præsertim tenui & calido, erysipelas dice-  
 tur. Nam rarò contingit vt testatur Galen. in  
 lib. de diff. morb. cap. 12. quòd fluant humores  
 in aliquam partem omnino sinceri & alijs im-  
 permixti. Cum verò inflammatio ex sangui-  
 ne non vitiato ortum habeat, vel ex eius parte  
 crassiori, ideo in maiorem tumorem particu-  
 lam attollit. ita vt profundior in carne sit tu-  
 mor, qui est si cutim possit attingere, præser-  
 tim tamen carnem cutim subiectam apprehē-  
 dit. erysipelas verò cum ex tenuissimo humo-  
 re sanguineo, vel bilioso ortum habeat, in pri-  
 mis curi hæret, parum autem vel nihil carnis  
 subiectæ corripit, immo exquisita dicuntur e-  
 rysipelata vel herpes, cum non descendunt  
 ultra cutim. Nam cum descendunt, crassior  
 est humor aliquis intermixtus. Vnde sicut mix-  
 ta est fluxio, ita mixta est natura affectus. Si  
 enim

enim sanguis non ille tenuissimus . qui cum  
bile conformis est, sed crassior ex quo fieri so-  
leat inflammationes, erit affectio composita  
& mixta ex erysipelate & inflammatione , &  
pro varia ratione mixturæ, ita nunc magis in  
inflammationem, aliàs in erysipelas vergit, &  
ita appellabitur aut erysipelas phlegmono-  
sum, aut phlegmone erysipelatosum. & quo ma-  
gis ad naturam erysipelatis accedet eò minus  
cutim in tumorem attollet, & quo magis ad  
inflammationis naturam inclinabit, longè ma-  
iorem tumorem faciet. Quia verò biliolus est  
affectus, ideo rubet quidem, sed rubor in fla-  
uitiem degenerat in erysipelate: in inflamma-  
tione verò obscurior est rubor, serè in puni-  
ceum vergens. Et quia erysipelas ex tenuissi-  
ma fluxione fit, ideo cum digitis locus affe-  
ctus premitur, rubor delitescere videtur, &  
paulò post iterum redire: in inflammatione  
autem non item. Sed & illud prætermitten-  
dum minimè est, quòd in inflammatione do-  
lor maior est, & maior distentio & compres-  
sio, utpote qui à crassiori humore oriatur, in  
erysipelate maior calor, neque ita cum pulsu  
est erysipelas, ut inflammatio. Quemad-  
modum autem refert Galenus tertio libro  
in tertium epidemiorum commentario pri-  
mo, aliquando erysipelas satis facilis est mor-  
bus citra ullam malignitatem & periculum:

modò in ratione curandi non committatur er-  
 ror, aliquando verò malignus & pestilens affe-  
 ctus est, quæ quidem diuersitas à ratione & e-  
 natura materiæ confluentis ad affectum lo-  
 cum in primis occasionem habet. Nam etsi  
 in tumoribus, præsertim verò calidioribus,  
 materia vnde illi excitantur inclusa & incul-  
 cata in ipso loco affecto, interdicitur distillatione  
 aliquam, vt paulò antè dicebamus, contrahat  
 putredinem, vnde & acrior & calidior etiam  
 euadit. Interdum tamen & antequam deflue-  
 ret & reciperetur in affecta particula, putrem  
 aliquam qualitatem vel naturam secum affert,  
 quam etiam ob rem vt malignior, acrior atq;  
 deterior est, ita maligniorem reddit affectum.  
 Hoc etiam nos idem Galenus docuit nono  
 de vsu particularum capite primo. vbi ait,  
 quòd cum excrementa diutius intercepta ex-  
 cretione retinentur, computrescunt, & acriora  
 deterioraque fiunt, à quibus pro diuersa  
 eorum naturam & ratione, cum ab expultrice fa-  
 cultate aliquò pelluntur, diuersos concitant  
 prauos affectus, vt sunt herpes, erysipelata,  
 carunculi, cancri, & id genus quàm plura al-  
 lia. Vnde tertio libro in tertium epidem. com-  
 mentario 9. hoc longe clarius exposuit, vbi ait  
 erysipelas à biliosa fluxione oriri, quæ si talis  
 sit, qualis naturaliter gignitur, nullum ferè da-  
 mnum, si modò rectè tractetur, solet afferre  
 Interdum

Interdum verò malignior ea bilis ex putredine, quæ erodens est, & putrefaciens, quod in pestilentibus quibusdam tempestatibus solet accidere, quando multa regnat humiditas aerisque tranquillitas, cum aer nullis perflatur ventis. Cui incommodo illi plerunq; fiunt obnoxij, qui sua sponte solent plurimam bilem generare, aut qui eam victus rationem sequuntur, quæ generandæ bili magis apta est. Male verò cum illis agi solet, vt 7. aph. 52. testatur Hippocr. in quibus erysipelas prius quidem extrorsum erumpere videtur, mox verò introrsum conuersum delitescit. Contra verò bene res succedit, si ab interioribus extrorsum conuertatur. Malum etiam est erysipelas, vt idem 7. aph. ait, quod vbi os detectum est superuenit. Malum item si in putredinem & suppurationem vertatur. Verum non est hoc primum nostrum institutum, vt de his exquisite differamus, sed solum quatenus nobis ad expositionem rationis eorum medicamentorum possit satisfacere, quæ idonea nobis ad curanda erysipelata possint satis esse. Si quis ea rectè pependerit, quæ hæcenus exposita fuere; facile poterit percipere, non vnam ac simplicem indicationem, sed plures & diuersas esse illi necessarias, qui rectè curare voluerit erysipelata, & in illis curandis apta & accommodata eligere & componere medi-

camenta, illisq; apposite vti . Quæ tamen multiplicitas & diuersitas à varijs differentijs, quibus distincta est erysipelatum ratio, vel à diuersis ac varijs conditionibus & circumstantijs, quæ in erysipelate sunt animaduertendæ quæ varias etiam habent indicationes, ortum habet. Nam quædam cum cæteris tumoribus communia habet quædam cum inflammatione duntaxat. Præterea interdum ab aliqua manifesta, vel procatartica causa ortum, vel occasionem habet. Interdum verò à nulla tali occasione habet, sed vniuersam originem suam ab interna & antecedente causa ducit, spõ reque oritur. Item quandoque simplex & exquisitum est erysipelas solumque ferè cutim afficit: nonnunquam verò mixtum secundum naturam est, & est inflammationis, aut œdematis, aut scirrhi particeps, quatenus non est simplex biliosa fluxio sed mixta. Item aut est cum vlcere sicuti herpes est, aut citra vlcus, vt exquisitum erysipilas. Præterea verò interdum cum malignitate est, nonnunquam, imò sæpius, citra illam. Sicuti ergo diuersa est erysipelatum ratio, ita requirit diuersam curatio nem diuersorumq; medicamentorum vsum. Sed negotium hoc magis particulatim, & ex methodo tamen tractemus, & primum tanquam fundamentum ponamus erysipelas ortum habere ex fluxione biliosa, vnde quatenus

aus ad eius curationem pertinet, subiectum erit communi & generali methodo eorum omnium affectuum, qui à fluxione excitantur. statim ergo examinandum erit, an eiusmodi fluxio, vnde concitatum est erysipelas desierit iam, vt quicquid fluxurum erat iam fluxerit, an verò fluat adhuc humor increfcatur & adhuc foueatur affectus. Nam si iam constitit fluxio, nec alicunde foueatur: sicuti sæpe in illis solet accidere, quæ ab aliqua manifesta, & procatarctica causa habuere occasionem, non autem multa cacochymia seu copia vitiosorum humorum congesta sit, vel vniuerso corpore, vel in aliquo interno viscere, simplex erit & facilior curatio, qua duntaxat affectui ipso tollendo per indicationes illas duntaxat, quas nobis offert ratio & natura affectus, de qua paulo post sumus sermonem habituri. Sin verò occasionem habuerit internam à multa biliosi humoris copia congesta in vniuerso corpore, aut in aliquo interno viscere, procedatque vltcrius fluxio, à qua fouetur & augeatur affectus, non erit omnino tutum curare erysipelas: præsertim verò inter initia propria & priuata ratione curandi erysipelata, nempe per refrigerantia & repellentia, ne introrsum conuertatur erysipelas, & ad aliquam præcipuam particulam recurrat: quod maximè cauendum, si malignitatis particeps

videatur affectus, vt in pestilentibus constitutionibus. Sed erit opus procurare prius, vt fomentum illud subtrahatur, & vniuersi corporis ratio habeatur, vel illius visceris in quo consistit fluxionis & fomenti occasio, quod non nisi vacuatione erit agendum, & siquidem fluxio omnino biliosa fuerit, non erit, ait Gal. 13. meth. 2. ad Glauco. opus missione sanguinis, sed potius purgatione per ea medicamenta, quæ bilem detrahunt, si multa fuerit copia fluentis humoris, & vires & ætas eam vacuandi rationem ferre possint, alioquin autem acrioribus clysterijs res poterit transigi. Nam subtracto fomento & remotis causis finiendi, poterit institui curatio quæ priuarim accommodata est erysipelati, accepta à proprijs indicationibus & scopis qui particulatim à propria natura & essentia ipsius affectus erunt depromendi. De quibus nunquam genus sequuti antiquorum medicorum decreta, præsertim verò Hippocratis & Galeni. Erysipelas itaque cum in tumorum genere sit, exciteturque à materia biliosa tenui quidem quatenus ad substantiam, feruida verò & plurimum calida, quatenus ad qualitates pertinet, cruciet verò longè magis calore & feruore quàm corpore vel copia: neque enim vt idem Galen. lib. 14. meth. cap. 2. & 3. ait, tanta sit dilatatio, vel etiam cōpressio, vel grauitas in

in parte, sicut in inflammatione, maius ta-  
 men incendium & maior seruor in vtri-  
 que est, & plenitudo affectæ particulæ, ex in-  
 farctâ materia quæ fluxit iam, & calor vehe-  
 mens. Vnde primi scopi insurgunt euacuan-  
 dam esse materiam replentē locum, quia pro-  
 pria eorum curatio quæ à replente humore  
 concitantur, est illius euacuatio. Præterea ve-  
 rò & alter scopus est, quod sit etiam refrigerā-  
 dum propter molestitiam ex ardore. Et hi qui-  
 dem scopi, tam inflammationi, quàm erysipe-  
 lati communes sunt, nisi quod hæc intercedit  
 differentia, quod inflāmatio non tantū ex in-  
 signi calore dolorē affert, sed adeo etiā magis  
 & distentione & cōpressionē à multa & crassi-  
 ori materia inculcata & infarctâ: erysipelas ve-  
 rò, nullū nisi à calore & feruore modestiā af-  
 fert, quia non excitatur à crassa, sed à tenui po-  
 tius & leui, verū feruenti materia. Vnde vt 13.  
 meth. refert Gal. in inflāmatōne indicatio va-  
 cuationis, si cum erysipelate cōferatur, vincit  
 refrigerationis indicationē: contrā verò in ery-  
 sipelate, indicatio refrigerationis vincit eam,  
 quæ est vacuationis. Refrigerantibus ergo me-  
 dicamentis præsertim verò inter initia cura-  
 da sunt erysipelata, vt extinguatur fluētis ma-  
 teriæ feruor, ille enim est qui præsertim cruci-  
 at. & aliquārisper in crassetur, vt fluxioni ine-  
 ptior reddatur. Refrigerendum autem est ad



mutationem vsque coloris. Cum enim iam liuere locus affectus incepisse visus fuerit, atque adeo etiam magis si nigrescere incipiat, à refrigeratione desinendum, quia iam desinit esse erysipelas, & in alium affectum degenerat, & proinde etiam neque eo tempore exquisiti erysipelatis curationem requirit. Sed antequam hoc negotium magis particulatim tractemus, illud in memoriam reuocandum erit, quod paulò ante fuit expositum, nempe diuersam esse erysipelatum rationem, quia & exquisitum est erysipelas, & non exquisitum: & aliud cum vlcere est, quod ad naturam herpetis accedit, aliud circa vlcus, & siquidem exquisitum fuerit & citra vlcus, quæcunq; refrigerantia loco affecto particulatim apposita feruorem possunt extinguere, siue actu frigida fuerint, siue potestate apta erunt. Medicamenta istius generis sunt solanum, semperuiuum, portulaca, umbilicus ueneris, pulicaria herba, seu psyllium, altercus seu hyoscyamus, lactuca, iuribus, palustris lenticula. Sed & acetum multa aqua mixtum actu frigidum aspersum, vel ex madido linteo vel spògia appositum, ceratum item ex frigida aqua, sæpius refrigeratum. Nam hoc illis omnibus commune est, quæ actuali frigore præsertim agunt, vt frequentius sicut incalescunt, immutentur aut refrigerentur. Potuissimus autem &

autem & aliorum multorum meminisse, quæ refrigerandis erysipelatis essent idonea, nam & folia papaueris, mandragoræ, & multa alia, verùm longiores, quam proposuerimus videremur, hæc enim tanquam exempla proposita sunt, reliqua verò ex Galen. Paul. Aetio, & alijs, qui de materia medicinali scripsere, quorum monumenta omnibus in promptu sunt, colligi possunt. Sin autem erysipelas cum ulcere sit, utpote quod potius ad herpetis naturam accedit, immò herpes iam est, refrigerantibus etiamnum erit agendum, sed de hoc paulò post agemus. Erit ergo refrigerantibus tractanda curatio erysipelatis, quod sine ulcere est. Attamen ubique Galenus, ubi de hac re sermonem habuit, videtur, si sit erysipelas à procatartica & manifesta causa excitatum, ubi nulla sit suspicio, quòd fomentum habeat ab interna & antecedente causa, audacter ad refrigerantia statim accedere: sed ubi spontè, & ab interna causa ortum habeat, suspectam omnino habere hanc curandi rationem, neque ideo ut quisquam temerè aggrediatur, audet consulere, ne fitixio repulsa ab his medicamentis recurrat interius ad aliquod viscus maioris momenti. Sed potius monet, ut prior curatio atque maior illius pars conuertatur ad vacationem uniuersi corporis, ut detracta bile, fluxio inter-

cipiatur, & erysipelati subtrahatur fomen-  
 tum. Cui sententiæ innixus, cum sæpius  
 præfuerim curationi erysipelatum, rarissi-  
 me tamen imò nunquam, dum mihi res vni-  
 uersa stetit, ausus sum curare per hæc externa  
 refrigerantia, quia timebam ne impediretur  
 exitus vel expulsio morbosæ materiæ, quam  
 à natura intenta expurgationi & expiratio-  
 ni sanguinis, & custodiæ internorum visce-  
 rum, ad cutem & externas partes ab internis  
 visceribus excrementis propulsis moliri so-  
 let, neque animaduerti nunquam aliquod ac-  
 cidisse incommodum ipsis ægrotantibus,  
 præterquam quòd interdum aliquantisper  
 longior euadebat curatio, sed securior: cum  
 tamen sæpe viderim multos, quibus adhibi-  
 ta fuit curatio per hæc refrigerantia, maxi-  
 ma etiam vitæ subijisse pericula. Nam neque  
 videre possum quid mali impendat, quando  
 natura validè expellit, si expellere solumus,  
 & interim interius & victus ratione, & me-  
 dicamentis, vt sunt syrapi, vel decocta, iecur,  
 sanguinem & corpus vniuersum refrigere-  
 mus, neque id solum seruari, si exquisitum  
 esset erysipelas, sed etiam si inflammationis  
 particeps, in quo quidem longè promptior  
 vt etiam consuluit Galenus, in mittendo san-  
 guinem eram, & de his quidem hæctenus. V-  
 bi verò medicus vtitur curandi ratione per  
 frigi-

frigida medicamenta, & cœperit mutari color, & iam liuere inceperit locus, non solum extinctus est calor, sed transmutatus est affectus in aliud genus, & materia degenerabit in frigidum humorem, vt proximè ad naturam scirrhi accedat: immò nisi ratio medicamentorum mutetur, iam nigrescente & indurescente loco, erit scirrhus. Quare vbi ardor inclinat, ait Galenus, non erit amplius frigore aduentitio opus, nêpe vt frigida aqua, aut niue refrigerentur medicamenta, immò & à succis herbisq̃ue valde frigidis erit temperandum, sed moderatioribus vtendum. Quin etiam magis adhuc inclinante affectu, ad vsum seminis lini & chamæmelini transeundum: immo ad diachalciteos appellati emplastri, non ex rosaceo liquati, sed potius ex oleo per se. Et præsertim hæc curandi ratio obseruanda, quando non exquisitum fuerit erysipelas, sed quod sit inflammationis particeps, in quo statim etiam à principio congruerat vus istius emplastri diachalciteos, verùm liquati ex rosaceo & refrigerati ex alijs refrigerantibus medicamentis, vtpote si in mortario contundatur affuso succo solani aut psyllij, aut succo acerbæ vuæ expresso, ex ea simul cum portulaca, aut semperiuo contuso. Nam vuæ acerbæ succus per se adhibitus, non esset idoneum medicamentum, vt quod supra

quam in præsentia opus esset astringat. ex portulaca autem, sola difficilis est succi expressio. At & in hoc non simplici affectu magis animaduertendum & procurandum ne ubi inclinare cœperit, in scirrhum verratur, quamuis neque in exquisito hoc negligendum sit. immò 14. methodi Galenus capite quarto, vt hoc incommodum effugeret, statim vt ardor remittatur, opportunum fore vsum ait cataplasmatibus facti ex hordeacea farina, de quo superius fuit habitus sermo, anteaquam liuere locus incipiat. Quod si iam liuere cœperit, etiam prius præcidendam scalpello cutim esse consultit, moxque cataplasma imponendum, atque sæpius fouendum locum aqua calida, ne materia induretur, sed facilius attenuari & digeri possit, & interdum ad maiorem exiccationem & digestionem aqua marina, vel salsa, & aliquando si cataplasma ex aqua marina addito aceto & hordeacea farina conficeretur optimum esset medicamentum. De herpete verò non est cur multa dicamus, cum iam in vlcerebus sit, sicuti & erysipelata quando aut suppurantur, vel exulceratur. Sed nobis satis erit, si tantum generales quasdam summas exposuerimus. In vniuersum ergo eadem est ratio curationis istorum affectuum, præsertim inter initia, quæ & erysipelatum, cum à similibus excitentur  
causis:

causis: vnde in his quoque inter initia corpus inaniendum, aut purgatione si sit exquisitus herpes, aut missione sanguinis, vt fluxio intercipiatur, vel reprimatur. Quandoque vero si multus sit sanguis in vniuerso corpore, vel ex vitioso sanguine affato ortum herpes habuerit, non erit etiam ab re sanguinem mittere. Et quatenus ad externa & localia pertinet, cum calida & quasi feruens sit fluxio, indicat validè esse refrigerandum, & non minus quàm in erysipelate: præterquam quod nõ eadem ratio medicamentorum vtriusque accommodari recte potest, quia aliquid in herpete est, quod diuersam habet indicationem: Nam vlcus est, quod & ipsum à calida intemperie suam seorsum indicationem habet. Vlcera enim exiccantibus medicamentis sunt curanda, vnde neque portulaca, neq; lactuca, neque folanum, neq; semperuiuum, ueq; aliud quidpiam quod refrigeret & humectat aptum erit medicamentum. Nam quamuis folanum non sit expers alicuius siccitatis, non tamen illa tanta est, vt possit esse satis, sicut palustris lenticula, neq; psyllium neq; seris: Sed illa erunt apta his curandis, quæ refrigerant & desiccant, quemadmodum plantago, folia & germina rubi, aut canini rubi, aut capreoli vitis & cum vltterius res progreditur, & lens, infusum venire poterit ait Galenus cataplasma

ex hordeacea farina & melle, sed hæc expositio & aptior esset illi capiti, vbi de exedentibus vlceribus erat instituta tractatio, vnde hic consistemus, & ad aliam differentiam tumorum calidorum transibimus.

*De tuberculis, furunculo, bubone, phlegtho, & carbunculo.*

Cap. XXII.

**A**D genus calidorum tumorum referendi illi sunt, qui *φύματα* à Græcis dicuntur, Celsus verò tubercula nuncupavit, quiq; *διδυμῶς* quos furūculos idem appellat, Arabes verò *aldemenus*: bubones quoq; item & *αἰδέγκες*, quæ panos latinè putavit Celsus dicenda esse, carbunculiq; quos *φυέθρα*, Græci, prunam & ignem persicum vocavit Auicen. imò verò in commune inflammationum genus hæc deducenda sunt, quæ omnia sunt veluti soboles calidæ fluxionis, quæ occasionem habet à vitiosis succis plerunq; ex mala victus ratione in corpore congestis, præcipuè verò à vitioso sanguine. Differunt autem vel ratione loci in quo constitit fluxio, vel ratione naturæ fluentis humoris. Nam bubones quidem vt Gal. tum 13. meth. tum verò lib. artis ad Glauc. inflammationes illæ dicuntur, quæ in adenis seu glandulosis exoriantur partibus, in inguinib. præcipuè, sed & sub  
alis

alis & secundum aures, loca hæc iuniores, nostri emunctoria nuncuparunt, utpote quæ ea sint, in quæ membra præcipua, vel interna viscera, quasi emungant, hoc est excernant, ex aliqua interna, vel externa occasione in eis congesta excrementa. Nam capitis quidem excrementa à cerebro plerunque solent post aures relegari, à corde verò & pulmonibus, sub alas, naturalia autem viscera ad inguina impellunt, quamuis sæpe & ab vniuerso corpore propulsa materia ad has partes, hæc glandulæ in tumorem confurgunt, utpote quæ aptiores sint ad admittenda id genus excrementa, cum & imbecilliores & laxiores à natura factæ sint. Vnde harum partium inflammationes duplicem habent generationis modum, quandoque enim ex labore vel dolore in artubus, ut ex insueta & laboriosa equitatione solent concitari bubones in inguinibus, & quandoque si quis ex aliquo dolore sit factus claudus & claudicando cogatur ambulare: præterea verò in scabie, dum copiosa materia expulsa ad crura vel brachia versus cutim, ex qua papulæ efflorescunt, interdum sub alis, nonnunquam in inguinibus, repletis in transitu glandulis illis, fiunt bubones, & in vlceribus, quibus infantes excerci solent, quæ faui appellantur, solent hac eadem ratione partes post aures intumescere. Sed in vlceribus, in ma



nibus cruribus: præsertim si fuerint prope aliquod magnum vas, nempe venam vel arteriam, vt & Gal. 13. meth. tradidit, citissimè at tollunt bubones, & sæpe vena quoq; ex ea fluxione calida rubra, teniaq; apparet per totum illud membrum, quæ si præmatur, etiâ dolet, & qui ex aliqua simili causa manifesta excitatur bubones, non admodum mali sunt, neq; aliquam malignam præferunt naturam, & pleriq; sine febre saltem inter initia solent exoriri, nisi interdum aliqua excitetur ephemera. Qui verò in febribus, aut vnà cum febre putrida exoriuntur, mali sunt, malignitatis etenim febres solent esse testes, quod animaduertit & Hipp. 4. aph. 55. vbi ait, febres omnes ex bubonibus malas esse, exceptis ephemeris. ait verò Gal. eam ob causam malas has febres esse, quia à viscerum inflammationib. fouentur. Vnde maximè in malignis & pestilentibus febribus solent extuberare inflammationes, hæ quæ vulgò dici solent inguinaræ, & non solum in inguinibus, sed secundum aures & subalis. Et quamuis bubo propriè ex vi vocabuli ad inguina referatur, Gal. tamè omnes harum glandularum inflammationes 2. lib. artis cur. ad Glau. & 13. meth. bubonum communi nuncupatione comprehendisse visus est. Quauis quæ post aures oriuntur proprium nomen sint sortitæ, & parotites dicuntur. in eisdem

eisdem verò glandosis partibus solent oriri, si Gal. credimus, phyma, quod tuberculum appellari diximus & phygethlon, quamuis in 5. de compos. medicament. secundum loca, in facie fieri phymata dixerit, & cætera quæ ad hoc genus pertinent, vt sunt vari, quos *ἰσθῆνας* Græci vocant, & *ἰσθῆνας*, quos furunculos appellauimus. qui quidem tumores ita differunt, quod tuberculi citò generantur, citò crescunt, citò etiam suppurantur, vt secundo ad Glauco. cap. 1. & 3. aph. com. 26. exposuit Galenus, qui phymata, vel tubercula appellantur, & id quia à sânguine calefacto ex bilis mixtura, vt idem 2. aph. commé. 15. ait, ortum habent: vnde rationem habent inflammationis erysipelatosæ, furunculus autem ex sânguine crassiori. Vnde non ita citò, sed tardius crescunt, quamuis tandem suppurentur, tamen & ægrè id faciunt. Differunt præterea duritie & figura. Nam duriores sunt furunculi tuberculis, & magis in acutum attolluntur, cum tubercula sint planiora. Quamuis in furunculorum etiam genere aliqua sit differentia. Nam aliqui sunt, qui ad varorum naturam magis vergunt, vtpote qui & duriores sint ac ad concoctionem difficiliore: alij verò, vt 5. de compositione medicamentor. secundum locos tradidit Galenus, magis ad inflammationis naturam propè accedunt, faciliusque

ad suppurationem deducuntur, atq; nonnunquam non sine febre oriuntur. phygethlon quoq; cum his recenseri potest, parum enim à tuberculo diuersū est, in lib. enim de tumor. præter. naturam cap. 25. ait, quod propè ad naturam inflammationis accedit & ipsum ea ratione, à tuberculis euarians, quod est illis adhuc calidius, & ortum celeriozem habet: vnde videtur ferè erysipelatosam esse inflammationem. Celsus autem ait esse tumorem latum non altum in quo est aliquid pustulæ satis simile, non nullos autem putasse ait Galen. phygethla tantum in inguinibus exoriri, carbō enim, vel etiam carbunculus, qui ἀθήρα à Græcis dicitur, & ipse in inflammationū genus potest referri, à feruescente enim sanguine crassiori, vt tum primo ad Glau. tum verò in lib. de tumor. præter. nat. ait Galenus ortum habet. quamuis ille inter differentias potius vlcus, quandoque retulerit carbunculos, & possunt sanè in vtrumq; genus referri. Nam inter initia inflammatio est carbunculus, quæ à feruenti humore exusta cuti & subiecta carne citò in crustosum vlcus degenerat. Est autem duplex, vt eodem loco exposuit Galenus, carbunculorum modus vel differentia. altera quidem, quæ oritur à calido sanguine, & satis crasso, qui confertim in aliquam partem decumbens, eam exurens crustosum, vt paulò

paulò ante dicebamus ,excitat vlcus,circumstantes que partes in inflammationem plurimum calidam cum vehementi admodum dolore attollit. Altera itidem à fluxione sanguinis nigri,crassi, feculenti, feruidique ortum habet,verùm cui tenuis quidam ichor cõmixtus est, à quo bullæ quædam vel pustulæ similes illis excitantur, quæ in ambustis ab igne fiunt, quib. ruptis succedit crustosum vlcus. Modum verò, quo oritur is carbunculus, idem decimoquarto methodi ita descripsit: primũ pruritu quodam locus tentatur, postea verò pustula aliqua subcrescit, etiam dum à pruritu ferè coactus homo locum scalpit, papulæ plures granis milij similes suboriuntur, quæ deinde suppuratæ rumpuntur, quibus subinde inducitur crusta. Vnde frequentius quidẽ crustæ in carbunculis oriuntur: non tamen semper. Nam in Asia, ait ipse, interdum geniti sunt carbunculi pestilentes, qui statim citra aliquem pustularum ortum cutem excoriabant, quia verò multa est in hoc modo exustio, ideo crusta interdum cinerulentum, interdum atrum colorem refert, quia etiam potius à feruente sanguine crasso & alicuius exustionis particepsiunt, non à bilioso: ideo licet summam cutem colore vitiet, tamen non eum habet colorem, qui erysipelas referat, sed potius inflammationem, nempe subnigrum

vt si plurimo rubro parum nigri esset immixtum, vt quasi liuere videatur, cum quodam tamen splendore, vt & bitumen habet aut pix. Nam bilis atra ad cuius naturã is ferè humor accedit, eum habet colorem, vnde etiam malignitatem carbunculi acceptam referunt. Nam aut ab initio statim atrabilarius est, aut paulò post à nimio feruore exustus talis euadit sanguis à quo carbunculi excitantur: inde etiam fit vt maximam & acutissimam, sicuti ait Galenus 6. de compositione medicamentorum secundum genera cap. 15. febrem adducant, & cù manifesto vitæ discrimine, vt pote quia ortum à vitiosa malignaque materia habuerint. pessimi verò & maximè perniciosi illi sunt, quibus natiuæ suæ malitiæ, alia etiam aduentitia è cœli mala qualitate accedit, quemadmodum in pestilentijs solet accidere. Huic enim attestatur experiëntia, & astipulatur Galenus 3. commen. in 3. epid. aphor. 50. Quod autem in alijs fecimus, in his quoq; quorum hæcenus meminimus faciendum putamus, nempe vt anteaquam particulatim rationem compositionis & vsus medicamentorum ad hos affectus curandos exponamus, primum aliqua in vniuersum explanemus, vnde sint deinde indicationes depromendæ, quæ nobis ostendant scopos in vniuersa curatione spectandos. Hæc verò duo sunt, alterum quod ad natu.

naturam affectus pertinet, alterum ad naturam loci affecti. Primum itaque quia omnes hi tumores vt sæpius diximus, ortum habent à vitioso humore fluente ad locum affectum, & illum replente, essent omnes curandi per illius loci vacationem. Sed quia res non semper eodem modo se habet, nam interdum, quando curationem medicus aggreditur, vniuersam vitiosam superuacaneamque materiam, quæ potest negotium faceßere, vt Gal. 2. aph. com. 15. docuit, iam ad affectas partes natura amandauit. Interdum verò, licet pars defluerit, scætet tamen adhuc corpus vniuersum superuacaneis vitiosisque succis. docuit verò Hippocrates quam ratione discerni possit, expurgatumne corpus an verò sit immundum, & refertum malis humoribus. & ait obseruandas esse deiectiones alui, quia si biliosæ fuerint, ostendunt corpus impurum esse. sin autem similes sanis naturam demonstrant per eiusmodi tubercula excrementa exquisitè expurgasse. Et quamuis de tuberculis duntaxat habere sermonem videatur, eadem tamen est & reliquorum ratio. Vnde eadem erit horum tumorum curandorum methodus, quatenus ad generalem rationem pertinet, quæ & aliorum paulò ante expositorum est, nempe vacatio vitiosi vel superuacui succi, à quo particula in tumore attollitur, & quia id cõmode neqt

fieri manente fluxione, necesse est prius fluxionem reprimere & sistere, & id vel per sectionem venæ, vel aliam vacuandi rationem, quæ ut sæpius fuit expositum, vim reuellendi habeat, & fluxionis causam de medio tollere, de quibus in præsentia non est cur agamus, cum ad institutum præfens non faciat, quod versatur circa externa & localia remedia: vnde eò conuertamus nostrum sermonem. Et quamuis hoc sit tanquam commune theorema, quod defluxorijis morbis solet accommodari, nempe quod inter initia sit repellendum: interdum tamen in istiusmodi affectibus aliquæ adiunctæ sunt indicationes, vel à natura fluentis humoris, vel à natura loci ad quem fluit, depromptæ, quæ vim maiorem habent, quam communis & generalis. Indicationes verò hæc, etsi à varijs rebus occasionem suam habeant, nos tamen duarum tantum in præsentia, ut quæ magis huic loco attineant mentionem faciemus. Prima autem est natura humoris vnde tumor est excitatus: altera verò natura loci affecti. Nam si maligna fuerit natura fluentis humoris, pestilensque & venenosa, ut solet euenire in febribus, vel constitutionibus malignis & pestilentibus, non modo non est repellendum in initio, ut potius attrahendum sit fluens excrementum, ne repulsum, interius recurrat ad interna viscera. Altera verò est

rò est natura particulæ ad quam tendit fluxio. Nam quæ adenes à Græcis dictæ sunt, glandulosæ verò carnes à nostris, ea de causa imbecilles fuere à natura creatæ, vt excrementa amandata ab internis visceribus facile possent admittere, vnde in his quidem quando cum febre putrida fuerint, omnes conueniunt nullo pacto esse repellentib. vtendum: quia, vt ex Hippocratis sententia paulò ante diximus, hæc solent euenire in morbis malignis à mala materia excitatis. Vnde mala materia, quam natura nititur procul ab internis & præcipuis visceribus exterius propellere, non est repellenda & reflectenda interius, sed statim ab initio digerentibus, vel etiam maturantibus. res agenda est, & potius procurandum, vt recipiatur ibi, quàm recurrat interius fluxio. Qualia autem sint digerentia, vel maturantia medicamenta, non est nunc cur exponamus, cum priori capite fuerint exposita. Et ab hac ratione etiam non esse alienos bubones illos puto, qui post vlcera cariosa in pene contracta ex congressu venereo, solent in inguinibus exoriri, & sunt manifesta signa contractæ illius luis, quam nos Gallicam appellamus. quos nequaquam esse repellendos censerem, ne recurrens malignus succus, qui à naturalibus visceribus eò propellebatur, illa longè magis afficiat, aut ad articulos conuersus dolores ve



hementes concitet, aut ad aliam aliquam partem, ut fauces vel facies sunt, molesta, turpia, sæpissimè etiam maligna adducat ulcera. Unde longè melius cum illis agi in his morbis videmus quotidie, in quibus suppurati sunt bubones, ac aperti diutius seruati, per ea etenim ulcera, si multa effluat vitiosa materia, per illam partem expiatis ab istis malignis excrementis naturalibus visceribus, non ita altas radices figit hæc lues. Quare in his præstat prius probè expurgato corpore, maturantia, & pus mouentia experiri, vel saltem digerentibus rem aggredi, quando ille, qui infectus est, nequaquam vult suppurationi acquiescere, à repellentibus autem omnino abstinendum. At verò si tumores communes sint, qui has glandulosas partes corripunt citra naturam aliquam malignâ, & citra febrem, ut qui solent oriri quando vlcus aliquod fuerit prope insigne aliquod vas, præsertim si dolorosû fuerit, vel si ex labore aliquo, vel dolore ortû habuerint, sicuti in his qui claudicare coguntur, aut qui non admodum assueti equitationi equo non sanè commodo vehuntur, vel ob similem aliquam occasionem bubones contrahunt. videntur prisca medici non omnino inter se in ratione eos curandi concordés esse Galenus enim 13. meth. cap. 5. nulla repellentium facta mentione, nisi corpus plenum, aut

scatens

leatens vitiosis fuerit succis, nam statim à corporis procuratione essent sumenda initia curationis, consulit primum illis esse agendum, quæ possunt dolorem sedare, cum inde præstita sit inflammationi occasio. Præcipit ergo vniuersum membrum dolens calefacientibus & humectantibus medicamentis esse fouendum. atque adeo etiam glandulam illam, quæ inflammatione tentari cœpit. Vnde instituit, vt hapsò lanæ ex oleo calido madefacto membrum vniuersum inuoluatur, lanaque itidem prius oleo calido demersa foueatur. post principium autem, cum & tumor membri cœperit subsidere, & dolor mitescere, adijci aliquid salis voluit ad digestionē fluxæ materiæ. Interim verò vlcus & ipsum curandum medicamentis, quæ exiccant quidem, sed vim etiam concoquendi habeant, & maturandi cum leui aliqua attritione quanta satis sit roborandæ particulæ. Quare laudat medicamentum id quod Tetrapharmacum appellatur, si rosaceo fuerit dissolutū, ex linamento aut appositum: vel illud etiā quod Macedonicū nuncupatur, eodē modo paratū. vt tamen supra illud medicamentū addatur cataplasma ex farina hordei vel tritici, vel vtriusq; commixtis aqua q; & exiguo oleo, deferuescente aut inflammatione, sensim à mitigantibus medicamentis ad digerētia trāseundū. Vnde & oleo quo & inflāmatiō &

vniuersum membrum fouebatur aliquantulum sal erit addendum, mitigatorio autem cataplasmati nonnihil mellis erit immiscendū, & triticea farina detrahenda, relicta sola hordeacea, semperque plus mellis addendum, atque semper ad digerentia magis transeundū Sed quatenus ad rationem vsus pertinet, hoc addit Galenus quod in curandis bubonibus, præsertim si fuerint dolorosi, utemur medicamentis mollibus & teneris, qualia sunt quæ emmota à Græcis medicis dicebantur, quibus per linimenta uti solemus, quia ab illis, quæ duriora sunt, qualia quæ antiqui emplastra nuncupabant, læduntur irritanturque denuo inflammationes. ex quibus satis apparet, Galenum alia omnino putasse repellentia à ratione curandi inflammationes glandosarum partium. Paulus tamen suæ medicinæ libro cui videtur subscripsisse Auicenna cap. de alroy. qui & propterea non caruit reprehensione, quia ratione curationis, quam Paulus simplici buboni, qui à manifesta causa ut ab ulcere, vel ab aliquo dolore habet occasionem, accommodauit, ipse ad bubonem pestilentem & malignum transtulit. Sensere ergo hi bubones esse repellentibus inter initia curandos, sicuti & reliquas inflammationes, mihi que magis ratio Galeni probatur, & videtur tutior, neque de medicamentis, quæ his tum moribus

moribus curandis accommodata sunt, longior  
 rem fermonem habebimus; quia alioquin ea-  
 d m sunt, quibus & aliæ inflammationes cu-  
 rari solent per digestionem, aut suppuratione-  
 nem. Quare iam sermo conuertendus est ad  
 rationem medicamentorum exponendam,  
 quibus apte carbunculi curari possint, quo-  
 rum generalem methodum 14. methodi ca-  
 pite decimo Galenus nobis descriptum reli-  
 quit. Et cum non vnam & simplicem naturam  
 habeat carbunculus, nam vel statim à princi-  
 pio, vt paulò ante dicebamus, & si inflamma-  
 tio inceperit, degenerat tamen in crustosum  
 vlcus, & valde malignum, vicinæ verò & cir-  
 cunstantes vlceri partes inflammatione & il-  
 la feruentissima tentantur, vt ferè exuratur in  
 eâ sanguis. Vnde & rubor quo suffusæ sunt  
 cum liuore est. Quamuis Auicenna maligni-  
 tatem maiorem, vel minorem in carbunculis  
 ex colore discreuerit. Ait enim, si statim ru-  
 beat carbunculus, moxque in luteum ferè co-  
 lorem degeneret, minoris malitiæ erit: sin au-  
 tem liuescat & nigrescat exquisitus erit carbun-  
 culus, & longe malignior, nam in priori affa-  
 tur quidem sanguis, nondum tamen in atram-  
 bilem vertitur, sed potius naturam adhuc fla-  
 uæ bilis retinet: in altero iam vertitur in atram-  
 bilem deterrimum humorem. Cum itaque ex  
 humore facto crassiori per assationem fiant

carbunculi, & eo omnino vitioso & malo, id-  
eò omnes in hoc consensere, à repellentibus  
abstinendum esse, & id duplici de causa: pri-  
mum quia humor præ sua crassitie minimè  
repellentibus cedit, vnde nihil proficies: præ-  
terea si etiam esses profecturus, ratione mali-  
gnitatis non est attentanda repulsio. nam non  
poterit malus humor repulsus non afferre ma-  
iorem labem recurrens ad interna viscera.

Quare in primis inter initia curationis, cum  
semper ferè adiunctam habeat febrem, & eam  
etiam plerunque malam, necessaria erit pri-  
mum procuratio vniuersi corporis, etsi in ali-  
quo morbo opus videatur esse missione san-  
guinis, si nihil quidem adsit, quod illi possit  
obitare, in hoc maximè necessaria est, nec mo-  
do illa opus est, sed & liberalissima & copiosis-  
sima: ita vt vsque ad animi deliquium detrahi  
sanguinem Galenus consuluerit. extremis en-  
nim morbis opportuna sunt extrema reme-  
dia, & sicubi locum habet sententia Galeni:  
aph. com. 23. descripta, vbi ait, nullum se in fe-  
bre ardentissima, in maxima inflammatione,  
& in vehementissimo dolore reperisse magis  
præsentaneum remedium, quàm sit sangui-  
nis detractio ad animi vsque deliquium. In  
hoc maximè affectu, si vires id patientur, lo-  
cum habet, cum & maxima sit inflammatio;  
& maxima febris, & vehemens dolor: sed &  
hæc

hæc quasi *πάρεργα* dimittamus in præsentia;  
 & particulatim de illis loquamur remedijs;  
 quæ topica possunt communi quadam ratio-  
 ne appellari. Non modo autem Galenus de-  
 testatur vsum eorum, quæ repellunt, vtpote  
 quæ præter repulsionem constipent astringē-  
 do & refrigerando humorem crassum in eo  
 loco impactum, vt potius affectam partē præ-  
 cidendam consuluerit multis incisionib. ad-  
 ducto scalpello profundius, & id propter cras-  
 sitiem humoris, vt euacuata eius parte aliqua  
 reliquam facilius diffleret & possit melius à  
 natura administrari. Sed quia nō simplici na-  
 tura constat is morbus, sed multiplici & com-  
 posita, ideo neque vna est & simplex ratio me-  
 dicamentorum, quæ requiruntur ad curatio-  
 nem. Compositus enim est affectus ex vlcere,  
 & eo quidem maligno admodum, multam re-  
 ferens ex putredine malignitatem, & præte-  
 rea ex circumstantium partium inflammatio-  
 ne, & ea valde maligna. Vnde Galenus & ab  
 hoc eodem affectu aliena omnino esse putat  
 ea quæ puri mouendo sunt, aut vim conco-  
 quendi habent, vtpote quæ putredinem fo-  
 uere, & augere possint, cum potius omnino  
 sit procurandum, vt arceatur, aut tollatur pu-  
 tredo. Et quamuis posteriores Galeno, vt  
 Paulus & Auicenna aliqua medicamenta ad  
 carbunculos maturandos & aperiendos de-

scripserint, sicuti est hoc. conficitur enim cataplasma ex ficibus fermento que & sale. alij verò conficiunt cataplasma ex vitellis ouorum & sale. alij verò ex melle, triticea farina & sale & ouorum vitellis. In his tamen duo consideranda sunt, vnum quod ad naturam morbi pertinet, aliud verò ad naturam ipsius medicamenti. Ad naturam morbi hoc attinet, quod non est par in omnibus carbunculis ratio malignitatis. Nam cum ex assatione sanguinis confluentis ad excitandum carbunculum accidat vniuersa malignitas in hoc affectu, exustus enim conuertitur in atram bilem pessimum sane humorem. Assationis verò non est par ratio in omnibus, quod & colores ostendunt, nam crusta quæ tandem carbunculo inducitur aliquando aliquantulum ad flauum vergit, interdum cineritium colorem refert. interdum verò omnino atrum & lucens perinde vt bitumen. ita & circumstantes partes quæ inflammatione tentantur & rubent, interdum rubedinem habent cum quadam flauitie, interdum intermixta nigritie perinde, ac si aliquid nigri atramenti multo rubro esset intermixtum. Vnde pro varia ratione & veluti mensura malignitatis quam præ se fert affectus, ita varia etiam medicamentorum ratione tractandus est locus affectus. Nam si exquisitus sit carbunculus, et nigricans, neque speranda neque

da neq; tentanda est suppuratio, quia potius corruptio & putrefactio sequutura est, quam maturatio vel suppuratio, quod præsertim respexit Galenus. sed illis medicamentis potius erit agendum, quæ apta sunt putredini & depascentibus vlceribus curandis: sin autem nõ tanta videatur assatio inualuisse tantaq; malignitas, quin maturatio sit desperanda, eã tentare prædictis, vel alijs istis similibus medicamentis, possumus. Deinde verò & natura medicamenti quo sumus vsuri diligenter & ipsa est consideranda. Nam cum omnino carbunculi omnes sunt maligni, & nullus, cum ex asfato sanguine ortum habeat, malignitatis est expers: possumus quidem in prima differētia carbunculorum maturantibus & suppurantibus vti, cum in ea non sit tanta malignitas, neque tanta perucacia. Verùm quia neque ipsa est expers insignis malignitatis, & prona vt per corruptionem & putredinem ad maiorem malignitatem perueniat, aliam suppurantium vel maturantium medicamentorum rationem desiderat. Vnde si primum quod descripsimus medicamentum velimus examinare, quod fit ex caricis fermento & sale, non minorem vim habet digerendi, nihil enim nõ digerit in eo, sed & vim ex fermento attrahendi habet, & aliquam quidem concoquendi, maiorem tamen digerendi & aliquam desic-



candi ex sale, præsertim verò humiditatem extraneam, quæ mater, vt est in proverbio, putrefactionis est. Vnde maximè à putrefactione illæsas res seruare solet, maior autem vis concoquendi & pus mouendi est in caricis: alia verò, tum digerendi causa vitiosos superuacuos humores cõfluentes ad affectum locum ne putrefactionem illius partis foueant: alia vt prohibeant vltèrius putredinem progredi: alia vt malignas materias foras attrahant, apponuntur. Eadem ferè ratione & alterum cõfectum est è triticea farina, melle & sale. triticea enim farina maturat, & pus mouere potest: mel digerit & siccatur, à putredineque tuetur: luteum oui maturat & ipsum concoquitque & dolorem lenit. facilius est & simplicius eodem tamen spectat, quod ex vitellis ouorũ fit & sale. Vnde omnes tandem secus in curandis carbunculis ac alijs tumoribus suppurationem & maturationem eorum procurant. Cum verò multa & exquisita malignitas apparet, quæ ex liuido, aut nigro colore, multo feruore & vehemèti dolore cognoscenda est, omnes in hoc Galenũ sequuntur, qui acerbis, & valentissimè exiccantibus medicamentis curationem aggrediuntur, eisdem nempe, quibus curari diximus vlcera putrida & depascentia: ita vt ad illa fiat interdum accessus, quæ vrendi & crustam, perinde vt ignis, inducèdi vim habent

habent. Vnde & Andronis pastilli, & Passionis, & Polyidæ ab omnibus tanquam aptissima huic negotio medicamenta referuntur, si diluti & triti ex vino dulci, vel sapa, si careamus dulci vino, ad sordium crassitudinem interdum, vt secundo ad Glauconem monet Galenus, succo plantaginis, si vehemens admodum fuerit inflammatio, & linamentis excepta vlceri apponantur. In presentia, vt & superius diximus, Andronis pastilli parantur passim à seplasiarijs. Nostri autem chirurgi in frequentiori vsu habent vnguentum quod Ægyptiacum appellari diximus. Interdum tamen adeo sæuit vis morbi, vt cogantur vrentibus vti medicamentis, quæ caustica, vel cauteria dicuntur, vt quæ ex atramento sutorio, vel ex chalcitide, vel misy, vel id genus alijs, vel eo quod capitellum vulgo appellant: satis facile & lene medicamentum id est, quod præcipitatum dicitur. Quandoq; verò adeo sæuit malum, vt candenti ferro sit necesselocum inurare, & ita demoliri vniuersam morbi malignitatem. Sunt qui symphytum, consolidam maiorem nostri appellat, miris in hac re laudibus effert, si inter duos lapides teratur, & postea tanquam cataplasma carbunculo apponatur. giunt enim mirificè intra diem vnum carbunculum quasi interfectum sanare, vt nulla deinde alia sit opus curatione, præter illâ quam

cætera requirunt vlcera. alij etiam mira de scabiōsa narrant. aiunt enim quod commanducata, vel pota ex vino internos tumores ad exteriora protufos discutit. Sed ad Galenum redeamus: ipse quinto de compositione medicamentorum secundum genera capite 15, consuluit, vt superaddamus carbunculis cataplasma factum ex erui farina & oxymelite, quod cataplasma omnibus putrescentibus vlceribus perquàm commodum est. Paulus verò eui & Auicenna subscripsit, plurimum ad carbunculos radicitus diuellendos & dirimendos ab adiacentibus partibus laudauit cataplasma factum ex malo punico: verùm hîc aliquid quantisper consistendum est, & nonnulla eorum sunt in memoriam reuocanda, quæ prius fuere exposita. Diximus autem neque suppurantia neque repellentia Galeno probari, priora quidem propter putredinem, hæc autem ne recurrens malignus humor maius negotium internis visceribus facessat. & sicut primum præceptum nonnulli posteriores moderari, vt paulò antea ostendimus, voluere, ita Galenus in hoc altero noluit rem ita ad viuum refecari, vt putemus non esse aliquantisper refrenandum impetum maligni humoris fluentis: immo moderandam esse fluxionem dummodo id fiat his medicamentis, quæ modestè quidem, non adeq̃

valenter tamen repellant, quæque coniunctam vim discutiendi habeant. Nam dum non ita præceps fertur in aliquam particulam mala fluxio, dumque vi medicamenti aliqua pars discutitur, facilius deinde reliquum à natura administratur. Vnde tum 14. meth. tum verò 5. de compositione medicamentorum secundum gen. iniungit, vt cataplasmata non quidem vlceratis partibus (nam diximus iam qualia vlceratæ partes requirunt,) sed circumpositis partibus imponantur, quæ pariter refrigerare repellereque, sed modeste, possint, non minus autem digerere: eiusmodi verò cataplasmata sunt, quæ ex plantagine, vel ex lente cocta, addita medulla panis triticei ex clybano cocti, confecti ex farina non multum à fursuribus purgata, qui que non multum fermenti acceperit, vt si accipiamus medullæ panis, foliorum plantaginis, vel lenticulæ coctorum singulorum tantundem, coquantur simul, terantur, & fiat cataplasma. Auicenna & gallas addidit, & medicamentum hoc passim appellatur emplastrum de arnoglossa. Sed & monet idem Auicen. cataplasma partibus circumstantibus illiniendum, simile illis, quæ defensiva vnguenta à iunioribus diximus appellari, quale esset illud quod ab ipso describitur, & fit ex armena bolo, oleo rosaceo myrtinoque & aceto mixtis, quod qui-

dem insigniter refrigerare potest & astringere, parum autem digerere. Nonnulli quidem credunt Auicennæ scopum in his esse, obstare, quo minus materia vitiosa, quæ defluxit ad affectum locum, recurrat intrò. Sed hoc mihi videtur omnino esse à ratione alienum, quia ad eius repulsionem magis faciunt, quàm quòd obstant. Auicenna verò satis aperte exponit qui fuerit eius scopus. nimirum defendere vicinas & circūiacentes partes, ne ad eas vlcus & putredo serpat. mihi verò si his esset vtendum, magis Gal. cataplasmata probarentur. nimia enim vis repellendi in hoc Auicennæ medicamento videtur. & non caret periculo in his repulsio insignis, præter id quod modicam & ferè nullam vim digerentem habet. Paulus verò cui & Auicenna subscripsit, plurimum ad carbunculos diuellendos & dirimendos ab adiectis partibus laudauit cataplasma ex malo punico acido prius minutatim conciso, moxque ex aceto donec incaluerit excocto, deindeque triti & leuigati, si linteo exceptum carbunculo apponatur, & vbi ficescat aceto iterum humectetur. Idem verò Paulus item & Auicen. quod tamen ex Dioscoride descriptum est, laudant interiorem iuglandis nucleum ad maturandos & rumpendos carbunculos, præsertim si sit vetus: quantum sit etiam vtilis vsus non veteris. Dioscorid. verò

verò consulit vt commanducata carbunculis imponatur. Sed de his satis abundè sumus: ad alios tumores frigidiores orationem transferamus.

*De curandis frigidis tumoribus, primumq; de tumore molli, laxoq; qui œdema à Grecis dictus est.*

Caput XXIII.

**O**Edema generale nomen erat Hippocratis tempestate, quod sicuti testatur Galen. tum alibi, tum vel maximè 4. lib. commentariorum in sextum epid. com. 1. significabat omnes, qui præter naturam in corpore humano extuberabant tumores. posteriores verò generale hoc vocabulum, ad vanam diffinitam tumorum differentiam limitarunt, qui frigidi laxique & molles sunt, & à pituitoso succo ortum habent, non tamen à quocunque. Sed ab humido tenui & ferè flatulento. Nam cum duplex sit pituita, si eius differentias à ratione substantiæ spectemus: altera enim crassa & lenta, & ab hac duriores tumores, qui scirrhi dicuntur, solent excitari. altera verò tenuis humidaque & flatulenta, & hæc est vnde fiunt œdemata. Possunt autem istiusmodi laxi tumores in omnibus partibus attolli, in habitu vniuersi corporis: præsertim

verò in manibus pedibusque, brachijs & cruribus, utpote quæ à fonte caloris sint remotiora, & præterea magis exanguia. Et cum cachexia, vel malo corporis habitui sit familiaris eiusmodi tumor, plerunque ille in pedibus & circa crura, deinde in manibus, mox et in facie sub oculis solet apparere. rarissimè autem, vel etiam nunquam, si vera est Galeni sententia, quam 4. de præfaga. ex puls. cap. 4. literis prodidit, in iocinore vel intra thoracem oriri potest. Ratio verò quam istius rei ipse affert, est quod thoracis substantia compactior est, quàm ut possit pituitam admittere: iecur verò præter id, quod ex densiori sanguine cōcretum est, habet etiam ingenitam facultatem qua potenter possit pituitam transmutare, præsertim tenuem, nam crassa & lenta non ita facilè transmutatur. Vnde non est iecur ita à scirrhis, sicut ab œdemate tutum. Quo loco nō possumus id præterire (licet mihi hæc obiter dicere) quod hinc potest depromi validū argumentum contra illos, qui naturalem pituitam in ventriculo generari aiunt, & id ex Galeni sententia. Nam si propterea, aut omnino nequit œdema in iecinore oriri, quia vim habet insitam, ut possit pituitam transmutare, & nequeat pituita in ventriculo genita digeri per venas in habitum corporis ad alendas particulas, sicut & sanguis et alij humores  
alunt,

alunt, nisi periecur transeat, in quo cum sit in  
sita vis ipsam transmutandi in sanguinem,  
quo modo fieri poterit, quod in sanguinem  
antequam pertranseat, vertatur: sed de his al-  
liàs. Cognoscitur verò hoc tumorum genus  
hoc præsertim argumento, quòd si prematur  
digitis, locus qui premitur, cedit digitis reli-  
cto digiti quodam quasi vestigio & fouea im-  
pressa in loco qui premebatur. Solent autem,  
vt idem Galen. 2. libr. artis ad Glauc. cap. 3. &  
14. meth. cap. 4. ait, œdemata nonnunquam  
spontè & per se oriri. Interdum verò alijs mor-  
bis succedere, præsertim verò illis, qui labo-  
rantem ad malum corporis habitum deduce-  
re consuevere, quemadmodum aqua intercu-  
tem, tabes, asthmata, & id genus alia. In his  
etenim solent tandem pedes manusque intum-  
escere, sed interdum in locis viceribus cir-  
cumstantibus, solent œdemata attolli. His ita  
expositis non est difficile scopos, & indicatio-  
nes desumere, quæ nobis rationem vsus & cõ-  
fectionis medicamentorum ostendant qui-  
bus sint curanda œdemata. Et primùm qui-  
dem, cùm, vt nuper diximus, illa interdum  
spontaneum ortum habeant, nonnunquam  
verò alios morbos sequantur: quando alijs  
morbis succedunt, non aliam curandi ratio-  
nem requirunt, nisi illam qua curandi sunt  
morbi quos sequuntur, aut saltem alioquin



curari nequeunt, nisi curatis illis. Quamuis aliquantisper interdum, si adeo excrescant, ut nimis molesta sint, reprimi & mitigari non nihil possint. Quando verò spontaneum ortum habent, id imprimis considerandum est, quòd plerunque, si non semper, materia vnde excitantur, non intumescente loco genita est, sed aliunde eò fertur confluitque, & propterea statim duplex insurgit indicatio: altera quidem & prior, ut fluxio istius aquosæ materiæ inhibeatur: altera verò, ut quæ iam confluxit & in tumorem attollit particulam, deficcetur & digeratur. Vnde quatenus ad ea œdemata, quæ alios morbos concomitantur, præsertim verò eos deterrimos, docuit Galenus 14. metho. perfricare tumentem locum aut oxyrrhodino addito sale, aut oleo addito sale: in oxyrrhodino quidem maior aliquanto est repellendi, & refrigerandi facultas, sed & desiccandi, tum ratione salis, tum etiam acetii: digerit verò oleum. In oleo verò & sale vis maior digerendi, non minor exiccandi, & aliqua ex sale astringendi, & subinde repellendi. At verò si sit œdematis spontaneus ortus, vbiq; Galenus dissoluere nititur, partim medicamentis, partim ope manuum, atque etiam repellere prohibereq; fluxionem, his quidem medicamentis, posca primùm, vel ut Græci loquuntur oxycrato. immixto  
nempe

nempe tanto aceto aquæ, quantum immisce-  
retur si bibenda potio, quæ non ingrata esset  
futura, pararetur, refrigerando enim reprime-  
re fluxionem potest: acetum verò desiccet, his  
autem madefacta spongia tumentis loco ap-  
ponenda & alliganda fascia, eo modo quo de-  
ligari solent artus cum fracta sunt ossa: sum-  
pto nempe deligationis initio ab inferiori par-  
te, ubi & strictior fit deligatio, semperque la-  
xior, quo magis ascendit. Oportet autem ut  
spongia noua sit, quæ in alios usus non vene-  
rit, & id quia maiorem seruat siccandi vim,  
tum ex natura sua, tum verò ex ea, quam se-  
cum ex mari attulit. Quod si nulla noua spon-  
gia adsit, oportet veteri vim exiccandi adde-  
re, illam lauando aut lixiuio, aut aqua mari-  
na, aut in qua nitrum, vel aphronitum fue-  
rit inspersum. Medicamenta itaque hæc im-  
primis vim desiccandi habent, aliquam etiam  
astringendi: deligatio verò, dum strictior ab  
infernis partibus, laxior ad superiora fit, re-  
pellit quidem fluxionem, & astringendo non  
parum facit ad expressionem & discussionem  
flatulentæ partis illius pituitæ. sed si valentio-  
ri medicamento videatur esse opus, consulit  
parum quidpiam aluminis addendum esse.  
Quod si diuturnior euaserit affectus & sub-  
inde difficilior, valentioribus medicamen-  
tis rem aggredi oportet dummodo mixtas ha-

beant facultates, tam astringendi cogendiq̄;  
quàm digerendi. & inter alia medicamenta  
huic officio apta Galenus non patum laudat  
suum illud medicamentum, quod diachal-  
citeos appellari diximus, à nostris autem iu-  
nioribus diapalma: cuiusque mentio supe-  
rius à nobis facta est. Inueterascentia autem  
& pertinacia œdemata, vt ipse 2 ad Glaucon.  
testatus est, solis desiccantibus & discutien-  
tibus curare solitus est, spongiam nouam li-  
xiuio madentem apponens, ac subinde deli-  
gans quo modo paulò antè dicebamus, illito  
tamen prius loco oleo, quod valentius reddi-  
tur, vt prius monuimus, sale. Idem ferè præ-  
staret aqua marina & thermarum aquæ; in  
quib. esset vis digerendi, attenuandi & disci-  
tendi, vt sunt nostræ Patavinæ ferè omnes,  
& Porretanæ, Viterbieneses, & quæ Corfenæ  
scaturiunt, Burnensesq̄; apud Reticos mon-  
tes, & id genus omnes aliæ sunt, vt quæ Pate-  
olis habentur. Sed de œdemate hæc satis ef-  
se possunt.

*De medicamentis aptis ad curandos tumo-  
res flatuosos.*

Caput XXIII.

**C**um œdemate, vt antea dicebamus, a-  
liquam affinitatem habet tumores qui  
à flatuoso spiritu excitantur, quos Græ-  
ci ἐμα-

*εισφυσήματα* Latini inflationes appellauerunt. iuniores verò qui Auicena. & Arabes sequuti sunt, apostemata ventosa. Ab œdemate autem differunt, quia illius causa est pituita tenuis & aqua, cum flatu permixta. Inflationes verò à crassiori pituita in flatum crassum conuersa ortum habent, qui postea in aliquo spacio conclusus & comprehensus, locum in tumorem attollit. Vnde eiusmodi tumor comprimētibz digitis renittitur, vt illis remotis nullum ibi vestigium, nulla fossula, vt in œdemate, relinquatur. Solent autem eiusmodi ventosi tumores attolli in locis prius contusis, & duplicem modum habent. Interdum enim flatus contentus est in aliquo ampliori spacio, quod densiori aliqua membrana, vel cuti conegitur, nisi enim densior sit particula, flatum nequit continere, vnde vel statim sub cute attolluntur id genus inflationes, vel circa articulos, nempe sub membranisz quæ periostia dicuntur, quibus obducta sunt ossa, vel illis quæ perinde sunt, vt tunicæ musculorum, aut in articulorum spacijs. In ipsis quoq; internis visceribus, sub eorum membranisz, in spacio item ventriculi. Præterea verò in eo spacio, quo naturalia viscera, intestina nempe ventriculusq; & id genus alia concluduntur. præterea & in scroto sæpe comprehenso flatulento spiritu vidi excitatas inflationes. In-

terdum verò, dispersus est flatus per angustos meatus, atq; subinde per substantiam membri. Vnde aliquos nonnunquam videmus præsertim in artubus similes illis excitatos tumores, qui œdemata primo aspectu videbantur, dum tamen locus digitis premebatur, nullū sub digitis relinquebatur vestigium, aut in œdemate, quia solus ibi erat flatulētus spiritus. Quando autem in ampliori spacio contentus est spiritus, si locus percutiatur, sonitum perinde vt tympanum, quod percutitur, reddere solet. Id verò clarius percipitur, cum ventriculus, aut spaciū inferioris ventris intra abdomen inflantur. Solet autem id genus tumoris circa artus imprimis excitari, cum ex plaga & contusione fuerint malè affecti: præsertim autem, vt Auicenna monuit, circa genua. Nam & supra patelam genu, & circa ipsum articulum insignes hos tumores flatuosos sæpe elatos vidi, quandoque etiam in contusionibus & plagis capitis obseruaui excitatos similes tumores, qui deceptere, vel eos etiam chirurgos, qui non erant obscuri nominis. Quo loco & id maximè est animaduertendum, quod & Auicenna videtur insinuare, & eius etiam expositores monent. Illud autem est, quod tumores hi ventosi aliquando dum vtraque manu tractantur & præmuntur alternatim inuriant, vt quasi fluctuare interius materia perinde

inde videatur, vt pus in suppuratis abscessibus quando maturuere. Vnde sæpe non aduertentis chirurgi ad naturam horum tumorum, ac putantes esse suppuratum abscessum, ad incisionem deuenere, cum ingenti suo dedecore, & non paruo incommodo ægrotantium, inciso enim loco, nihil præter flatum exiit, & vlcus deinde satis molestum successit. Ego dum Venetijs facerem medicinam, sæpe id contigisse vidi. Quandoque enim accersitus ad consulendum cuidam nobili puero, qui acceperat ictum ex allisione capitis ad parietem, dum fugeret præceptoris flagellum, cuius rei cum nulla esset cura habita, lotum de more eodem die illi fuit caput, & ad solem exiccatum, & dum tractaretur caput & secundum contusum locum doleret, aspicientes familiares deprehendere in tumorem insignem elatam cutem capitis, accersunt autem chirurgum, qui tumorem tractans, & ipsum mollem reperiens, in quo percipiebat quandam veluti inundationem, statimque putauit ex contusione excitatum fuisse fluxionem humorum, ac subinde tumorem præter naturam excreuisse, qui deinde suppuratus fuerit in abscessum conuersus, volebatque ad actum cultello locum rescindere vt pus excerneretur. Ego verò rem diligenter existimans, cum animaduertissem nulla fuisse relata symptoma-

ta quæ indicarent puris generationem sicut par erat in insigni eo tumore, si fuisset suppuratus, obstiti quo minus fieret incisio, & vfi emplastris attenuantibus & discutientib. flatum crassiozem, curauimus affectum. Alias etiam acerfitus vt viderē mulierem senem et religiosam, quæ ex casu & contusione vulnus in capite acceperat, cui in loco vicino vulneri in syncipite excreuerat similis tumor, cumq; chirurgus omni nixu instaret, vt incideretur, putabat enim inflammationem ex affluxu humorum excitatam ad suppurationem fuisse conuersam, quem vix ab incisione potui continere, continui tamen, & vsus emplastris discutientibus, quamuis aliquantisper difficilē se ad discussionem exhibuerit primūm tumor, paulò post tamen cessit, statimque ferē vbi aliquantulum valentioribus medicamentis fuimus vsi, euannit tumor, moxq; aptis remedijs & vlcus fuit curatum. Hæc volumus ascribere, vt iuniores cautiorez fierent in his, nam nos hæc non consummatiz scribimus. Sed iam ad rationē curationis horum tumorum orationem conuertamus. Cum ergo hi tumores tum ob dēsitatem partis in qua continetur status, excitentur, tum verò à crassitie ipsius flatus, ab hac imprimis petendæ sunt indicationes, scopos nobis ostendentes, quos ad compositionem medicamentorum, quib.

fit

fit flatus in tumore comprehensus facile discutiedus, spectare oportet. Nam hic etiam prima indicatio est vacuationis indicatio, nempe ut flatus, quo repleta particula tumet, vacuetur, neque in hoc ulterius alioquin, cum res sit clarissima, immorabimur: sed scopos quos spectare oportet particularim in illius materiae vacuatione, inuestigabimus, ut ex methodo hac rem tractemus. In his autem duo sunt consideranda, primum quæ sit causa cur intumuerit locus præ flatu, ut ea ablata detumescat, deinde verò, quia, ut diximus, plerunque sequuntur hi tumores plagam & contusionem acceptam in articulis, vel musculis, vel membranis, quæ particulae sunt insigni etiam sensu interdum præditæ: unde quandoque his tumoribus solent dolores assidere, qui possunt excitata humorum fluxione, esse in causa cur succedunt inflammationes: quibus & prospicere medicum oportebit, qui curationi horum tumorum præfuturus est. Sed de causis primum agamus, neque tamen tempus contremus in exponenda communi causa generationis flatuum, quæ est calor factus imbecillior, quam ut materiam possit omnino superare et rarefactum digerere, sed rarefacit quidem & in crassam flatulentamque exhalationem convertit. Verum de illis dicamus, quæ id præstant, ut flatus detineatur in vno loco, ne inde efflu



ens ad exitum permeet, harum enim causarum cognitio ad instituendam rationem istius curationis non parum proderit. Vnde duplex est huiusce rei causa: altera crassitudo exhalationis, altera densitudo particulæ, in qua exhalatio inclusa est, quæ si quis recte animaduertit, facile cognoscet duos statim inde scopos emergere, nempe quod & attenuanda sit ea flatuosa materia, & quod locus in quo comprehensa continetur, sit rarior reddendus. hæc autem præstare possunt illa, quæ calida sunt, cum tenuitate partium. calefacientia ergo medicamenta, & extenuantia huic negotio erunt accommodata, nec hoc loco in his exponendis diutius immorabimur, quæ toties fuere explanata: nempe ad statum vniuersi corporis anteaquam particulatim hæc medicamenta localia tractentur semper esse respiciendum. Nam si plenum sit eorum, & multis vel vitiosis scatens humoribus, qui fomentum possint laboranti loco subministrare, necessarium erit prius aggredi vniuersi corporis procurationem, si feliciter sit curatio successura. Sed cum hæc non pertineant ad præsens institutum, redeamus vnde diuertimus, sed hoc posito, quod ea sint accommodata medicamenta his scopis, quæ calida sunt & partium tenuium: hæc siquidem & particulam laxare rarioremque reddere possunt, & præ-

& præterea flatum extenuatum discutere. Et quia horum copiosa est sylua, de aliquibus, utpote quæ tanquam magis præcipua & præcis, & his nostris temporibus semper in maiori usu fuere, agemus. Inflationi itaque ventris præsertim inferioris tanquam accommodata medicamenta à Paulo Auicennaque proposita sunt olea, quæ sint calida cum partium tenuitate, qualia sunt chamæmelinû, anethinum, rutaceum, quibus si inferbuerint semina ea quæ discussoria facultate polleat, ut sunt semina apij, fœniculi, anisi, caros, amij, cumini, & id genus multa alia, efficacius erit medicamentum: posset pari ratione imponi aliquid piperis, vel cinamomi, vel alterius cuiuscunq; aromatis, & radices, ut iridis: præterea & lachrymæ, ut opoponax, ammoniacum, castorium: ex herbis verò pulegium, calamentum, hyssopum & sexcenta alia istius naturæ. Meminere autem illi iidem & cucurbitulæ maioris sine vlla cutis præcisione, quæ ex copiosiori igne affigatur loco. Quod remediû tanquam efficacissimum ab antiquis medicis semper est habitû, ad euellendos è profundis partibus & discutiendos crassiores flatus. Eiusmodi verò flatulentos tumores, qui circa articulos & in mēbranis musculos & ossa contentis, solent attolli, præsertim verò vbi plaga & contusio præcesserit, quandâ curationis ratio

nem habent ab hac non nihil euariantem, præcipue verò, si eorum sit comes dolor. vbi enim dolor ex contusis musculis fit concitatus, mitigandus erit in primis: ne inde excitata fluxio accersat inflammationem: erit ergo princeps scopus doloris mitigatio, quæ medicamenta requirit, in quibus sit mixta facultas ex concoquente digerenteq; & modicè astringente. nam si astrictionis sint omnia expertia, facile in causa erunt, ait Galen. cur incitentur vel augeantur inflammationes, maxime verò si corpus, vel etiam bonis succis sit refertum; vnde quo maior fuerit dolor, eò magis erit mitigantibus opus. Laudat autem inter initia Galenus, si paretur medicamentum ex sapa & vino, vt exempli causa, si sapa & vini singulorum vncias sex acceperimus, illis autem aceti vnciam addiderimus, & olei dulcis & maturi vncias quatuor, quæ optima mixta & tepesacta ex lana non lota, quam vulgò succidam vocant, excepta loco tumentis sunt imponenda. Vinum verò oportet vt austerrum sit ratione astrictionis, vt per ipsum fiat repulsio, & aliqua digestio, quibus etiam ytrisq; facultatibus præditum est acetum. Concoquunt autem sapa & oleum, quamuis non nihil digerant & laxent. Vbi verò dolor mitescat, paulatim his ea commiscenda sunt, quæ maiore vim discutiendi habeant: lixiuium ne  
pe &

pe & acetū, & quò magis recesserit indicatio ab ipso dolore, eò magis de còcoquētib. & mitigantibus detrahemus. Plus verò digerentibus & discutiētibus addemus: vt solo vtamur lixiuo & aceto, cum nulla erit mitigandi doloris ratio, quamuis donec fluxio timenda est nunquam à vini austeri mixtura sit continendum. Huc etiam spectare possunt, thermæ naturales, præsertim quæ sulphureæ nitrosæq; sunt & bituminosæ. Præterea verò & estuaria illa, vel foueæ calidiores, quæ in his locis, vbi thermæ sunt, reperiuntur, à quibus fumus calidus effertur, vbi maxima vis discutiendi & desiccandi, sed & falsæ aquæ, vel marinæ immixto aceto insignem in his vim discutiendi habere possunt, Hic autem consistendum est, quatenus ad hoc tumorum genus pertinere possunt, & ad aliud genus transeundum frigidorum quidem tumorum: duriorum autem vtpote quia à lenta & crassâ pituita indurata, vel ab humore melancholico ortum habent.

*De scirrhis exquisitis & non exquisitis per  
medicamenta curandis.*

*Caput XXV.*

**S** Cirrhum Græci durum tumorem excitatum à crasso succo, siue illa crassa & lenta sit pituita, siue melancholicus succus, qui

veluti fex sanguinis est , & naturalis melancholia à iunioribus solita est appellari, aut exstriusque miscella. est autem tumor is sine rubore, caloreque atque sine dolore, quibus inditijs ab inflammatione discernitur, interdū verò & sine vlllo etiam sensu est. Nam duæ horum tumorum differentia reperuntur. alteram quidem scirrhum exquisitum appellauere medici, quoniam talis dicitur, cum eo progressa est res, vt penitus sit expers cuiuscunq; sensus: ille autem qui adhuc aliquem sensum obtinet, licet non admodum insignem illum habeat, non exquisitus scirrhus dici solet. aliqui scirrhum non exquisitum appellant illū, qui ab humore melancholico ortum habet, exquisitum verò à pituita crassa. Galenus tamen has differentias non distinxit nisi penes vim sentiendi seruatam, aut ablatam. Inter scirrhos autem, qui à crassiori pituita, qui que à melancholico humore ortum habent, hanc Galenus differentiam posuisse videtur, quòd qui ab humore melancholico fiunt, affinitatē multam cum cancro habent, & in eum tantā propensioem, vt tandem si diuturniores fiāt, sicut in libro de atrabile cap. quarto, & decimo quarto methodi capite decimonono ait, in cancrum desinant, vnde & cancrum esse hunc scirrhum 5. de facul. sim. med. cap. 9. idē autumauit. Sed de differētia inter scirrhum

&amp;

& cancrum sequenti capite sermonem instruemus. in præsentia verò hoc in primis advertendum, cuius idem 2. lib. ad Glauconem capite 4. & septimo de compositione medicamentorum secundum genera cap. 9. meminit quod duplex est ortus scirrhi. Nam interdum statim ab initio dum incipit scirrhus est, ut pote qui fiat ex fluxione frigida & crassa pituito savel melancholica, & ab eadem etiam paulatim incrementum suscipiat: interdum verò fit ex alio tumore, sicut ex inflammatione mutata in scirrhum, præcipuè verò si excitata sit inflammatio à crassiori & lenta fluxione. Si enim medicus ad eius digestionem nimis calefacientibus & siccantibus utatur medicamentis, tenuiores partes discutiuntur, crassiores verò indurantur, ita interdum & erysipelata in scirrhos transeunt ex immodico usu refrigerantium & astringentium medicamentorum. in crassantur enim & concrescunt atque subinde indurantur. Sæpius autem in solidioribus particulis scirrhi, ut Galenus quarto de præfagitione ex pulsibus testatur, suboriri solent, quàm in mollibus, unde rarò cerebrum, aut pulmones occupant scirrhi. Exquisiti autem scirrhi, qui omnino sensus sunt exptes, nullâ omnino curationem admittunt, quæ verò non exquisiti sunt, curari quædam, non tamè si Gal. credimus, facile possunt.

Curantur verò qui curationis sunt capaces ea curationis ratione, quæ communis est tumoribus omnib. imo si velimus exquisitius loqui, omnibus morbis qui ortum aut fomentum habent ab aliqua materia. In his etenim omnibus vnus est communis scopus, quem decimotertio methodi & decimoquarto Galenus exposuit. nempe illius materię vacuatio, à qua & fomentum, & quod sit, habet affectus. Ex plenitudine namque factos morbos vacuatio sanat. verùm quia multiplex est vacuandi ratio, alia quidem communis, quæ in primis vniuersum corp<sup>9</sup> respicit, sicut illa est quam missione sanguinis, aut purgantibus medicamentis moliri solent medici, interdum verò sudoribus, exercitatione, balneis, frictionibus: altera autem, quæ particulatim loco affecto solet accommodari per digerentia, nempe quæ attenuant & calefaciunt, subindeque discutiunt & dissipant materiam in affecta particula absorptam, moliuntur: & quamuis vtraque interdum vacuandi ratio curandis scirrhis sit opportuna, præsertim verò inter initia, prior tamen ad præsens nostrum institutum nequaquam pertinet, vbi de externis medicamentis instituta est tractatio. Vnde de his solùm in præsentia sermonem sumus habituri, quæ digerendo vacuant, quæque calefaciunt & siccant. . . Particulatim ergo in hos scopos

scopus huius curationis ratio resoluitur: nisi quod duo præterea videntur his esse addenda, vnum quod initium, alterum verò reliquum tempus omnino respicit. Et primum quidem accipiendum est à communi ratione affectuum, qui à fluxione fiunt, nempe quod inter initia dum viget fluxio, repellentibus ea sit inhibenda, quia tamen repellentia, tum refrigerando, tum astringendo suo funguntur officio, refrigerantia autem & astringentia cōdensant impinguntque materiam, vt deinde difficilius ad digestionem reddatur. ideo si opportunus videatur horum vsus illis vtendum est, quæ modicè refrigerent vel astringant. Sed etiam quantum ad alterum pertinet, cautum oportet esse medicum in vsu digerentiū, nam calefaciunt & deficcant: quæ verò vehementer tum calefaciunt, tum deficcant, non sunt apta ad digerendos & subinde curandos scirrhus. Nam quæ valde calefaciunt, vehementer etiam & confertim digerunt. vnde confertim digestis partib. quæ aptiores ad digestionem sunt, licet videantur qui ita agunt plurimum profecisse, cum tumor videatur eorum ope factus minor, reliquæ tamen partes destituta à tenuioribus & mollioribus, adeo rescantur & indurescunt, vt deinde digeri amplius nequeant, vtpote quæ perinde, vt lapis induruerint: sed etiā quæ vehementer defic-



328 DE COMP. MEDIC.

cant, vt quinto de facultat. simplicium medicamentorum docemur, nimis exsiccando, idē suapte sanē natura præstare possunt, vnde vt idem paulò inferius docet, ea medicamenta requirunt, quę vel in secundo calefacientium ordine sint, vel saltem tertium non excedant, & hoc quidem rarius: resiccant autem vltra primum, quo ad medicamentorum genus, malagmata à Græcis, vt Galenus 7. de compositione medicamentorum secundum genus restatur, dici consueuere, vel vt eodem 5. de facultatibus simp. medic. malactica. & id à vi molliente, quæ enim calefaciunt mediocri quidem calore, non tamen manifestè siccant aut humectant, ea propriè mollientia dici merentur: habent enim hæc eas vires, vt quasi liquare induratum materiam possint, hæc ergo exquisitè mollientia sunt. Sin autem in calore sint moderata, in siccitatem verò vel humiditatem aliquantisper, sed modicè, nempe nõ extra primum ordinem inclinent, ea etiam in his recenferi possunt, quæ malactica, vel mollientia dici possunt: licet enim omnino non liquent vt priora, fundunt tamen crassiores & duram materiam, quod mediocri calori acceptum referunt. Quibus & id videtur addendum, quod itidem ex quinto de facultatibus simplicium medicamentorum depromendum est: nimirum enim ait, quod medicamenta huius

ta huius generis, quæque molliant, præsertim apta sunt scirrhis curandis, qui ex crassa lentaque materia sunt geniti, quales illi sunt, qui occupant capita musculorum & tendinū. Nam qui ex atrabile ortum habent, pronique sunt ad naturam caneri, à mollientibus medicamentis potius exacerbantur irritanturque. Sed iam de illis particulatim agamus. In his ergo medicamentis, quæ tum molliendo, tum etiam digerendo dissolvere possunt scirrhosos tumores, in primis recensent auctores omnes, tam antiqui quam recēiores, præsertim verò Galenus quinto de facultat. simplicium medicamentorum cap. nono, adipēs animalium medullasque. utpote quæ plus calefacere quam exiccare possint. Vnde earum usus tum digerendo, tum molliendo aptissimus est, sed ut diuersorum animalium sunt tam adipēs quam medullæ, quæ diuersa & differenti admodum natura & temperatura constant: ita necesse est, illas differentes vires habere, quamuis vnæ communi que ratione similes sint, nempe quòd omnes molliunt et digerunt, & quia omnes calefaciunt, & modicè exiccant. aliæ tamen alijs magis minusue hæc officia præstare possunt. Nā ut à valentioribus incipiam⁹, leonis adēps in digerēdo calefaciēdoque alios omnes superat, postea verò pardi & hyenæ, deinde vrsi, postea tauri, quæ asferina

sequitur, illam gallinacea, deinde vitulina, postrema suilla. Capræ verò & longè etiam magis hirci adipēs, vt testatur idem Galen. secundo lib. artis cur. ad Glauconem capite quarto emolliendis durioribus tumoribus, non ita sunt accommodati, vtpote qui crassiores & sicciore sint. Inter ea verò quæ possunt satis validè emollire atque etiam digerere est cerui medulla, deinde verò vituli. Sed neque illud in præsentia prætereundum sub silentio, cuius meminit Galen. primo & septimo de compositione medicamentorum, secundum genera, & quinto de facultatibus simplicium medicamen. cap. nono, quòd tam adipēs, quàm medullæ, quo magis inueterascunt, eò & calidiores euadunt & sicciore, & proinde etiam in digerendo & exiccando fortiores, quò verò recentiores, eò aptiores ad molliendum & mitigandum: præterea verò & adipēs syluestrium animalium acriore sunt, & vim siccandi maiorem habent. In hoc eodem genere, eorum nempe, quæ molliendi & digerendi vim habent, sed maiorem quàm adipēs, sunt ammoniacum, thymiana, stirax, chalbanū, bdelium scythiçū, oleum sicyonium, & fusiuum etiam, nisi sit vetustum, sed & maluæ folia cruda vel cocta, & alteæ radix, item & radix cucumeris agrestis cocta ex oleo vel aqua. In his etiam poni & oppopanax potest, plus tamen digerit

digerit quàm molliat, sicut chalbanum plus molliet et concoquit quàm digerat, thus etiam aliquid emollientis habet & concoquentis, vt & semina foenigræci si ex aqua coquantur, & magis etiam si cum aliquo adipe misceantur. Multa sunt & alia medicamenta simplicia quæ possunt digerere & emollire, nam & laudanum modicè molliet digeritque, & oleum liiaceum nempe ex albis lilijs, caricæ etiã pinguiore, si ex farina triticea conficiantur, aut hordeacea, nisi quòd cum triticea magis concoquunt & molliunt, cum hordeacea verò magis digerunt, quia farina triticea maiorem molliendi, hordeacea maiorem digerendi vim habet. Sunt & alia ferè innumera, quæ ad hoc genus referri possent, quæq; ex Galeno & Dioscoride & alijs medicis colligi possent. Sed hæc in præsentia nobis erunt satis, ne nimis in longum excurrere cogatur præsens sermo. Sed & illud animaduertendum, quòd sicut non omnia hæc relata medicamenta sunt eiusdem ordinis, ita & differens omnino est eorū vt docuit Galenus septimo de compositione medicamentorum, secundum genera capit. 1. ratio, quatenus ad vsum pertinet. differentia verò omnis ex triplici capite sumenda est. Primum ex parte naturæ affectus, quia inter initia dum scirrhus nondum valde induruit, leuioribus & facilioribus, tum mollientibus,

tum digerentib. erit opus, vt dissoluatur: quo  
 verò magis inueterauerit & induruerit, eò ve  
 hementiora & valentiora desiderat remedia.  
 Deinde verò ex parte laborantis corporis,  
 quia corpora duriora & solidiora, vt sunt rusti  
 corum, & qui in puluere & sole degunt, exer  
 centurque fortioribus & acrioribus tractan  
 da sunt medicamentis, molliora verò & deli  
 catoria, mitioribus & lenioribus, qualia sunt  
 mulierum præsertim nobilium, & puerorum  
 eunuchorumq; & eorum tandem qui in um  
 bra & otio & frequentibus balneis vitã tranfi  
 gunt. Tertiò etiam ex parte ipsarum particu  
 larum, quæ à scirrho fuère correptæ. Nam il  
 lis quæ solidiores & duriores sunt, validiori  
 bus medicamentis opus est. mollioribus aut  
 & laxioribus, faciliora & mitiora satis esse pos  
 sunt. Vnde decimo quarto methodi capite 5.  
 & secundo ad Glauconem capite quarto con  
 sultit, vt si quando in tēdonibus aut ligamen  
 tis fuisset contractus scirrhus, illis quæ emol  
 liunt addenda esse ea quæ habent vim inciden  
 di, vt habet acetum, sed vt tamen in eius vsu  
 sit cautus medicus, quia neque sæpius & fre  
 quentius in talibus eo vti oportet, neque diu  
 tius, neque etiam inter initia ipsius tumoris,  
 quia alioquin vis aceti, vt pote, quod tenuio  
 res partes cito absumat, reliquum in lapidē  
 quasi indurat: præterea verò ex immodico e  
 ius

ius vsu nerui læduntur. Vnde tunc maximè  
 utilis est eius administratio, quando præcesse-  
 rit emollitio. Quare vt eorum medicamento-  
 rum, quæ ex aceto parantur, administratio  
 prodest cum emollitio præcesserit, ita etiam  
 post eorum aliquem moderatum vsum debet  
 iterum succedere emollitio, atque ita alterna-  
 tim. Atque hoc in durioribus partibus præser-  
 tim seruandum est, quia in laxioribus particu-  
 lis, vt esset lien redditus scirrhusus, aut in tene-  
 ris & carnosis partibus musculorum, non es-  
 set adeò vsus aceti timendus, tum propter la-  
 xitatem earum, tum verò, quia non ita sit, vt  
 in neruis timendum. Præterea verò & hoc nõ  
 est ignorandum, quantum ad rationem vsus  
 & administrationis eorum remediorum quæ  
 molliunt, & eorum etiam quæ digerunt per-  
 tinet, quod duplex est eius vtendi modus: al-  
 ter qui Galeno longè, vt ipse 2. de Glauca. atte-  
 statur, fuit frequentior & familiarior: alter ve-  
 rò in frequentiori vsu fait alijs medicis. Prior  
 ergo est, vt primum per aliquod tempus solis  
 laxantibus & mollientibus vtamur, quo pa-  
 rator & promprior ad digestionem reddatur  
 materia. postea verò digerentia succedant, at-  
 que ita alternatim & per vices fiat, donèc vni-  
 uersus absumatur scirrhus. modum aut hunc  
 idem exemplo exposuit eodem 2. ad Glauca:  
 pueri, quem ab insigni scirrho contracto in se

more ferè toto ob importunum vsu refrigerantium & astringentium, vt erysipelas curaretur, hac ratione & methodo curauit. Cum enim censuisset non posse tumorem dissolui nisi vi & ope medicamentorum, quæ digerât, quæque calefaciant moderatè cum partium tenuitate & aliquantisper siccarent: sed cum horum vsus, nisi præcesserit eorum, quæ sunt digerenda emollitio, vt hactenus sæpe diximus, potest longè magis interdum obesse indurando quod post digestionem reliquum est, quàm prodesse absumptis tenuiorib. partibus, decreuit crus demittere in profundius vas olei sabini plenum, quod maiorem vim molliendi & laxandi habet, mox verò confecto medicamento ex prædictis adipib. illius illinuit, in quibus cum emollitione erat modesta adiuncta digestio: quibus postea & ea addebat, quæ mollitionem iuuabant, sed magis etiam digestionem. interdū enim illis pingue bdelium, & mastichen Ægyptiam, ammoniacumque recens & pingue, præterea verò & chalbanum. postea vbi parata ad valentiorē digestionem illi videbatur digerenda materia, oblinebat femur vniuersum ammoniaco prius ex acerrimo aceto dissoluto. cui paucos post dies & chalbanum itidem pingue & recens ex acerrimo aceto solutum addebat atque procurabar, vt maior alimentij pars  
ad al-

ad alterum femur deferretur, vt tumori subtraheretur fomentum, & id diutius insistendo alteri pedi, mox verò femur affectum curauit, vt & ipsum instauraretur vsu eorū emplastrorum, quæ conficiuntur ex pice. Alij autè quos neque damnat Galenus, compositis & mixtis ex vtraque facultate medicamentis vti consueuere, quæ propterea etiam malagmata appellauere, quasi mollientia, de quibus reliquum est vt pauca quedam, & quo breuius fieri poterit dicamus, & primum de illis, quæ apud medicos in vsu erant, postea verò etiam de aliquibus, quæ iunioribus magis sunt familiaria. Galenus itaque septimo de compositione medicamentorum secundū genera capite 2. vbi emollientium medicamentorum meminit, illa in quendam ordinem digerit: in quibus illud tanquam infirmius & alijs imbecillius constituit, quod ipse cerelæum appellat, quia ex cera & oleo conficitur. oportet autem ceram esse pinguem & mollem, nō duram & aridam: oleum verò, quod fit cuiuscunque astrictionis expers, simul autem pari pondere eliquata miscenda sunt, vel etiā aliquantum plus ceræ imponendum, nempe si olei sex, ceræ verò octo ꝑ accipiantur. Aliquantisper maiorem vim habet, quod ex butyro, resina colophonia, & cera non veteri pari portione componitur. Præter vim enim molliendi



358 DE COMP. MEDIC.

ex ipsa cera & butyro aliquid etiam digerentis & siccantis ex resina & colophonia acquirit. His verò omnibus aliquanto valentius est compositum id quod *καρυσεον* Græcè dicitur. fit autem acceptis vncijs vndecim ad ipis suli mundi, ceræ sex, cerusæ, argenti spumæ singulorum sesquiuncia. Componitur verò eliquatis primum cera & axungia, illisq; inspersis aridis medicamentis prius exquisitè tritis, magis hoc prioribus mollit, sed & desiccatur & digerit, nondum tamen validum est medicamentum. Vnde istius ordinis medicamenta tenerioribus corporibus & incipientibus potius, quàm plurimum induratis scirrhis erunt accommodata: in durioribus autem corporibus, & induratis inueteratis que scirrhis, hæc parum possunt efficere. Valentioribus enim mollientibus & digerentibus esset opus, de quibus pauca quædam dicemus. Nam quæ hætenus sunt exposita indurescentibus potius quàm induratis tumoribus sunt apta. Si cuti dum inflammatio in scirrhum iam degenerare incipit. Valentiora ergo medicamenta, & ad molliendum & digerendum potentiora sunt, quæ ex medullis, atque ex illis que opi seu guttæ, vel lacrymæ à Græcis Latinisque dicuntur, gummæ verò ab Arabibus & recentioribus, vt sunt ammoniacum, bdellium, et libanum, oppopanax, styrax, & id genus reliqua

reliqua. In quibus interdum aliqua item induntur, quæ vim aliquam ob tenuitatem partium incidēdi habent, vt piper, propolis, præter acetum. Galenus verò septimo de medicamentorum comp. secundum genus, multa istiusmodi medicamenta ex libris tum Heræ, tum verò Andromachi excepta describit: quæ nimis longum esset singulatim referre. Vnde primo qui ab eo etiam examinatur, erimus contenti, cuius licet ipse duos describat compositionis modos, vnum tamē duntaxat nos proponemus. Conficitur autem in hunc modum. Bdelij, seu vitulini, ammoniaci, iridis illyricæ, singulorum drach. xvj. opopanax, chalbani, cachryos, styracis, thuris, singulorū drach. viij. piperis gran. clx. fecis vnguenti irini quantum satis sit, ceræ, resinæ terebinthinæ, singulorum semilibrā, vini quantum satis sit. Bdelium, thus vino madefiunt, ammoniacum aceto dissoluitur, cætera contunduntur pistello inuncto irino, & quæ liquari possunt liquantur, ac deinde omnia miscentur. In hoc malagmate validè quidem molliunt seuum vitulinum, bdelium, ammoniacum & chalbanum & styrax, quæ & digerunt non parum. aliquantisper præterea, vt ferè in primo ordine sint, thus, cera, & terebinthina molliunt & concoquunt. potenter opopanax, piper, chachrys. Digerit & vinum, incidunt verò in pri-

mis acetum, pip. r, cachrys, quod vt idē Galenus docet, admodum commodum est his scirrhis, qui ex pituita crassa & lenta ortum habuere. Vnde valentissimum medicamentum esset: in eius tamen vsu monet Galenus hoc seruandum esse, nec modo in hoc, sed & in alijs, vt si cerati formam habuerit, & sit lentum tenaciterque hæreat parti scirrhosæ, dimittatur ibi, donec sponte decidat, neque detrahatur vi. In illis autem quæ mutanda sunt ablato primo antequam alterum apponatur, oleo fouendum esse locum affectum, vt materia mollis reddatur, & particula laxior. Multa alia malagmata possemus hoc loco describere, quorū confectioes legi possunt apud Galenum septimo de compositione medicamentorum secundum gen. & 8. de comp. secundū locos, & apud Paulum & Aetium & Arabes, sed nimis longus esset is sermo: præsertim verò huic loco attineret, vt de emplastro de meliloto cuius satis frequens est vsus nostris his temporibus, præcipuè iuxta compositionem à Mesue relataam ex Philagrij sententia: quia tamen maxime medici nostris temporibus, cum quibus etiam Galenus octauo de comp. medica. secundum locos consentire videtur, in davis viscerum affectibus, nempe ventriculi, iecinoris, & lienis vti solent: ideo ad aliam partem, vbi de medicamentis particulatim certis

certis & diffinitis locis accommodandis agemus, illud seruabimus. Interim verò de cerato agemus, quod ex œsypo conficitur, tanquã de optimo medicamento ad molliendas & digerendas, vel etiam inueteratas durities vbi-  
 cunque fuerint contractę & quamuis à diuersis auctoribus diuersimodè conficiatur, omnes tamen in vnum scopum tendunt, & idem præstant, quamuis non æqualiter. alię enim vehementiores, alię aliquantisper infirmiores sunt. Mese tres cerati ex œsypo confectio-  
 nes descripsit, primum quidem in Gal. auctorem refert, quamuis nullibi apud Galenum illam reperierim. alteram in Philagrum, tertiã in Paul. septimo quidem libro describitur cu-  
 -usdam liquidi medicamenti ex œsypo compositio, quę tamen ab illa quam ex sententia Pauli retulit Mes. & modo compositionis & materia plurimum differens est. In vsu autem plerisq; in locis his nostris temporib. est secũ-  
 da à Mese descripta, quę Philagrio est inscri-  
 pta, vtpote quę ad molliendas & digerendas durities alijs habeat vires maiores. Accipit ve-  
 rò croci ʒ. x. bdelij, mastiches, ammoniaci, aloës, styracis liquidę, singulorum ʒ. viij. cerę ʒ. j. terebinthinę ʒ. j. s. medullę cruris vaccę adipis anseris, singulorum ʒ. xv. œsypi ʒ. xv. olei nardini quantum satis sit. subiungit autē Mese, quòd medici quidam post Philagriũ

addidère huic cōfectioni succi scillæ ꝑ. iij. thuris ꝑ. j. seu vitulini ꝑ. xv. Medicamentum potens est & optimum. Nam aliquid concoctorij habet ex croco, thure & terebinthina: emollit autem cera, oesypus & adeps tam vituli quàm anseris, & medulla vaccina. Nam adeps vituli & vaccina medulla ferè eiusdem sunt facultatis. Vbi hoc considerandum quòd Græci medici antiquiores medulla potius vitulina quàm vaccina vtuntur in suis emplastris & id genus alijs medicamentis. Nam si iuuenis sit vacca vnde fuit medulla accepta, parum à vitulina differt: nam pueri & foemellæ parum saltem in humiditate differunt. Si autem vacca confuerit, magis eius adeps aut medulla deficiabit. Bdelium verò ammoniacumque & styrax potenter molliunt, & strenuè digerunt, aliquantisper digerit & aloë. quādo aut additur succus scillæ, maiorem attenuandi & incendi vim sibi comparat. Vnde inueteratis & induratis scirrhis magis potens redditur medicamentum. Quod si bdelium & ammoniacum ex aceto diluerentur, adhuc maiore vim haberēt. De alijs autem compositionibus medicamentorum ex oesypo confectorum non habebimus longiorem sermonem, tum quia nunc in nullo sunt vsu, tum verò quia ex earū collatione cum hac illarum ratio facillè potest percipi. Sed de diachylon, quod & ipsum his

tempo-

temporibus in multo usu est, & ad præfens institutum pertinet, paucula quædam dicemus quamuis Galen. inter *χαλαστικά* medicamenta h. e. relaxantia numeravit, quæ distensis potius ut ipse 7. de comp. medic. secun. loc. testatur, curandis commoda sunt quàm induratis. Sed quia strenuè præterea etiam mollit: idè non erit illis ineptus is locus: præsertim si fiat, ut vulgo dici solet, cum gummis, h. e. cum guttis seu lacrymis, quæ ἄποι à Græcis appellantur. Nam si in hunc modum conficiantur, ad emolliendas & digerendas durities validum erit medicamentum, plures. n. reperiuntur modi, quibus diachylon à diuersis auctoribus confici solebat. Vbi primum id aduertendum, ad facilem perceptionem eorum, quæ de hoc medicamento dici solent, siue illud ceratum dicatur, siue emplastrum, siue unguentum. Nam his omnibus nuncupationibus à iunioribus solet appellari. A succis nomen habuit. *χολάε* enim ut plures interpretantur, succum significat. non tamen ex illis succis componitur, qui ex confisis herbis, vel fructibus exprimuntur, sed succi unde fit hoc medicamentum, sunt mucosus humor, qui vel maceratis illis seminibus fit, puta fœnigræci liniq̄ue, & coctis radicibus althææ & pinguibus caricis passulisq̄ue, & deinde percolatis & expressis. hos succos mucilagines iuniores & seplasia

rij appellat. Frequens est eius vsus & priscis & nostris etiam temporibus, & eius sæpe fit ab auctoribus mentio. sub diuersis tamen nominibus & diuersa eius reperitur compositionis ratio. Apud Arabes, n. dicitur, interdum unguentum de mucilaginibus, interdum verò ceratum de mucilaginibus. triplex verò illud componendi modus reperitur: alter quidem antiquorum ferè omnium, cuius meminit Galenus septimo de compositione medicamentorum per genera à Democrate versibus descriptus, quæ tamen in primum auctorem Menecratem refert, & eadem Paul. & reliqui Græci retulere, & est simplicior & facillior. Accipit enim libras quatuor mucilaginum extractarum, vel percolatarum ex decocto seminis lini. fœni græci, radicum altheæ, olei, æstate addunt illi libras septem. hyeme verò libras nonem, quæ simul coquantur quoad usque non amplius bulliendo attolluntur bullæ. mox inspergantur spumæ argenti libræ sex & coquantur, donec non inquinet. Quæ quidem confectio à Galeno potius inter medicamenta numeratur, quæ *χαλαστικά* hoc est, laxantia, quàm inter illa quæ malagmata, vel malactica, hoc est, emollientia dicuntur, quæ non magis molliendi quàm digerendi vim habent. hoc enim laxare quidem & mollire partes intentas potest, non autem insignem

insignem vim habet indurata membra emol-  
 liendi. nihil enim accipit, quod possit insigni-  
 ter emollitas partes digerere. facilius ergo &  
 minus vehemens ad scirrhus curandos est  
 is compositionis modus. Huius etiam Mesue  
 meminit, & ex Hamech auctoritate ait, quod  
 si prædictis addatur aliquid iridis, & mucila-  
 go melliloti, euadet medicamentum longè  
 fortius ad tollendos tumores duros. Alter ve-  
 rò qui literis à Mesue traditus est, ad dissol-  
 uendas durities potentior & vehemētior est,  
 & ab eo appellatur diachylon magnum: de-  
 scribitur autem in hunc modum. Accipe spu-  
 mæ argenti optimæ mundæ tritæque & cri-  
 bro tenui excussæ vnc. 12. olei irini, chamæ-  
 melini anethini singulorum vncias 8. mucila-  
 ginis seminum lini, mucilaginis fœnigræci,  
 mucilaginis radicum althææ, item & mucila-  
 ginis caricarum pinguium & passularum quo-  
 que pinguium, succi iridis, succi scillæ, item  
 & œsopi, & glutinis piscium. ita enim inter-  
 pretantur vocabulum illud arabicum alza-  
 nach. singulorum drachm. 12. s. terebinthinæ  
 vnc. 3. resinæ pini, hoc est piceæ singulorum  
 vnc. 2. coquantur quo modo paulò antè ex-  
 positum fuit, & fiat, vt nunc solemus appella-  
 re, in modum cerari. Longè, vt dixi, potentius  
 malagma hoc priori est. nam præter chylos,  
 hoc est mulcilagines, quæ laxant & molliūt,



accipit cespum quod præter vim mollientem & laxantem, digerit etiam sed & oleum irinum, anethinū magis digerunt, nec chamemelinum ea vi caret, iris quoque suarum partium tenuitate crassos humores secare, attenuare, & non parum digerere & detergere potest. Sed & scillæ succus plurimum citra caliditatem aut exiccationem insignem attenuare & incidere potest crassos & induratos humores: itidem & iridis succus. Tertio verò modo fit præterea diachylō hoc additis, quas vocant gummas iuniores, Græci verò *ὄμους* præscriptæ compositioni: fuere autem à iunioribus nostris additi: & tres sunt hæ lacrymæ quæ adijci ab illis solent, nempe bdelium, ammoniacum, & sagapenum, singulorum verò additur vncia, & cum his vna etiam vis maior additur molliendi & digerendi, & sicut simplicibus facta est in hac postrema confectioe additio, ita nomen est immutatū. Nam hoc diachylon cum gummis appellant, alterū verò sine gummis. Fit etiam Venetijs medicamentum, quod ferè simile viribus est primæ compositioni diachylon, nempe Græcorum. Accipit enim mucilaginum altheæ, seminum fœnigræci, & seminum lini ad vncias sex, sputum argenti libras ij. medullæ cruris vaccæ, vel vituli, terebinthinæ singulorum vncias iij. cere vncias 4. olei ex sem. lini vncias js. in quo  
 pro

pro oleo communi, vt in prima, oleū ex fem-  
lini accipitur, quod maiorem vim laxādi & di-  
gerēdi habet: minorē tamen digerendi quam  
anethinum & irinum, addit autem iridis pul-  
uerem secutus, quicumque fuit auctor, Ara-  
bes. non apponit tamen cēsi pum, sed loco e-  
ius medullam cruris vaccæ. Vnde medium  
potestate est inter primum Græcorum & ma-  
gnum Mesue, & de his quidem satis dictum  
putamus: in sequentibus de Cancro curando  
agemus.

*De ratione compositionis & vsus medicamentorum, quibus curandus est cancer.*

Cap. XXVI.

**C**ancer est tumor durus ex humore me-  
lancholico excitatus, nisi quod ab alte-  
ra scirrhi differentia ea ratione diuer-  
sus est, quod à melancholico humore, qui fan-  
guinis cōparatione eam naturam habet, quā  
fæcula in vino & amurca in oleo, nondum quā  
aliquam expertus est adustionem fit scirrhus:  
cum verò vstionem aliquam, vel ex putredi-  
ne, vel ex aliqua assatione fuerit expertus, tūc  
vt in libro de atrabile, & de tumoribus præter  
naturam tradidit Galenus, cancer verus est.  
vnde scirrhus is, vt idem 14. metho. voluit, à  
cancro non nisi maioris minorisque ratione

differt: quia si materia, quæ in scirrho comprehensa est, magis incalescat, in cancerum fit transitus, calefit autem, vel à febre ardentiori, vel contracta aliqua putredine. Nam temporis progressu humor infarctus & conculcatus in vasis solet putrescere, & proinde etiam cancerus scirrhus is solitus est ab antiquis dici, quia facilè in cancerum transit. Sed neq; deinde melancholici humoris unde fit cancer, par ubiq; ratio est, aliquando siquidè, etsi aliquam sibi comparat exustionem, illa tamen non est tanta ut iam acris etiam fiat & erodens, & tunc fit cancer sine ulcere, qui & aliquibus cancer absconditus, vel occultus dicitur. cum verò acrior fit, ut iam erodat, ulceratus cancer. Non est tamen ita efferuescens is humor, ut in inflammatione. In ipso etiam & circiter ipsum venæ turgidiores & acriores sunt, quam in inflammatione, quia crassa & nigra est materia, qua venæ refertæ sunt, & præ crassitie nequit ad eò facilè è venis effluens, in circumpositam carnem effundi, & inde etiam canceri nomen illi fuit inditum. venæ enim illæ manifestæ apparentes circa tumorem, videntur referre similitudinem canceri aquatici animalis. Videntur enim quasi pedes canceri circa ipsum quod præsertim conspici solet in mulierum mammis: in quibus præ omnibus alijs partibus frequentius solet laboriri, & id duplici quidem

quidem ratione, primùm quia si accidat vt menses supprimatur sanguis ille excrementosus & magna ex parte crassus & melancholicus per venas vteri excerni solitus, intercepta ea via, sæpe ad superiores partes, quasi regurgitans, ad mammas fertur propter naturalem nexum & consensum, quem cum mammis vterus habet. Deinde quia mammæ, quæ carne adnosa, laxa & quasi spongiosa constant, & ea facile admittunt & suscipiunt crassa excrementa, & cum multarum & crassarum venarum à natura propter lac generandum sint factæ participes, illæ distentæ & repletæ crasso & atro illo sanguine crassescunt & nigrescunt, vnde in hac maximè parte representant quandam canceri effigiem. Et quamuis excrementum hoc melancholicum in iecore primùm generetur vna cum sanguine, non habet tamen cancer minorem suæ generationis occasionem à liene, utpote cuius officium sit, vt quicquid excrementosum & non amplius naturæ vtile superest istius melancholici humoris, attrahat, atque inde partim alatur, partim verò quicquid superuacaneum & inutile illi est, vt corpus ab eo expietur, per vias consuetas excernat: Quod si viscus hoc ab eo suo munere deficiat, vel quia ex aliqua intemperatura sit factum imbecillius, vel quia obstructions impediunt, vel quia tantum istius humoris exvictus non

proba ratione gignatur, vt illi excernendo nõ sit satis hæc particula: ille exuberans & ad hæmorrhoidas propulsus, illi negotiam facescit, aut sua grauitate ad venas in cruribus transfusus varices concitat, aut in habitum vniuersi corporis digestum & ad cutim propulsum elephantiasim, vel elephanrem procreat, aut in vnum aliquem circumscriptum locum decumbit, & inde fit cancer: quæcunq; verò vel temperaturæ, vel ætates, vel victus ratio apte sunt generando humori melancholico, ea omnia possunt generadis & illis etiã fouendis in causa esse. Potest aut is morbus inter initia, quando nondum in insignem tumorem est elatus, sicut Gale. 6. aph. com. 49. & 2. ad Glauc. cap. 19. testatus est, medicamentis si cognoscatur, curari. Nam neq; cognitu in principio facilis est, adeo enim parum & obscure molestus est, vt quamplures non admodum peritos medicos lateat, sed vbi increuerit: ita solet esse molestus, vt neminem ferè latere possit. Occultos verò caneros non esse curandos cõsult Hipp. 6. aph. nam cum curantur, & vi medicamentorum eos superare nitimur, irritantur magis & citius interimunt. Facilius autem & minori cum afflictione degunt, qui sine curatione transeunt. Occultos autem Gal. intelligit tum illos, qui nõdum vlcerati sunt, tum vel etiam illos qui internum & occultum aliquem

aliquem locum occuparunt, vt si in ore, intra nares, in vtero, aut in sede oriatur. Ego memini cuiusdam religiosæ & sacræ mulieris, quæ dum haberet durum sub alis tumorem ad naturam canceri vergentem, & fuisset commissa curanda duobus præstantissimis medicis, illi post multas purgationes aggressi curationem localibus medicamentis, tandem in eo loco visus est tumor digestus euanuisse, sed paulò post subcreuit durus & dolorosus tumor, & insignis in iecinore, qui post multos cruciatu tandem mulierè interfecit, translat<sup>9</sup> ad iecur. Curandi verò cancerum duplex poterit iri ratio: altera quidem quæ vera & absoluta curatio dici possit, vtpote qua morbus omnino tollatur & particula suæ pristinæ restituatur integritati, & hæc quidem si aliquando speranda sit, speranda est initio antequam materia omnino inculcata induruerit, & aliquam sibi comparauerit malignitatè ex vltiori putredine vel affatione, & quo tempore diximus à paucis cognosci, plures autem fallere: cum verò iam tumor in insignem aliquam magnitudinem elatus fuerit, non est amplius speranda hæc in eo curationis ratio, sed altera de qua paulò post sermonem sumus habituri. In præsentia verò de priori breuiter & cursim agemus, cū illis medicamentis sit absoluenda & illis remedijs, quæ nihil ad institutū præsens

pertinent. Nam vacationibus reuulsionibus  
 que & purgationibus tractanda erit hæc cu-  
 ratio. omnes ergo statim rem auspiciantur,  
 modò nihil sit, quod vetet à venæ sectione,  
 in talo vel poplite, si præcesserit suppressio hæ-  
 morrhoidarum, quæ alioquin sint solitæ fluere:  
 nam si aperiantur, vt iterum reuocetur earum  
 fluxio, vtilis & salubris erit operatio, vel si præ-  
 terea in mulieribus sint menstrua suppressa:  
 alioquin verò è superioribus venis iecur, vel  
 lienem recto itinere & locum affectum respi-  
 cientibus erit mittendus sanguis: deinde ve-  
 rò medicamentis parantibus hos tumores, &  
 delinientibus eius asperitatem, ac illis deinde  
 quibus mouentur erit agendum: neq; tamen  
 de illis magis particulatim loquemur, cum  
 quantum poterat satis esse, in primo & altero  
 libro egerimus. Imprimis verò recta erit vi-  
 ctas ratio instituenda, & aliena, quantum fie-  
 ri poterit, ab illa que fit apta melancholico hu-  
 mori gignendo. quod si videatur corpus sua-  
 pre natura pronum esse, vt illum generet, suc-  
 currendum saltem illi erit repetitis per inter-  
 ualla euacuationibus: sed de his satis superq;  
 Ad eam curationis rationem accedamus, quæ  
 magis attinet præsentì instituto, nempe quæ  
 per medicamenta exterius loco affecto admi-  
 nistranda absoluitur: ea ita que sub communi  
 ratione. & methodo comprehenditur, qua &  
 cæteri

cæteri tumores præter naturam curantur, im-  
mò affectus omnes à fluxione humorum ex-  
citati. Ea nempe est, vt tum repellentibus,  
tum digerentibus medicamentis agamus: in  
quo quidem negotio foelicem successum spe-  
rare possumus, quando materia nondum ad-  
modum crassa fuerit. Nam hæc non ægré pri-  
mum medicamentis purgantibus, deinde ve-  
rò & repellentibus & digerentibus cedit: sin  
autem crassa fuerit, illis quidem non facile ce-  
det. His autem parum proficiemus, si facilio-  
ribus quidem vti voluerimus: sed si poten-  
tiora aggrediamur, aliquas sanè tenuiores par-  
tes sanguinis contenti in venis partim repel-  
lemus, partim digeremus. Vnde videbimur  
statim inter initia aliquid profecisse, quod re-  
liquum tamen erit, nempe crassior materia,  
durior & magis rebellis euadet. Dum ergo  
corpus purgatur diligenter, primùm repel-  
lentibus vtendum: mox vbi mediocriter iam  
sit purgatum immiscenda repellentibus erūt  
digerentia, illo autè exquisitè purgato, conuer-  
tenda est omnis curatio ad digerentia, vt ta-  
men in illis eligendis hæc sint imprimis ser-  
uanda: primùm vt his vtamur tam repellen-  
tibus, quàm digerentibus, quæ vires habe-  
ant mediocres, quia leuiora nihil ferè faciunt,  
valentiora irritant exasperantque morbum  
& crassiorem reddunt humorem, deinde ve-



rò ea omnia fugienda sunt, quæ acrimonia, & morsus cuiuscunque non sint expertia. tanta enim est istius affectus prauitas, vt facillimè à mordentibus medicamentis exasperatus irriteretur. Metallica ergo medicamenta cum & exusta prius, & postea exquisitè lota fuerint, deponunt omnem morsum: quapropter, & illa, & composita medicamenta, quæ ex his fiunt, si rectè confecta sint, optima sunt in hac curatione. Ab omnibus etiam solani succus, statim etiam inter initia laudari solet, nam repellit quidem sine vlla exasperatione. Nam refrigerat in secundo ordine, præterea & astringit, vel solus administratur, vel etiam longiori tempore in mortario plumbeo, pistillo etiam plumbeo donec crassescat & colorè plumbi contrahat ductus & tritus. In hunc undem vsum apprime vtile erit oleum rosaceum eodem modo tritum & paratum, inter initia quidem illud quod omphacinum appellant. nam magis & astringit & refrigerat: mox verò & illud quod in præsentia completum dicunt. Nam aliquanto magis omphacino digerit, & minus repellit. quod si progredienti curatione maiorem item digestionem quaerimus, non esset præter rem chamæmelinum cum rosaceo, dum in mortario tererentur, intermiscere. Hæc est ergo summa rationis & vsus eorum medicamentorum, quæ apta esse possunt

possunt curandis cancris, qui istius magis desiderandæ curationis esse possunt participes. Qui verò iam creuere induræreque & cōsenserent, si hoc modo curare voluerimus, nullum facturi sumus operæpretium: nimis enim pernicax & rebellis est is morbus, ita ut lenibus & lenibus medicamentis superari minimè possit, à fortioribus semper magis irritetur, & efferus magis euadat, potiusque vlceretur, quam cureretur. Vnde duplex nobis, cum eò peruentum est, consilium reliquum est. alterum facilius & tutius, nempe ut solum procuremus, ne ulterius crescat & vlceretur, & quanto fieri potest minus sit molestus, id verò fiet eadem fere ratione, quam nuper exposuimus, nempe frequentibus & repetitis purgationibus, victus seruata ratione, quam summatim paulò antea descripsimus, & illis etiam medicamentis, quæ demulcent melancholicum humorem, & ad expiationem sanguinis faciunt. Alterum verò consilium ad opem chirurgicam cōfugit, nimirum ut sit tumor is in parte aliqua, vbi possit excidi, sicut in mamilla, ac deinde inuri pars vnà cum venis apparentibus, quæ veluti radices sunt, aut cancri pedes, ac subinde curetur relictum vulnus, vel potius vlcus pro natura & ratione relictæ vulneris. Verùm ut & 6. aph. ait Galen. & subscribit Celsus, multi sunt, quibus curationis mo-

dus hic nullo pacto potest probari, ut pote  
 quod multis sit periculis obnoxius & fallax.  
 Nam & admodum dolorosum est officium  
 illud, & sapissimè quod maxima sequitur san-  
 guinis effusio propter ampla vasa & consen-  
 sum cum internis partibus. sed lubrica admo-  
 dum est præterea hæc curatio. Quâuis enim  
 recte fiat beneque succedat abscissio, atq; de-  
 inde vlcus postea deducatur ad consolidatio-  
 nem, paulò post tamen morbus iterum reuer-  
 sus, aut illam eandem particulam, aut dignio-  
 rem occupat, & tandem hominem interficit:  
 & hoc nò semel accidisse animaduerti, & præ-  
 ter alios, duas Venetijs sacras & religiosas mu-  
 lieres dum medicinam Venetijs facerem no-  
 ui, & alterius quidem paulò antea historiam  
 narrauimus. Altera verò habebat cancerum  
 in mammilla insignis etiam magnitudinis,  
 qui cum vniuersa mammilla fuit excisus. reli-  
 ctum autem ab abscissione vlcus quanta po-  
 tuit diligentia fuit curatū, & neq; etiam mul-  
 to negotio inducta fuit cicatrix. Verùm non  
 multos post menses, nulla alioquin præstita  
 occasione, iterum sponte exulceratus est lo-  
 cus ille idem, neq; vlcus illud vllis amplius e-  
 mēdari, aut curari potuit, & postremo mulie-  
 ré necauit: sed & quedā etiā de eo cancro dicē-  
 da sunt, qui cū vlcere est, cuius curadi etsi nul-  
 la reliqua sit spes, nò tamē ppter ea nò potest  
 illis,

illis, qui ab eo affliguntur, ars medicinæ plurimum pdesse, cum possit eos mitiores reddere, minus molestos, minus erodentes, minusque dolorosos. Nam etsi apud plurimos a deo inualuerit hæc sententia, ut fere in prouerbum transferit, non esse cancrorum, quando iam cum vlcere sunt, quærendam curationem, ea quidem si hoc pacto intelligatur, quod non sit neque quærenda, neque speranda vera curatio, verissima est sententia, quia medicamentis vel alijs medicis instrumentis nequit is morbus omnino superari: immo quo magis illam superare contenderit medicus, eo magis ferus & malignus reddetur. non tamen propterea omne curationis genus prætermittendum. nam mitigari & deliniri aliquantisper ferina eius natura potest, ut minus molesta & magis tractabilis eius natura euadat. Nam cum in his vlceribus, sicut & in quibuscunque alijs, semper aliquod pus vel sanies, gignatur, acrior autem & deterior, quo fuerit vlcus peioris naturæ, quod quidem virus pūgit, imo rodit etiam atque dolores auget. nam & semper dum diutius vlceri hæret, acrius & deterius fit: necesse est, ut Galenus monebat, aliquibus vti medicamentis, quibus malignus ille humor abluatur, & facile quasi, ut aiunt, blandiendo deliniatur praua mali istius natura. Iam ergo satis diximus superius, quod

succus solani imprimis & præcipuè huic officio commodissimus est, siue ita simplex adhibeatur, siue cum alijs componatur. Componi autem potest, vt post dicemus. Nam ductus in mortario plumbeo donec colorem plumbei acquirat & vnguenti crassitudinem, quàm maximè vtile medicamentum erit. Sed & polygoni succus, & cichorei, & portulacæ excrescus cum succo vuzæ immaturæ pari modo ducti in plumbeo mortario, vtilis esse possunt, quamuis non habeant tantam vim quantam solanum: Rosacea etiam olea, siue omphacinum, in quo maior est desiccatio, roboratio, & extinctio, siue quod completum appellant in quo maior est digestio & lenitio, itidem in mortario plumbeo ducta: pro quibus & oleum cotoneorum, & myrtinum possent interdum sumi. Præterea verò omnia metallica medicamenta vsta prius, & optimè lota: præsertim verò pompholyx, & plumbum vstum lotum, deinde & cadmia, quæ vel composita simul, vel cum alijs prædictis possunt vtiliter venire in vsum. Vnde Galenus decimo de simplicium medicamentorum facultatib. ad maligna vlcera & canerosa laudat lac præsertim si in eo immiscentur pompholyx, quam nunc tutiam vocant, aut plumbum, aut cadmia lota & vsta. Nos autem in exemplum duo medicamenta ex Galen. & Paul. Aetioq; deprompta proponemus

ponemus. Primum accipit cerusam & lithargyrum pari pondere, eaque in plumbeo mortario eatenus in sole ex rosaceo oleo conterunt donec mixtum horum colorem plumbi omnino contrahat. Alterum verò quod & efficacius est, accipit pompholygis, plumbi vsti vtriusque verò loti, thuris singulorum vncias quinque, absinthij vnciam, olei rosacei sex vncias, ceræ fescunciam, succi solani quantum ad crassitudinem sit satis. Galenus autem quarto de compositione medicamentorum secundum genera laudat cinerem ex concretis fluuiatibus cancris ad reprimendam istius morbi malam naturam, si cum pari portione cadmiæ vlceri inspergatur, aut si idem cinis cerato exceptus imponatur, cuius & Auicenna & alij meminere. Sunt & quedam que plurimum in sedandis doloribus laudari solent, vt malua, & althea ex mulso cocta & subacta, & oleum quod ex vitellis ouorum extrahitur. Nonnulli præterea & herbam illam, quam virgam auream multi appellant, summo opere laudant. quæ ignoratur quæ fuerit antiquis, alchimystris verò plurimum est familiaris, siue eius succus, seu aqua per destillationem accipiatur. De elephantiasi etiam quam Arabes & illos secuti iuniores nostri, immo & vulgus lepram appellant (quamuis lepra antiquis vna sit ex scabiei differentijs) possemus

aliquid dicere, quia tamen eandem ferè cum cancro rationem habet, nam ex eodem humore gignitur, nisi quod decumbente illo in vnâ circumscriptam particulam, & illam in tumorem attollentem, fit cancer, illo verò digesto per vniuersum corpus, ac tandem ad cutem expulso, fit elephantiasis: vnde sicut cancer solum inter initia solet curari, in ueterascens autem nullam admittit curationem, ita & elephantiasis, quæ eandem vniuersi corporis procurationem, quatenus ad vacuationem, requirit. In externis verò medicamentis explanandis non admodum multi fuere antiqui medici, & de his neque etiam nos multa verba faciemus, sed de quibusdam alijs tumoribus, qui cum iam dictis multum & similitudinem & affinitatem habent, paucula quædam dicemus.

*De ratione curandi reliquos tumores ex ab-  
scessus frigidiores, qui ex pituitosa ma-  
teria ortum habent.*

*Caput XXVII.*

**Q**uia verò sunt & aliæ tumorum differentie, qui varijs in locis suboriri solent, quorum frequens est mentio apud medicos, de his anteq̃ primam hanc de externis medicamentis partem finiamus, aliqua di-

qua dicemus: non est enim multis opus, quia sicut cum multis illorum quæ hætenus exposita sunt similitudinem quandam habent saltem ratione materiæ à qua excitantur, ita etiã multum cum illis in ratione curandi habent similitudinem. Incipiemus autem ab illis tumoribus, qui strumæ à Celso & Latinis, chærades Græcis, ab Arabibus verò & recentioribus nostris scrofulæ appellantur: voluere enim Græcum vocabulum exprimere, qui ita appellarunt, vel quia huic morborum generi propter voracitatem maximæ obnoxie sunt scrofæ, vel quia sicut numerosæ sobolis sunt scrofæ, ita in hoc morbi genere numerosi generantur tumores sibi ferè mutuo hærentes, vel quæcunq; alia fuerit istius nuncupationis occasio. Solet autem plerunque hoc tumorum genus, vt tertio aphor. commen. 26 ait Galenus in partibus glandulosas oriri, vbi etiam bubones. Imo vt idem testatur in libro de tum. præter naturam cap. 16. inflammationes, quæ in his partibus oriuntur, cum veram seruant inflammationis naturam, bubones, aut phygethla dicuntur: sin autem indurentur, in strumas transeunt. Porro & ex vicere interdum exurgit bubo, vt primo de locis affectis idem docuit. qui aliquando facile suppuratur. Nonnunquam verò induratur & in strumam desinit. Sunt ergo vt ibidem



monet Galenus hi & similes tumores veluti soboles vitiosæ non quidem calidæ, sed potius frigidæ materiæ & pituitosæ, quibus præferim obnoxij sunt, qui voraces nimirum sunt. Vnde in pueris, ab eo tempore quo primum dentes incipiunt emittere, vsque ad tertium decimum annum solet esse frequentior is affectus, utpote qui plures congerunt cruditates. plerunque autem tumores id genus alijs de quibus statim sermonem sumus habituri, similes sunt, qui generantur circumdati quadam membrana quasi vesicula quam vulgo chirurgi chistim Græco vocabulo appellant. pro diuersitate autem materiæ differunt: aliquando enim si aliquid caloris immixtum habeant, maturantur & suppurantur: aliqui verò duriores sunt, & ad scirrhi naturam, ut decimo quarto methodi tradidit Galenus, proximè accedunt. Sunt verò & plures aliæ tumorum frigidorum differentiæ, quorum medici meminere frequenter, ad hoc ferè genus pertinentes, qui particularim nullum habent nomen: differunt autem penes diuersam materiæ rationem, quæ in illis cum aperiuntur, reperiri solet. Nam aliquando quasi pilos reperies iuculosos, interdum quasi vngues, interdum res duras perinde ut ossa, aut lapilli, aut testa, quandoque callosum corpus, sæpe quod aut cœnũ aut lutum aut amurca videatur, quandoque

reperi-

reperitur res adeò fœdita, vt vix pœsis odorẽ  
perferre. Fiunt autem omnes quando, vt dixi-  
mus, frigida materia in vnum locũ confluens  
ibi conclusa diutius detinetur, sibiq̃ue vario  
modo afficitur, quatenus aut digestis parti-  
bus tenuioribus humidioribusq̃ue magis mi-  
nusq̃ue induratur. Interdum verò maiori  
minorũque contracta putredine vi caloris ex-  
traheĩ aut cœnum lutumue imitatur, aut a-  
murca, tetrusq̃ue magis aut minus odor in-  
de excitatur. Frequentiores tamen alijs esse  
solent abscessus illi, qui vno communi nomi-  
ne ab Auicenna nodi appellantur. Commu-  
ne autem nomen nullum apud Græcos ha-  
bent, præter nomẽ tumoris & abscessus, quod  
& alios tumores continet. Horum tres sunt  
præcipuè differentię acceptæ à triplici ratio-  
ne illius materiæ, quæ in illis continetur. Eo-  
rum enim aliqui liquorem quendam in qua-  
dam quasi vesicula contentum habent, vulgõ  
chirurgorum in folliculo diceret, qui liquor  
melli colore & crassitudine similis est, & à in-  
rioribus nodi mellini dicuntur, à Græcis ve-  
rò melicerides. Alij verò crassiorem substan-  
tiam collectam habent, quæ colore & crassi-  
situdine pulvem imitatur, quam atheram  
Græci nominant, vnde & Atheromata Græ-  
cè dicuntur. Alij crassiorem & solidiorem  
congestam

congestam habent, quæ crassitudine & colore  
 seuum vel adipem imitatur, quod cum steat  
 Græcè dicatur, steatomata etiam ab illis nun-  
 cupantur. Id verò omnibus his, ut paulò an-  
 tea diximus, commune est, ut materiã qua-  
 dam membrana inclusam contineant, quasi  
 in quadam vesica. Est & similitum tumorum  
 quarta quædam differentia, cuius nonnun-  
 quam etiam meminit Galenus, in quibus an-  
 tequam aperiantur, spirituosã quædam tensio  
 apparet, illis autem apertis reperitur grumus  
 sanguinis. Et quia non modo in externis &  
 summis partibus solent oriri id genus tumo-  
 res, sed & in profundioribus quoque: præser-  
 tim verò glandulosis: immo & in ipsis visce-  
 ribus. Ego enim in cadauerum dissectionibus  
 sæpe in iecinoris substantia vidi hos tumores  
 subortos, maximè verò steatomata. Qui tamè  
 in externis & summis generantur partibus ta-  
 ctu & digitis dum premuntur, ex maiori vel  
 minori renitentia & celsione, ac citiori, & fa-  
 ciliiori ad pristinam figuram transitu depre-  
 hendi à medico poterunt. qui verò in alto o-  
 riuntur, quo digitus peruenire nequit, non  
 ta deprehendi possunt, sed de his quantum  
 ad nostrum institutũ pertinet hæc satis sunt.  
 De alijs enim pluribus distincta capita fecere  
 iuniores, & aliqui etiam ex antiquis, qui suis  
 etiam nominibus distinxere. quæ tamen si re-  
 ctè consi-

Et considerentur, ad aliquod horum, quæ hæ-  
tenus fuere à nobis exposita referenda sunt.  
Nam & quæ nattæ, & quæ talpæ, imo magna  
ex parte tumores qui anteriori parte & exte-  
riore cervicis seu gutturis solēt exoriri, & bo-  
cia à iunioribus solent dici, bronchochilæ à  
Græcis, quasi dicas ramicem gutturis, ad ali-  
quod horum tumorum referenda sunt, ita vt  
& aliqui ramicosi tumores sint istius generis,  
& differunt aut loco in quo oriuntur, aut ma-  
gnitudine, aut figura, non autem natura aut  
essentia. Quatenus autem ad curationem per-  
tinet, id in primis considerandum, quod nos  
14. meth. capite 12. docuit Galenus, duplicem  
esse rationem curandi hos tumores quæ in v-  
nam omnium tumorum communem tandē  
resolvitur, nempe ea est euacuatio materiæ in  
abscessu contentæ. Sed dupliciter illa euacua-  
ri à medico potest. Nam aut medicamentis  
aut manuali opere. Per medicamenta autem  
duplex potest fieri curatio: quia aut per dige-  
rentia, aut per putrefactia. manuali opere  
curantur, quando per præcisionem partis affe-  
ctæ tolluntur: horum verò aliqui vna tantum  
ex his curari possunt, alij duabus, alij tribus,  
quæ diversitas tum à ratione loci ortum ha-  
bet, tum à ratione materiæ: nam qui in alto  
ortum habent, solis digerentibus & attenuan-  
tibus possunt curari, nec quocumq; modo ad-

ministratis . Sed aut illis solis, aut illis maxime quæ per os sumuntur, in quibus fit vis attenuandi & in vapores dissoluendi materiam concretam, qualia sunt medicamenta, quæ ex aromatibus conficiuntur, vt antidoti illæ maiores, vt sunt theriaca, mithridatia, ambrosia, ethanzia, diacalamentum, diaspoliticum, diacyminum, & quod diagalanga iuniores appellant, & id genus alia multa, quæ nos cursim pertransimus, vt pote quæ quasi *ωαφερα* dici possunt, neque primo ad præsens institutum pertinentia. A natura autem materiæ petenda est ratio diuersæ curationis: quia quæ tenuiori constant materia, vt melicerides possunt, tres has curationes admittere. nam & digerî, & per putrefactionem extrahi potest materia & per præcisionem: quæ verò crassiori, nõ ferè nisi aut præcisione aut putrefactione: iteato mara officio duntaxat manus & incisione possunt abstrahi. Non erimus autem in his particularim exponendis multi, quia quæ sint medicamenta, quæ stiptica, hoc est putrefacientia sunt, & qualis sit eorum vsus, satis superius fuit à nobis expositum. Quæ verò ad chirurgiam pertinet, huic non attinent negotio. De digerentium verò vsu & cõpositione, & quomodo tractanda, satis superque locuti sumus superius: præsertim vbi de duris tumoribus fuit institutus sermo. Nam in omnibus his &

corpus

corpus prius à crasis & crudis humorib. purgandum, et victus ratio attenuantis instituen-  
da, postea externis & localibus agendum, & si  
digestioni cesserint, illi incumbendum: sin au-  
tem aliquando videantur posse suppurari, si-  
cut strumas aliquando videmus, vel quia cū  
crasis & frigidis fluxerit aliqua calida mate-  
ria, statim inter initia, vel postea etiam dū tra-  
ctatur curatio, attracta ab usu calidiorum me-  
dicamentorum quæ possit pus mouere, ma-  
turationi & suppurationi esset opera danda.  
In digerendo autem, quæ sint animaduerten-  
da, satis superque diximus superius, unde de  
scabiei & pruritus differētij per medicamen-  
ta curandis paucis expositis huic priori parti  
finem faciemus.

*De ratione eorum medicamentorum, quibus aptè  
curari possunt cutanei affectus, nempe pru-  
rigo scabies atque huiusmodi.*

*Caput XXVIII.*

**P**ostremo loco quatenus ad istius tracta-  
tionis partē attinet, & de cutaneis affecti-  
bus per medicamēta propria extērius ad-  
ministrāda curandis nonnulla dicēda sunt,  
quales sunt pruritus, psora, lepra, quæ à Lati-  
nis tanq̄ scabiei differentiæ proponuntur, &  
lichene, quam impetiginem Latini soliti sunt

appellare. Horum enim ferè omnium commune symptoma est desiderium quoddã scaldendi, quod manifestum est argumentũ, eos esse quasi sobolem vitiosorum humorũ acriũ & mordacium, qui ad cutim impulsĩ, ibi retinentur & manent, præterea verò, quòd aliqua constant crassitie. Nam si omnino tenues essent, cutim perinde vt sudor transigeret neque illam abradere possent, neq; tamen adeo crassi sunt, vt illi à quibus phagedenæ aut cancri gignuntur, nam non modo extimam cutim abraderent, verum & subiectas carnes ulcerarent exederentque: inter se verò differunt hi cutanei affectus crassitie & tenuitate materiae, vnde concitantur. Nam à crassiori materia ortum habet lepra, vt pote in qua separantur veluti squammæ quædam & quasi serpentis appellatam fenium: à psora verò veluti fures, quæ quidem ad abrasionem summæ & extimæ solum cuticulæ referuntur: profundior verò est abrasio in lepra: sicuti crassiores sunt squammulæ ab ea resectæ, quàm fures, his vtrisque adhuc tenuior est materia impetiginis vel lichenis. Commune autem his omnib. est cutim reddere asperiolem, sed præritus materia alijs tenuior. Quæ autem & qualis sit materia, quæ omnium horum affectuũ fomentum est, non videntur omnes consentire: præterquam quòd omnes acré esse aiunt.

Arabes

Arabes enim vt Auicenna, Haliabas & alij videntur quidem voluisse pforæ & lepræ materiam esse sanguinem vitiosum, quia aut illi sit immixtus melancholicus humor exustus, aut quia pars aliqua, quæ per putredinem, vel assationem sit cõuersa in melancholicum humorem. vel etiam quia interdum sanguini sit immixta falsa pituita, vnde subdit, quòd si ex humore melancholico sit orta scabies sicca illa est, sin autem ex mixtione pituitæ falsæ pinguior illa videtur. Galenus verò & cæteri Græci non in sanguinem referunt hos affectus, sed duntaxat in melancholicum humorem & pituitosum falsum. Nam in libro de atrabile & de tumoribus præter naturam, affectus hos melancholicos censet: vnde eos sæpe mutuam transmutationem habere cum elephante visum est. Si enim aliquando elephantiasis curationem habet prius in lepram postea in pforam mutatur. sicuti sæpe si negi gatur lichene, in pforam, mox pfora in lepram, & tandem in elephantiasim fit transitus. Paulus tamen pforam & lepram à melancholico succo fieri solere ait. pruritus verò à falso humore, At Galenus secundo libro de causis symptomatum capite sexto ait, pruritus à tenui & falso humore ortum habere. pforam verò & lepram à multo crasso & falso non moto, quia si in motu sint & per partes sensu præ-



ditas ferantur, horrorem aut rigorem concitant: tamen ibidem exponens quid sit pruritus, cum prius dixisset esse sensum excrementorum, pruritus mouentium, id magis particulatim explanare volens dicit, nisi quis ea nitrosa, salsa, vel amara velit nominare. Quibus videtur insinuare & bilem posse prurientes concitare affectus, amaritudo enim bili propria esse videtur. Sed si rectè considerare velimus, cum frequentissimè hi affectus præsertim psora, & lepra reddant cutim asperam & ferè aridam, sæpissimè à sicco & exusto, nempe melancholico humore videtur originem habere. Interdum verò cū in his cutaneis affectibus papulæ quædam parvæ quidè exoriuntur, e quibus tenuis quidam quasi ichor exprimitur acer quidè & mordax, putarem eas à tenui & salsa pituita esse exciratas: quædoq; verò papulæ maiores, quæ tandè supparatur, & inde pus satis crassum affluit, quæ vulgo pinguem scabiem vocant. Sed harum duplex est differentia, aliquæ enim dolorosæ sunt & rubræ anteaquam suppurationem assequantur, ut quasi inflammationes imitentur: aliæ verò tandem & ipsæ ad suppurationem veniunt, neque tamen ita inflammatæ sunt, neque etiã adeo dolorosæ. Priores ego putarem omnino mixturam sanguinis habere, alias verò potius in salsam & crassiorem pituitam

mitam esse referendas. Impetigo verò ex ichore tenui cum crassiore & acri humore generationem habere, dixit Galenus libro quinto de compositione medicamentorum secundum genera. Est autem omnium communis sententia eos qui vitiosis utuntur cibis, esse his curaneis affectibus obnoxios: senectus etiam frequenter ab illis solet exerceri, & adeo cruciari, ut aliquando pruritus in senes si inueterauerit, aut nunquam curari possit, aut ita ægre, ut illis satis esse possit, si leniatur & mitigetur. Sed iam conuertamus orationem ad rationem medicamentorum, quibus sit laborantibus hac molestia succurrendum. huc enim spectant quæcunque hactenus fuere exposita. Nempe ut scopos depromeremus, qui nobis rectam rationem compositionis & usus medicamentorum huic curæ rationi accommodatorum ostenderent. Et quia omnes hos affectus in copiam vitiosorum humorum, vel ex parua victus ratione vel ex aliquorum viscerum intemperie congestorum, & tandem in cutem propulsorum ortum habere ab omnibus constitutum est nemo non videt primum statim scopum in illis curandis insurgere, qui indicat causam, quam medici antecedentem appellant, tollendam: nempe subtrahendū esse hoc fomentum per vacationē eorum malorum

fuccorum, qui in venis vel visceribus continentur, & factum morbum fouent, & pro ratione naturę illius excrementitij humoris, atque pro conditione corporis, aut secta vena, aut medicamentis purgatorijs molliri vacatione oportere. Verum quia hoc extra fines presentis instituti, quo agere de externis medicamentis propositum est, ideo hęc partem non magis particulatim tractabimus. Sed his summatim expositis, de ratione eorum medicamentorum agamus, quibus affecta iam cutis curanda est. Et cum, vt docuit Galenus sexto de comp. medic. secundum gen. cap. secundo, quando iam squamosa, vel furfurosa cutis facta est, id quod in squammas, vel furfures iam versum est, nequit amplius in naturalem & pristinum statum redire, vt & crustę quę vlceribus obducuntur. Sed neque etiam impacti ipsi cuti prauis humoribus amplius corrigi possunt: ideo proprius scopus in his curandis est, hęc omnia ope medicorum, quando alia nequeunt ratione, esse remouenda, remoueri autem poterunt, tum per digerentia & siccantia, tum verò per detergentia. His ergo facultatibus ea medicamenta, quibus curandę sunt hęc affectiones prædita esse oportet. Sed cum pruritus ex tenuiori humore ortum habent, qui vt ait Auicenna, quasi inter duas cutes, h. e. ad cuticulam consistit, quam nequit

nequit transire, quia aut constipatio sit facta, aut obstructi sint eius meatus, ideo digerentibus potius & desiccantibus egere videtur, sed quoquomodo etiam laxantibus. Vnde & balneæ aquæ communis & tepidæ, tanquam vtilis laudantur præsertim à Paulo & Aetio, vt laxiore reddita cute facilius fiat vitiosæ materiæ vaporatio, & ipsius humoris fusio attenuatioque, & præterea eius acrimoniam delinitio. deinde verò opportunus est fons & fricatio cum his quæ digerunt & exiccant. Fortioribus verò ad lichenas, vel impetigines est opus, vtpote cuius materia constat ex tenui quidem & acri ichore, sed qui mixtam etiam crassam materiam habeat pituitosam vel melancholicam. Vnde cum horum affectuum differens sit ratio, quia alij difficiliore, & id ratione materiæ crassioris & contumacioris: alij verò facilius medicamentis cedunt, vtpote quia ex materia minus contumaci & crassa ortum habent. Præterea verò, & particulatim ille idem affectus non in omnibus æqualem rationem habet. Nam lepra à lepra, & psora à psora pruritusque à pruritu non parum interdum facilitate & difficultate, vel prauitate differt, quod tum ratione prauitatis & malæ naturæ materiæ vnde excitantur accidere solet, tum verò ratione corporis male affecti, quia aliqui adeo sunt obnoxij his cutaneis af-

fectionibus, vel propter prauam viscerum in-  
 temperaturam illis perpetuò fomentum sum-  
 ministrantem, vel propter malam victus ra-  
 tionem qua vtuntur, vel quia adeo eas diu per-  
 tulere, vt iam vitiosa sit temperatura & habi-  
 tus ipsius cutis, vt præter id quod iam facta im-  
 becilior facilius excrementa vndiq; amanda-  
 ta suscipit & difficilius digerit & expellit, cor-  
 rumpit etiam delatum alimentum, quamuis  
 bonum in vitiosum humorem, vt vix ab eis  
 se vnquam possint explicare. Cui accedit præ-  
 terea & natura corporum, qui enim durior et  
 sicciori solidiorique habitu corporis & cutis  
 constant, maiori negotio & fortioribus medi-  
 camentis curantur: qui laxiori & teneriori,  
 facilioribus. Vnde ea ratione pueri & tene-  
 ræ mulieres facilioribus & leuioribus medi-  
 camentis cedunt, viri autem rustici, & id ge-  
 nus alij, fortioribus & acrioribus. Senes au-  
 tem præsertim in secundo senio ægerrimè cu-  
 rari ab his possunt, tum quia ex imbecillitate  
 viscerum excrementosiores sunt, tum quia  
 expultricem & digestricem facultatem imbe-  
 cilliozem præ alijs ætatibus habent, tum et-  
 iam quia cutis eorum aridior & densior facta.  
 Vnde in medicamentis etiam his affectibus  
 curandis aptis varios oportet esse ordines,  
 in quibus exponendis, si omnia singulatim  
 quorum medici meminere, vellemus literis  
 man-

mandare, nimis in longum noster sermo pro  
geretur. Vnde nos aliqua tantum in exem-  
plum proponemus, quæ nobis magis in pro-  
prium esse posse videbuntur, quibus & multa al-  
ia addere poterit qui materiam medicinalis  
aliquam habuerit peritiam, & scopos à no-  
bis & alijs medicis in hac re propositos me-  
moriter tenuerit. Inter leuia & simplicia  
medicamenta est hominis saliuæ, præsertim  
si fuerit ieiunus, furfures farinæ tritici affri-  
cati cuti, vel decocti ex aqua, maluæ tam do-  
mesticæ folia & radices quam syluestris ex-  
presso ex eis succo scabioso loco affricata: i-  
tè & betæ & apij, sapathij, chelidoniz, anemo-  
næ, saluiz, folia cucumeris syluestris, præte-  
rea radices, succus malorum medicorum tam  
citrij, quam appellatorum, vulgò limonum,  
vel aranciorum, multis & succus vuz immat-  
uræ profuit. Vrina etiam humana, si ea la-  
uetur affectus locus, non erit inutile medi-  
camentum. neque tanquam languidum me-  
dicamentum proponitur decoctum ex eruo,  
sed & recrementa glandis vnguentariæ vn-  
de fuit expressum oleum plurimum omnibus  
ferè probantur. Inter medicamenta affectibus  
his apta, sunt resina, terebinthina, & laricea,  
& gumma pini dissoluta ex aceto. Efficacio-  
ra his sunt aqua salsa, lixiuium, sal, nitrum, ni-  
tri spuma, sal armoniacum, balneæ minerales

nitrosæ, sulphuræ, bituminosæ & ferreæ. Valida præterea sunt vtrunque veratrum, tam nigrum, quam album, radix vitis albæ, dracunculus vterque. Vtebantur antiqui in his curandis affectibus, cum difficiliores sunt, & chalcidite & chalcantho præsertim vsto. Videntur autem in præsentia quoque in medicamento ad scabiem hydrargyro, seu, ut nunc appellant, argento viuo, vel ut chymici, mercurio, extincto tamen aut saliuâ aut limonum succo, aut alia quâpiam simili ratione: imò etiam si difficilior reddatur curatio, addunt, & quod sublimatum appellant. Sulphur tamen coctum ex oleo, vel eo dissolutum ita ut eo inungi possit, optimum medicamentum ad scabiem tollendam, quamuis suo odore ingrato à multis ferri nequeat. Sed inter composita medicamenta lene quidem & tutum, quodque pueris mulieribus ac mollioribus corporibus possit esse satis, est emplastrum ex lithargyro cocto ex hydrelzo, de quo facta est superius mentio: sed fortasse fortius esset quod fit ex argenti spuma cocta ex aceto & oleo. Sed longè his efficacius & valentius esset emplastrum illud, quod à Galeno sexto de compositione medicamentorum secundum generacap. 4. describitur & *Διαβοταρίον*, hoc est, de herbis appellatur. Cum autem omnes in his affectibus viuam calcem optimè & sæpius loca laudent,

laudent, si illa ex aqua diluatur ad mellis spissitudinem, & inungatur locus scabiosus, crederem ego quod et vulgare unguentum, quod fieri passim solet ex calce lota, posset esse plurimum utile ad scabiosos affectus. præsertim ubi sit aliqua exscalptu illata cutis excoxiatio. Passim tamen in usu sunt quedam medicamenta, quæ vulgò unguenta ad scabiem apud apothecarios dicuntur. Fiunt autem ex multis eorum, quæ à nobis nuper relata sunt commixtis, quorum duplex est ratio. Prima quidem illis maximè apta est, in quibus neque admodum contumax & difficilis est morbus, corpusque mollius & tenerius subindeque delicatius est, ut puerorum & foemellarum, & eorum qui in umbra & otio vitam transigunt. Et quamvis vario conficiatur modo: ego tamen illum referam qui magis tritus magisque in usu est. Accipiunt ergo terebinthinæ, vel laricinæ resinæ, exempli causa, uncias duas, butyri recentis drach. j. ouorum lutea duo, salis communis unciam mediam, succi malorum medicorum, quæ appellantur arancia quantum satis esse posse videtur, olei rosacei parum, ex omnibus simul mixtis faciunt molle medicamentum, quod ad ignem vel solem deliniunt fricando scabiosas partes. Lenit enim detergitque & desiccet modestè, & præterea extrahit excrementa subiecta & impacta



cuti ad exteriora. Solet autem lauari refina, interdum autem & butyrum, & pro lotionis modo additur, aut detrahatur vis medicamentum. Nam si aqua communi lauetur, mitius fit: si enim quidpiam acrimonie in sit refinae, lotionem lenitur: si autem alia re lauaretur, sicuti rosa facea aqua, minus calefaceret, melius oleret medicamentum, aliquantisper etiam roboraret cutem astringendo, & quoquomodo repelleret ingruentes in eam humores. Idem praestaret, si succo rosarum, verum magis ad detergendum adiuuaret, & digerendum, & odoratius redderet medicamentum. Possent lauari & succis & aquis earum herbarum, quae vim habent delendi scabiem, quas paulo ante recensuimus, ut est malua utraq; fumaris, apium. Efficacior esset chelidonia, rumex etiam, vel lapathum, oxalis: praeter omnibus autem alijs, si ex decoctione vnius vel alterius veratri. His enim lota refina & butyrum, longe valentius redderetur medicamentum. Si vero voluissent antiqui medicum adhuc valentius reddere aliquod sulphuris igne non experti addidissent, interdum & oleum quod laurinum dicitur. Delicatiores tamen horum ingratus odorem non facile admittunt. Arabes autem & qui illos secuti sunt in multo usu habuere hydrargyrum, quod vniu argentum nuncupamus, & est sane efficax admodum medicamentum in his affectibus etiam difficilibus.

cilibus & inueteratis tollendis. Vnde si prædi-  
 ctæ confectioni addatur aliquid hydrargyri ex  
 salina hominis præsertim ieiuni extincti vel  
 ex succo arancij in præsentia appellati, aut li-  
 monis, erit valens & forte medicamentū, qua-  
 lia ea sunt, quib. inungi solēt artus, præsertim  
 verò manuum articulis & pedum aut etiā vo-  
 læ & plantæ eorum. Fit aut magis vel minus  
 vehemens medicamentū quatenus plus, vel  
 minus additur hydrargyri. nā vel semiuincia,  
 vel iij ʒ. vel ʒi. s. indi potest, et id habita tam  
 corporis ratione, tū verò affectus. Conficiun-  
 tur autet innumera alia medicamēta similis  
 ferè nature, quorū tamen materia sunt medi-  
 camēta simplicia, q̄ hætenus fuere exposita:  
 maiorē vim habēt ea q̄ aut sulphur, aut chal-  
 canthum, aut chalcitē, aut hydrargyrum, aut  
 quod sublimatū vulgò appellant, aut veratrū  
 vtrunq; accipiunt, vtebantur tamen & alcyo-  
 nijs antiqui. Sed nolumus diutius in his ver-  
 fari, satis enim excreuit tertius hic liber, & vl-  
 tra quam putaremus: vnde iā finem illi facie-  
 mus, & interim ad quartā istius tractationis  
 partē nos accingemus. In qua de Localib. me-  
 dicamentis agemus, in quibus maximā vim  
 habet indicatio, quæ accipitur à locorū defi-  
 nitorum natura, & à capitis summa cute su-  
 memus exordium: interim verò gratiæ  
 sint quantæ possunt Deo optimo  
 & maximo.

VICTORIS  
 TRINCAVELLI  
 PHILOSOPHI ET  
*Medici Veneti.*

De Compositione ac Vsu medica-  
 mentorum,

LIBER QVARTVS.



DEO Opt. Maximo, qui bono-  
 rum omnium principium est, & fi-  
 nis, initium nobis nunc iuvenes  
 studiosissimi quarti istius nostri la-  
 boris libri petendum. Cum compendij, ac for-  
 mæ huius nostrorum de vsu, & Compositio-  
 ne medicamentorum, quos Deo dante aliquã-  
 do edituri sumus commentariorum iam tres  
 libri à vobis me prælegente fuerint excepti,  
 & rogandus Deus ipse, vt nobis adsit, faxitq;  
 vt noster hic labor ad ipsius præsertim hono-  
 rem referatur, & in vestram vtilitatem, & gra-  
 tiam, quibus, vt morem geramus, hanc pro-  
 uinciam suscepimus, possimus & postremo  
 huic nostri compendij libro finem imponere:  
 nam eo absoluto tum omni studio ac diligen-  
 tia operam dabimus, vt commentarij ipsi ad  
 finem optatum perducantur, ac deinde in lu-  
 cem edantur. Huius autem libri argumentũ,  
 ni fal-

ni fallor, non erit aliorum librorum argumen-  
 to minus difficile, sed longè magis varium,  
 cum de illis medicamentis simus acturi, quæ  
 propria & particularia certis ac definitis lo-  
 cis, ac particulis in humano corpore particu-  
 latim adhibere solent medici in curandis affe-  
 ctibus, vnde etiam ferè nomen accepere, & in  
 ijs curendis diuersâ curationis methodû indi-  
 cet non solû diuersa affectus secundum se na-  
 tura, verùm, & ipsarum, quæ male affectæ sunt  
 particularum. Fieri enim quamuis possit, vt  
 idem specie sit, quantum ad affectus naturam  
 & essentiam pertinet, in diuersis particulis  
 morbus: quia tamen ratio particularum varia  
 admodum, & diuersa est, quibus medica-  
 menta aptanda & accõmodanda sunt: necesse est,  
 vt varia etiam tam vsus, quam compositionis  
 medicamentorum methodus euadat. In his  
 autem tractandis hoc rudimentum nostrum,  
 siue quarti libri commentariorum nostrum  
 compendium partiemur pro particularum ra-  
 tione, & eum ordinem sequemur, quem Gale-  
 nus, & plerique medicorum, celebriores sal-  
 tem secuti sunt, qui idem argumentum tracta-  
 uere. Inchoabimus igitur à capite, & ab illis  
 particulis, quæ in capite sunt. Nam trium pri-  
 marum & præcipuarum partium, quæ in cor-  
 pore sunt, ac insigni & conspicuo interstitio  
 distinguuntur, atque continent tres princi-

pes facultates, quæ vniuersam corporis rationem administrant, subinde eas particulas, quæ harum facultatum sedes sunt, & illas etiam, quas ipsis alioquin ministrant: prima quidem illa est, quæ caput à nostris, à Græcis *κεφαλή* dicitur: quæ continet membra animalis facultati deseruientia: altera verò, quæ *σώμα* à Græcis, à nostris verò pectus nuncupatur, quæ ea continet, quæ vitali ministrant. Tertia verò quæ Græcè *κοιλία*, Latine verò ventris seu alui appellatur, & est quasi armarium earum particularum, quibus tanquam instrumentis vititur naturalis animi vis. Postea verò sunt extremæ partes, vt brachia, & manus, crura, & pedes quæ motricis facultatis præsertim sunt instrumenta. Vnde à capite ad alias partes eo ordine descendemus, quo sunt à natura digestæ. Sed & illud addamus quod in vnoquoque vnâ tanquam primam & præcipuam respiciant omnes particule, quæ his tribus quasi ventribus comprehenduntur, (in hoc enim iuniores nostros sequemur, qui in tres ventres corpus partiuntur, supremum caput nuncupantes, medium thoracem, infimum verò inferiorem ventrem, seu aluum: licet antiqui caput ventrem nuncquam vocauerint. sed quia res hæc circa nomina tantum versatur, id non multum faciemus nec in eo multum immorabimur, quia huiusmodi

modi quæstiones, in quibus de nominibus est tantum controuersia, Galen. sequuti semper uti ineptias libenter prætermisimus) reliquæ tamen superuacuz non sunt. Omnes enim propter illas præcipuas à summo illo rerum omnium opifice ita sunt procreatæ, ut earum ministerium, aut plurimum utile, aut ad modum necessarium sit. Aliæ enim fabræ factæ ut alimentum subministrēt, aut alioquin materiam circa quam illa operatur: aliæ ut excrementa, quæ ex concoctione non possunt non generari, attrahant & excernant, ne re-tenta turbent omnia aliarum munia: aliæ vero ut has complectatur, contineant, foueant, defendantque. Ac licet oporteat medicum, qui recte & ex methodo velit harum omnium affectus, tum per alia instrumēta, tum vel mamē per apta medicamenta curare, earum omnium exquisitam cognitionem habere: non tamen ad præsens institutum pertinet, particulatim omnia hinc distinguere, sed tantum summatim ea recensere, quæ alibi diffusè & per diexodum à medicis, præsertim verò à Galeno fuere exposita, quæq; à nobis hinc tâquam posita & constituta sunt accipienda: & ne sæpius eadem repetendo tempus conteramus; orationem ad caput conuertamus, de quo pri-mus est habendus sermo. In illo ergo plures continentur partes, quarum princeps est cere

brum, quod quemadmodum in lib. de Hip. & Plat. plac. præfertimq; in 2. & 7. concludit Gal. quasi facellum est animalis facultatis, ut in præsentia Hippoc. Platonem & Galenum sequamur. Huic enim sententiæ facilius, & clarius poterit accommodari methodus, quæ nostro huic scopo attinet. est et initium omnium sensuum. Vnde particulæ quæ sunt sensuum exteriorum instrumenta, præsertim verò quatuor circa caput sunt, nec fortasse aberrarem, si diceremus intra caput. Nam in caluaria in anteriori parte duas habent foueas oculi, à quib. maiori ex parte comprehenduntur. Immo & eorum tunice, quibus sunt inuoluti, sunt propagines membranarum cerebri. Instrumenta autem tam odoratus, quam auditus, & gustus potius interna sunt, quam externa, quæ item sæpe inseruiunt ad excernenda excrementa, quæ copiosa generantur in cerebro. Sunt præterea intra caput multi nervi venæ, & arteriæ, quarum munus non est cur in præsentia exponamus, cum horum ratio alibi sit petenda. Partes verò capitis quæ hæc continent, sunt primum extima cutis, quæ hac parte ab alijs cutis partibus in humano corpore, si non omnibus, sed pluribus differt, quod non vniuersa, sed multis, & magnis partibus naturæ instruito pilis obducta est. nam in summa parte capillata est, ex anteriori cilia

habet

habet & supercilia, circa mentum, & vtrinque barbam in masculis procreat. Nam si Galenum sequamur in libro primo de compositione medicamentorum secundum locos capite secundo, si in alijs partibus pili expullulant, id fit magis quasi ex accidente ex ratione materiae quam propter insignem aliquem finem aut vtilitatem. cilia autem & supercilia quasi necessaria oculis sunt. ex barba masculis ornamentum, grauitas, veneratioque accedit. capilli quidem, & ipsi caput faciemque exornant, sed & caput ab externis peregrinisque impressionibus, vt à radijs solaribus, frigore atque id genus alijs defendunt. Sub cute est membrana, quae à Graecis pericranium dicitur, ob id quia cranio hoc est, caluarię circumquaq; fit obducta. sub pericranio est caluaria, sub caluaria duæ membranæ, quarum exterior crassior & durior, interior tenuior est, quæ cerebro quasi eius tunica, vel cuticula hæret, illud continet. Et quia medicus est artifex, qui, vt ferè in prouerbio est, plerunque sensum solet sequi, externæ vero, continentis partes priores se offerunt sensibus, & prima cutis: de istis ergo, & primum de cutis capitis affectibus per medicamenta curandis, quatenus capitis est, agemus, hoc est de illis affectibus, qui illi attribuuntur ratione illius ferè priuilegij quod peculiariter



consecuta est à natura quatenus capitis est, nempe vt capillata sit. nam quantū ad alios affectus pertinet, qui sunt illicōmunes, & quasi ijdem cum alijs partibus cutis, possunt ea quæ in priori libro fuere descripta esse satis, ne iusto longior euadat præfens tractatio.

*De Topicis medicamentis accommodatis ad affectus cutis capitis curandos.*


Cap. II.

**N**on est autem vna, simplexque ratio affectuum, qui proprij sunt cuti capitis, sed multiplex & varia. Alij enim illi accidunt quatenus capillata, alij verò vt secundum propriam suam naturam considerantur, vt capillatę accidunt areæ, quæ à Græcis dicuntur ἀλωπεκία vel ὀσιόσις, caluities, quæ à Græcis φαλκίσις nuncupatur, & defluuium capillorum, quod non habet proprium aliquod nomē Græcum vel Latinum. Alij verò in ea oriuntur aggenita aliqua illi materia præter eius naturam ex excrementitio & vitioso humore ad illam delata, vt in affectu, qui πιτυρίασις Græcè, porrigo verò, vel vt alij furfuratio Latine dicitur, in quo squamulæ quasi insperisæ sunt ipsi cuti, quæ furfuribus sunt similes, vnde & nomen habuit. pityæ enim furfur Græcè dicitur: itemq; in illo qui  
Græcè

Græcè *φθειράσις*, Latinè verò pedicularis morbus, in quo multa animalia generantur, quæ *φθειρά* à Græcis, à Latinis pediculi appellantur. Alij verò propriè in substantia ipsa cutis proueniunt, sunt enim tumores, qui præter naturam in cute excitantur, & erumpentes in vlcera desinunt, vt sunt qui *αχρῖδες, κνεία, ψυδέρια* à Græcis nuncupantur, à Latinis verò omnia communi nuncupatione dicuntur vlcera capitis manantia, propterea quia tenuis quidam ichor vel sanies emanat. De medicamentis ergo quibus hi affectus curandi sunt, vel à medicis curari solent, ac de recto eorum vfu in præsentia agemus. primūq; de illis quæ ad capillos pertinent, non quod verè capillorū proprij affectus, quia morbi propriè referuntur ad partes corporis, quæ animæ viræq; sunt participes. capilli verò, neq; viuunt, neq; propriè quanuis sint vtiles homini, partes cœnendi sunt, sed potius sunt aggeniti cuti ex excrementitia materia. Sed affectus qui ad ipsos spectare videntur proprij sunt cutis, qui in eius intemperie cōsistunt, vel cū materia, vel citra illam: quæ verò capillis accidunt, sunt symptomatica hos cutis affectus cōsequentia. Vnde neque curandi indicationes à capillis petuntur, sed ab affectionib. quæ in cute sunt, quarū cognitionē inuestigam⁹ ex obseruatione eorū q̄ capillis cōtingūt. duo verò vitia solēt capillis

contingere ex male affecta cute, vt i. de comp. med. secund. loc. in pr. docuit Gal. Nam naturalem suum colorem immutant in alium, alienum à sua natura, turpem & deformem, vt in vitiliginibus, quæ à Græcis *λοχι* dicuntur, de quibus in præsentia non agemus, quia non est is affectus proprius cutis capitis, sed communis vniuersæ cuti. Mutantur etiam in areis vt dicemus, ex parte capilli, vt quasi linei videantur. Alterum verò vitium est, quod cadunt & cutim nudam relinquunt, aut rari admodum relinquuntur, & destituitur quidem cutis capillis, vel quia ipsa reddita est inepta ad eorum generationem, vel quia non eas vires habet, vt eos continere possit, qui, vel geniti sunt, vel generantur, sed illos decidere permittere vt in capillorum defluuio, vel quia vitiosis humoribus qui cuti infixi eroduntur illæ, quæ quasi radices infixæ sunt cuti, à quibusque capilli pendent. illis autem erosis, cadunt necessitate quadam quod in areis accidit, quæ à Græcis alopeciz & ophiafes dicuntur. quæ re, & essentia sunt vna & eadem affectio: figura tantum differens. Nam in alopeciz, cum incipiunt cadere capilli vltterius progreditur depilatio q. recto tramite. aiunt autem nomen habuisse à vulpibus, quæ maximæ sunt huic affectui obnoxiz. in ophiafi autem, obliqua & flexuosa fit depilatio, vt imitetur anguem serpentem

pentem per flexuosum iter. Vnde etiam inditum illi est nomen illud. Affectus verò cutis à quibus eueniunt, sunt raritas & laxitas cutis, quæ sequitur eius consumptionem propriæ & vtilis substantiæ cutis & defectum vtilis materiæ, ex qua possunt capilli procreari, vnde in conualescentibus ex magno aliquo morbo plerunq; solent capilli defluere, multis etiam in autumnò idem solet euenire. Caluities verò sequitur ariditatem cutis. nam cum nimis exiccatur cutis, fit perinde vti tellus squalida, in qua nullæ expullulant plantæ. Vnde qui capite sunt sicciori, tempestiuus caluescunt: aræ verò ab intemperie cutis cū materia vitiosa, & tum ad capillos generandos inepta, tum verò radices capillorum corrupte vel erodente. Sed de caluitie, cum sit quasi naturalis affectus consequens plerunque exiccationem, quæ rationem ætatis sequitur, quamuis accedente ascititia etiam alia causa, cur corpus præsertim verò cutis citius & magis arescat, possit accelerare, non multa dicturi sumus. vtpote quia illam credimus nequaquam posse euitari. etsi quidam fuerint, qui crediderint eam posse tardari, sed cum proxima causa eius sit cutis ariditas & quasi squalor. si aliqua poterit ratione fieri, vt tardius caluescant: id ea erit, quòd procuremus, vt corpus & præterea caput quo minus



## 40 DE COMP. MEDIC.

fieri potest, siccescat, quod fieri poterit, tum victus ratione, tum verò ab his cauendo, quæ vim siccandi habent. Vnde hoc affectu relicto de capillorum defluuio agemus, vt à simpliciorib. incipiamus. Cum ergo defluuium id quantũ ad præsens institutũ attinet, duas causas habeat, raritatẽ & laxitatem cutis, quæ nõ potest firmare radices, ac stabiles eas stringendo reddere, & inopia præterea materiz vtilis, vnde possit cuti subministrari talis substantia, quæ apta sit ad capillorum generationem, duæ primæ exurgunt inde indicationes, altera ab affectu cutis, quæ nobis indicat cuti esse addendum robur, vt validè possit radicem capillorum retinere. altera verò, corpus esse reficiendum: sed hæc nihil in præsentia ad nos pertinere videtur, cum illam victus rationem ad hunc scopum accommodatam spectet: altera verò scopum maximè nobis offert, cui præcipue medicamenta, & præsertim ea quæ exterius solent adhiberi accommodantur. quamuis & priori scopo possint medicamenta esse vtilia. cum non solũ sit opus copia materiz apte ad generationem capillorum, verũ etiam vt illa ad cutem feratur. Vnde ad hoc possunt conferre medicamenta nempe si modestam aliquam vim habeant attrahendi, modestam, inquam, quia cum attractio à calido fiat, quæ validè attrahunt, pos-

sunt

sunt, & subinde attractam materiam digerere atque ita vacuare. Duo ergo hi scopi spectandi in compositione & usu medicamentorum, quibus succurrendum est defluentibus capillis: nempe moderate attrahere, & modeste astringere. Alioquin enim inmodica astrictio, præter id, quod nimis exiccat, consistens & cogens cutim, impedimento est, quo minus in ipsam possit pertransire fuliginosus vapor, qui vi caloris concoquentis vtilem illam materiam attollit, ex quo coarcescente & exiccato, fit capillus. Iam ergo nulli non euidens esse potest, qualia oporteat esse medicamenta huic instituto apta, nimirum que tum astringentia, tum attrahentia sint, sed moderate. Addit tamen Gal. quod cavendum est ab astringentibus validis, ea etiam ratione, quia hæc plerumque etiam frigida sunt. quæ verò refrigerant & astringunt, repellunt & auertunt materiam quam attrahunt. Quamuis autem ex diuersis auctoribus antiquis Gale. multa descripserit medicamenta, ipse tamen ait, duo ferè nobis posse sufficere, quæ & semper ab ipso præ omnibus alijs sunt habitæ tanquam optima, & experientia comprobata, & ea quidem simplicia sunt & facultate similia, nempe ladanum, quod sincerum & naturale sit, nullo sanè artificio transmutatum, & oleum lentiscinum. Vtrumque enim eatenus calidum est, ut attrahere

modicè possit, non insigniter digerere, vtrum  
 que etiâ est modestè astrigens. Quod si vtrum  
 que commisceatur in confectionem vnius me  
 dicamenti ea mensura vt inde fiat, vt iuniores  
 loqui solent, linimentum, vel molle vnguen  
 tum, quo cutis inungatur, optimum erit medi  
 camentum. Quòd si lentiscino oleo careamus  
 alio erit vtendum, quod sit modicè alicuius a  
 strictionis particeps, vt erat eo tempore Hispa  
 num oleum. hîc autem apud nos quod affer  
 tur ex vicina regione, quæ Istria appellatur,  
 posset esse aptum. Nam non est aliquantule a  
 strictionis expers, præsertim æstiuo tempore.  
 nam si frigidior esset temporis status, posset ac  
 cipi & mastichinum. Non erimus autem lon  
 giores in his exponendis, cum neque affectus  
 tanti sit momenti, vt admodum diligentem re  
 quirat disquisitionem, nam vt ait Gal. solent  
 frequentius ægrotantibus vel conualescenti  
 bus capilli defluere, quibus dum vtuntur pro  
 ba victus ratione, qua reficiantur, sponre & si  
 ne vlla & medicamentorum ope renascuntur.  
 Sed vnum prædictis ex Galeno addemus, lib.  
 primo de medicam. comp. secundum locos ca  
 pite secundo, quatenus ad rationem medica  
 mentorum pertinet. nempe quòd si nimium  
 videatur hoc defluuium, oportebit pro lenti  
 scino alijs vt oleis magis adstringentibus, si  
 citi myrcinum est, aut melinum, quod ex co  
 toneo

tonco malo conficitur . Alterum verò quod ad rationem vsus horum medicamentorum pertinet, est, quod detondendi sunt capilli saltem secundum maiorem eorum partem, vel etiam omnino auferendi, & ad cutim abraddendi. & hoc habito respectu ad statum aeris, ratione frigoris ne caput lædatur. Ratio verò detrahendi capillos est duplex: altera, quia ante administrationem & iunctionem oportet vt cutis fricetur, nam & ita cutis calefiet & roborabitur, atq; inde fiet facilior ad eam attractio vilis materiae, & penetratio medicamēti. Sed & medicamenti compagem non eandem nec modum vnguinis semper eundem requirit ratio administrationis, quia si abradi sint omnino capilli vsque ad cutim, exigitur mollius & liquidius medicamētum, quo sit inugenda cutis: si ad cutim vsque non sint detonsi, crassius sit cataplasma, & hīc consistere volumus, vt in reliquis affectibus, qui maioris momenti sunt habeamus ampliorem locum tractationis. Agamus ergo de areis, quæ vulgo & à nostris fere vulgaribus chirurgis tineæ appellantur. quarum ratio non est, vt diximus, ita simplex vt eorum quæ hætenus sint tractata. Nam affectus priores in solam intemperaturam relati sunt, hi autem in temperaturam cum materia & illa vitiosa. Sed hīc paulisper consistendum, & petito quasi exemplo à Galen. in lib.



## 44 DE COMP. MEDIC.

primo de composit. medicamentorum secū-  
 dum locos, res hæc magis explananda, qui ge-  
 nerationem capillorum, & pilorum reliquo-  
 rum confert cum ortu, & incremento herba-  
 rum ex terra nascentium, & terræ quidem si-  
 mile officium præstare cutim ait. naturam au-  
 tem utrobique esse, quæ tam herbas, quàm ca-  
 pillos procreat, atque illis medicamētum sug-  
 gerit, sed illi necessaria est apta materia ad ha-  
 rum rerum procreationem & incrementum.  
 Nam vnaquæque res crescit ex simili materia  
 illi ex qua generatur. Et quamuis pili nō pri-  
 priè ut herbæ incrementum habeant. illæ e-  
 nim nutrimento propriè crescunt, & secundū  
 omnes dimensiones, pili verò propriè non a-  
 luntur neque crescunt, qui non nisi in longi-  
 tudinem crescunt, addita semper noua mate-  
 ria radici, cum qua concrefcit, & extra illam  
 expellit atque ita longior fit capillus. Sed quo  
 modocunq; res hæc se habeat, hoc est illi qua-  
 si alimentum & incrementum suo sane modo  
 & quantum sua fert natura, & quantum no-  
 stro instituto in præsentia potest esse satis.  
 Vnde sicuti duobus modis sterilis & nuda  
 herbis fit terra, eisdem vel similibus rationib.  
 cutis glabra & destituta capillis esse potest. &  
 vtraque ratio in materiæ defectum refertur.  
 quamuis non sit eadem defectus ratio. nam  
 aliquando defectus est ex cuiuscunq; humo-  
 ris pe-

ris penuria. sicut quando arefcunt campi ex nimia siccitate, intereunt herbæ quæ ortæ erant, ex inopia humoris, & inde neque aliæ possunt oriri. Aliquando verò nō ex omnimoda humoris inopia, sed humoris vel materiæ aptæ ad generationē & alimentū plantarum, vt in hortu quando aluntur ab aquis falsis, vel nitrosis inundantibus. Priori modo fit caluitium, nepe ex nimia cutis ariditate, & aliquo etiam pacto defluuium capillorum: altero verò areæ. Dum enim affluit vel corpus vniuersum, vel caput malis & vitiosis succis, qui sicuti non sunt congruentes alendo corpori, imo sæpe bonos & vtilis vitiant & ineptos naturę reddunt: ita halitus vel vapores ab illis attolluntur vi caloris natiui, qui que materia aptæ erant gignendis capillis, huic muneri sunt inepti & inutiles, nec modo ipsi sunt inutiles, sed accedentes ad priores, qui erant iam in veluti radices conuersi, à quibus pendebant capilli, eos vitiant & corrumpunt, & interdum corrodunt, vt cadere cogantur. Solent autem hi affectus plerunque esse soboles prauorum ciborum, & malæ victus rationis. Congesti verò sunt vitiosi hi succi qui hos fouent affectus, nonnunquam in vniuerso corpore, nonnunquam in solo capite: interdum etiam vitio ipsius cutis ex affectu qui proprius factus sit ipsius cutis, Nam cuti illud accidit, quod et

reliquis partibus, ad quas cōfluit vitiosus humor. Ab illa enim tandem vitiatur & corrumpitur eius habitus vel temperamentum, vt quantumuis ad eam optimum deferatur alimentum, corrumpatur tamen ab intemperie in illa contracta, & in vitiosum succum degeneret, qui affectum fouet. Vnde consuluit Galenus vt inter initia anteaquàm inueterascat malum, & fiat cutis primarius affectus, eius curationi incumbamus, quia alioquin difficilius fit semper, & maiori negotio superatur. His autem in hunc modum expositis, facile erit methodum curandi hos affectus constituere & inire rationem componendi apta medicamenta huic curationi, atque illis vtendi. Nam cum morbus hic materiam præsentem & fouentem habeat, & intemperiem, quæ ab illa fouetur, non erit simplex indicationum, & scoporum ratio, sed multiplex: nam & materia præsens suam habet indicationem, suam etiam habet intemperaturam, & harum vtraque duplicem potest habere rationem. Quia materia illa aut occupat vniuersum corporis habitum, aut caput duntaxat, quæ cuti hæres proximè cutim afficit, & pro diuersitate loci diuersam etiam curationis methodum exigit. Ita etiam cutis intemperatura, vel iam eò deuenit, & ita impressa est, vt facta iam sit & independens, nempe vt vel remota quacunque

vitiosa

vitiosa materia, ipsa adhuc maneat, & in causa esse possit, cur iterum corrupto nutrimento possint congeri vitiosi succi fouentes hoc malum, vel cutis nondum proprium et primariū contraxit vllum affectum, sed eius vniuersa ratio à præsentibus malis humoribus pendet. Quatenus autem ad primum pertinet, si corpus, vt Græci aiunt, sit cacochymum, erit omnino inchoandum ab eius purgatione, & pro ratione humorum congestorum erit etiã instituenta purgatio, & Gal. in 1. libr. de comp. medicam. secundum loca sequamur, itidemque in libello de facile parab. med. cap. 6. nõ enim semper ab eisdem excrementis excitatur is affectus, sed à diuersis. Quandoq; enim à vitiosa pituita, interdũ verò à bilioso humore, crasso tamen. nam idem Galen. in libel. de facile para. proximè citato aut à crassis succis ortum habere areas, nonnunquam à melancholico. qui hæc distinguere eisdem libris docuit, notato nimirum colore cutis, an ad albũ vel ad pallidum flauum ãe vel ad atrum quoquo modo vergat, quamuis Alexander Tralianus obseruari potius colorem capillorum voluerit, mihi tamen magis Galeni sententiã probatur: quibus autem medicamentis id sit agendum, ad præsens institutũ haud pertinet. sed ad primum librum, & ideo de hoc non habebimus aliquem sermonem in præsentia.

Corpore autem purgato, & præterea, si ea humorum malorum copia habeat occasionem ab aliquo interno viscere, ex aliquo prauo affectu in illo contracto, illi etiam esset consulendum. Postea ad caput purgandum esset accedendum: nam & ipsum proprium habet modum, quo particulatim purgari potest, per ea quæ apophlegmatizata dicuntur, quasi pituitam educunt, quorum ratio varia. Nam alia per nares attracta purgant, quæ Græci *er rhina* nuncupant, alia gargarizata, alia verò commasticata. Sed de his, ubi de internarum partium affectibus curandis erit sermo magis particulatim agemus. Unde ad præsentem locum attingere videtur, ut ea tractemus, quæ priuatim spectant ad morbum iam factum remouendum. nempe ut & vitiosos succos cuti insidentes detrahamus, & si vitium aliquod reliquum sit, post vacationem, illud etiam aptis medicamentis corrigamus. Neque tamen purgandum, quod oportet eiusmodi moliri vacationem per medicamenta, quæ soluentia & purgantia propriè dicuntur, quamuis sæpe tollatur omnino etiam malum hoc per diligentem purgationem & rectam victus rationem: si inter initia id moliamur anteaquam vitiatum sit cutis habitus. Purgato enim corpore & subtracto fomêto, quod illi subministrabatur natura ex se aliquas reliquias non multas digerit

gerit absumitque. & per rectam victus rationem, genita vtili materia in copia, capilli sine alia ope regenerantur. Verum vbi inueterauerit affectus, & vitiosi succi copiosi sunt cuti infarcti, non satis erit vniuersi corporis neq; capitis vacuatio: sed topicis remedijs erit opus, quibus vt diximus, digeratur & absumatur copia illa excrementorū, roboreturque, & cutis intemperies corrigatur: quod quidem officium ad præsens hoc nostrum institutū pertinet. Agamus ergo de medicamentorum ratione, quæ apta & opportuna huic negotio sunt censenda, & quia ex methodo institui-  
mus agere, primū institutiones propriæ sunt depromendæ, quæ nobis scopos ostendant, qui in eligendis & componendis medicamentis sunt spectandi. primariæ verò ac magis præcipuæ indicationes à duobus petendæ sunt, nempe à loco affecto & à natura ipsius affectus. Locus affectus est cutis capitis, quæ reliqua cute ferè durior & crassior est, atq; propterea valentiorib. opus est medicamentis, quorum vis perueniat ad altiores eius partes, quibus capillorum radices infixæ sunt. Affectus autem est in temperatura cum materia crassa atque impacta cuti, vt non facile possit discutiti, & inde elui. Quatenus autem ad hoc postremum pertinet, discussorijs egetus medicamentis. horum. n. ope vacuantur, quæ q. absol-

pta & impaeta sunt in substantia particulari.  
 Sed & illa non minus oportet esse tenuis sub-  
 stantiae, & tenuioru partiũ, alioquin. n. nequi-  
 rent in profundũ, vt opus est, se indere, neq;  
 è profundis partib. materiam aptã ad capillo-  
 rum generationẽ attrahere, præsertim vbi par-  
 ticula crassa & dura est. hoc verò sequitur, vt  
 sit necesse id genus medicamenta non esse pa-  
 rum calida, vt tamen neq; quicunq; modus  
 caloris sit huic negotio futurus vtilis. nam ne-  
 que is esse debet, vt cutim vrat, vt cuique po-  
 test esse perspicuum, sed neque prætereantur-  
 tus, vt quãuis non vrat, nimis tamen exsiccet.  
 Nam inter initia quidem videbitur plurimũ  
 pfecisse: mox verò cutis euadet illi similis, q̄  
 conspicitur ira illis, qui caluescunt. Oportet  
 igitur ea medicamenta eligere, quæ tenues ha-  
 beãt partes, & intra certos quosdam & præfi-  
 xos terminos calefaciunt, qui tamẽ non in o-  
 mnib. neq; vbiq; neq; semper possunt esse ij-  
 dem. Ratio verò diuersitatis à naturali laborã-  
 tis temperatura accipiẽda est ab ætate, à sexu  
 à regione, à tempore. nam corpora iuniora &  
 molliora lenioribus & facilioribus egent, tam  
 calefacientib. quàm desiccantib. hieme etiã  
 facilius ferunt calidiora medicamenta. His in  
 vniuersum explanatis opportunum sanẽ erit  
 vt particulatim de medicamentis accommo-  
 datis affectib. his curandis agamus, ac de apto  
 eorum

eorum vsu. Prius tamen id considerandū est quod ex Galeno & alijs auctoribus antiquis facile depromi potest: nempe quod arduum admodum est aliquod reperire simplex medicamentū, quod ad amussim possit ita statim aptari affectui, vt sit quantū satis sit pro ratione ipsius quatenus magis vel minus inueteratus, sit etiam maior vel minor & quantū etiā ratio corporis affecti requirit ex naturali eius tēperatura et etate, & sexu, et id gen<sup>o</sup> reliquis. Vnde multa solēt proponere, & ea diuersorū ordinum, vt vnusquisq; pro arbitrio suo ea eligat, quæ illi videntur p̄p̄ius accedere ad rationem scopi, quæ sibi iuxta certam mensurā p̄scripserit. docēt p̄terea, quo modo & ea quæ intensiora & aciora videntur possunt remitti & mitigari, & quæ remissiora, intēdi & aciora reddi. Gal. ergo horū meminit i. de comp. med. sec. loc. & in hunc ordinē redigit, vt primum & supremū locū tū caliditate, tū partiū tenuitate retineat euphorbiū. mox verō illud sequatur thapsia, quæ planta est ferulacei generis, & copiosa nascitur in Calabria, Piceno, & Apulia, acre admodum calidumq; medicamentum, quod inter rubificantia & vesicātia cutem recensetur. Hanc vim habent folia, infusum etiā radix & p̄sertim lacryma vel succus, qui veluti in lacrymā concreuit. his succedūt semina sinapi, & nasturtij, & adarcæ, quæ



& lymnitis dicitur. Sed in præsentia neq; in usu est, neq; quod nouerim, nostris est cognita. Est autem veluti spuma cannarum tenuissimè in paludibus nascentium quæ concrefcit, vbi marina aqua dulcibus immiscetur. Res adeò acris, vt exurat: hæc sequuntur illis aliquanto inferiora sulphur, spuma nitri, atque ipsum nitrum, non tamen quodlibet, sed illud quod molle sit, non lapidosum, nam hoc tenuioris est substantiæ, quodq; prius fuerit vstû, exigue .n. adhuc tenuius fit sicut & spuma nitri. Quæ qualis sit nõ ausim ita facile affirmare, id eo neq; in illa exponenda ero. multus: Nec ab his admodum distat vtrumq; veratrum, cum nigrum, tum albû, & crucæ semen, oleumque laurinum, & his etiã accedit vtrumq; alcyonium: nempe quod à Dios. lib. 5. secundum & quartâ appellatur, & à Gal. quoq; præsertim in lib. 11. de simp. medic. fac. circa fin. c. 137. vbi de Alcyonio agit. & hæc apta sunt medicamēta siue prius exurantur, siue circa vstionem illis vtamur, præstantiora tamen sunt, si vrantur, eadem, quam nuper exposuimus, ratione nempe quia fiunt tenuiorum partium exigue Recentiores Arabes secuti, spumã maris vulgo appellant. Præterea ad hunc etiam scopû vtilis sunt cortices combustarum cannarum si sint exusti. In illis enim vt sensit Arist. exigue relinquitur, vt etiam in calce, aliquid

gncua

gneum, quod potest calefacere & ex profundo attrahere. Ab his deinde sequitur pix liquida, quæ vulgaribus quoque in his affectibus est in frequenti usu. & cedria, et muris sterco deinde verò, & sepum vsu recens, & hyenzæ, pardiq; & leonis, tandemq; & anseris, quæ cõerunt efficaciora, quo fuerint verustiora. Tempore enim adipes hi & calidiores fiunt, & tenuioris substantiæ, sicut & oleum, & tandem cætera omnia quæ calida sint, & tenuiù partium. In quibus essent & amarae amygdalæ vniuersæ cum suo cortice cõcremata. Ex his ergo, & id genus alijs simplicibus medicamentis conficiuntur composita omnia, quibus in his affectibus curandis vtuntur, & vti sunt medici. Verum antea quã de compositis agamus, quædam in vniuersum sunt explananda, quæ vtilia erunt siue simplicib. siue compositis si- mus vsuri. Primum quod illud, quod cum sit necesse in eorũ vsu præsertim obseruare quosdam terminos in medicamentorum horum viribus, quos si excedamus, aut nihil nostra proficiet curatio, aut etiam vt diximus, plurimum poterit obesse. Nam si fuerit eorum vis languidior, parum proderunt. Sin autem acrior & valentior, poterunt, vlcerata cute, aut nimis exsiccata, plurimum lædere. Vnde si his simplicibus vti voluerimus, illud erit primũ aduertendũ, quod ea q̃ in priorib. ordinib.

fuerunt proposita: per se omnino nimis acra  
 sunt & magis apta vt lædant quàm vt iuuent.  
 Postrema verò, sicuti pix, adeps vrsi, anseris,  
 & alia quæ similia sunt, satis sunt imbecilla,  
 præsertim in durioribus corporibus, & ma-  
 gis antiquatis affectibus. Vnde sæpe crito-  
 pus, vt vel in his vires addamus, vel alijs de-  
 trahamus, delinita & mitigata aliquantisper  
 eorum acrimonia & violentia. Vt tamen hoc  
 præ oculis habeamus, quod sæpe monuit Ga-  
 lenus: nimirum quod quia vix fieri potest, vt  
 statim prima die scopum, quem nobis propo-  
 sueramus adamussum attingamus, ita potius  
 agendum est, vt infra terminum subsistamus,  
 quàm vt supra progrediamur, et id quia dū de-  
 bilioribus aliquanto vtimur, in hoc tantum  
 erramus, quod parum proficimus, alioquin  
 autem neque obsamur. sin verò vltra procedi-  
 mus, possumus plurimum officere, proindeq;  
 longè tutius est, vt à leuioribus inchoantes  
 paulatim ascendamus ad fortiora, semper ob-  
 seruando quantum medicamenta in cutim  
 imprimant quotidie. Incipiemus autem pri-  
 mum ab horum simplicium vsu. Cum itaque  
 acriorum illorum pleraq; longe acriora sint,  
 quàm vt possit ea citra noxam ferre cutis  
 humana, si tamen ars recta accesserit, quæ illa  
 moderetur, non modo non nocent, sed potius  
 commodissima & aptissima euadunt. Mo-  
 deratio.

derationem verò accipiunt, si cum alijs immi-  
scentur à quibus aliquanto mitescant, refre-  
nata eorum acrimonia & temperata. vnde si  
oleo misceantur, vel cerato simplici, vel si alia  
desint, aqua eadem ratione dilui & leniri pos-  
sunt. Nam vt à cerato incipiamus, quod oleo  
duntaxat, & cera conficitur, mollissimum,  
quatenus ad vires pertinet medicamentum  
est, quo potest mollescere, & mitescere omnis  
acrimonia acriorum medicamentorum, si illi  
immisceantur, magis verò & minus, vt plus  
minusue secundum proportionem inditur a-  
cris medicamenti, hoc nos in tertio libro in alio  
negotio ostendimus. Nam vlceribus quæ  
carnis generatione egent, erugo, chalcitis, &  
id genus aduersariissima sunt medicamenta,  
vt quæ potius genitam erodant, quam quod  
nouam generent. si tamen cum simili cerato  
componantur certa quadam temperatūra, ad-  
eò mitescunt, vt carnem procreare possint. Ita  
in presenti negotio euphorbium, thapsia, sina-  
pis & reliqua, ipsa ex se cutem exurere, vesica-  
reque, & exulcerare validè etiam possunt, sed  
& à profundo attrahunt & potenter digerūt.  
nos autem attractione imprimis & aliqua di-  
gestionem egemus, vt tamen illud incommo-  
dum deuitemus, & attractio possit esse utilis,  
procuramus vt eatenus vis horum acris, & fer-  
uens temperetur, quod non amplius vrat, &

velicet, seruent tamen attrahendi & digeren-  
 di vim quanta nobis satis est. Verum horum  
 moderatio non est in omnibus eadem seruan-  
 da, sed motanda variandaque, tum pro ratio-  
 ne corporum considerata natura, etate, sexu,  
 regione, tempore, consuetudine & ite insti-  
 tutis. Corpora enim quo molliora & tenerio-  
 ra, & cuiuscunq; horum ratione id eueniat,  
 magis ab acris afficiuntur ledunturque,  
 tum etiam pro ratione horum medicamen-  
 torum, quatenus ad eorum etatem vel tem-  
 pus attinet. Quia quo recentiora, eo valen-  
 tiora sunt, viresque maiores retinent, quo ve-  
 ro magis inueterascunt, eo etiam magis eor-  
 um vires exolefcunt. Vt autem res magis par-  
 ticularim tractetur, imitabimur Galenum lo-  
 co superius citato. Aliquando satis erit si ad ce-  
 ratum sit duodecima pars euphorbij, non-  
 nunquam vndecima, quandoque decima, ra-  
 ro viterius, si euphorbij vires non inceperint  
 languescere ex etate. Eodem modo dicemus  
 de thapsia, quamuis enim illa sit aliquanto in-  
 fra euphorbium, poterimus in eius vsu, ali-  
 quanto esse liberaliores, non tamen multum.  
 Sed & affectum respiciendum, nempe si ma-  
 lignior & pertinacior videatur vel secus.  
 Quod vero de cerato diximus, id ipsum ado-  
 leum referendum erit. Vt enim cum cerato  
 miscentur, ita possunt dilui dissoluique copio-  
 so.

fo oleo, vel pauciori, vt commodatius citra ce-  
ram inungatur locus. Sed neque oleum quæ-  
rendum est, quod sit astringens, verùm id po-  
tius, quod tenue sit & digerens. Galenus ve-  
rò aqua diluebat hæc medicamenta, ita illis  
dilutis & remisioribus factis. Sed duo adda-  
mus adhuc, quæ nos Galenus monuit, atque  
mox ad composita transibimus, & hæc ratio-  
nem vsus spectant. Primum, quia plurimum  
refert, vt facillè medicamenta se in profundũ  
indant, & inde attrahant: ideo medici non so-  
lùm quærunt ea medicamenta, quæ tum calo-  
re, tum partium tenuitate facillè penetrent: ve-  
rùm nituntur ita affectum locum parare, vt fa-  
cilius ea dum penetrant, admittant reddito  
expeditiori transitu: vnde consulunt, vt ante-  
quam medicamentum medicus adhibeat, lo-  
cus fricetur, donec rubescat & caleseat. inde e-  
nim rarefit cutis, atque facilius transit vis medi-  
camenti. Alterum verò est adhuc momenti  
maioris. nimirum, vt medicus quandocunq;  
appositorus est medicamen, priori deterfo,  
aut alioquin ablato, diligenter cutem intuea-  
tur, notetq; quomodo illa se habeat, quamq;  
mutationem acceperit. quia, si nihil videatur  
mutata, signum erit languidum nimis esse me-  
dicamentum parumq; esse profecturum ni-  
si aliquid acris medicamenti addatur. si verò  
cutis videatur rubens, & quasi feruens, pe-

neq; principia aliqua inflammationis contraxisse, incepisseque aliquo modo excoriari, id indicabit validius, & acrius esse medicamentum, & proinde esse opus, vt de viribus detrahatur, vt præterea sit etiam danda opera lenientibus & sedantibus inflammationem, vt res ea mitescat antequam medicamentum aptum apponatur. In addendo autem aut detrahendo de viribus, attendendum est quid Galenus consuluit, qui recte monet, quod si præmanibus acerrima habeamus medicamenta, quæ superent exigentiam nostram vt euphorbium, thapsiam, adarcem, sinapin, illud erit molliendum & mitigandum oleo, vt diximus aut cerato aut etiam aqua. Sed si medicamentum quod in promptu habemus, lenius videatur, quam opus esset, illis erit dissoluendum, quæ eius vires excitare possunt, vt esset oleum laurinum. Sed de compositis aliquibus agamus. non tamen de omnibus: quatenus autem his probe perceptis iuuenes aliorum rationes facilius inire possint: hoc tamen prius considerandum, quod aliàs præterea in prioribus libris fuit à nobis expositum, nempe quod consuevere medici in cõficiendis compositis medicamentis rarissimè esse contenti vnico medicamento ad curandam vnã morborum differentiam, sed semper sunt necessaria plura, quæ aut easdẽ vires in vniuersum habeat,

& se-

& secundum speciem & eundem scopum respiciant, ordine tamen, vel ut iuniores loqui solent gradu differant, vel efficacia aut interdum etiã contrarijs, istius verò rei causa est, quàm paulò ante exposuimus: nẽpe quia differens est eorum corporũ, quę curanda sunt, ratio, & natura, differens etiam est morborum curandorum conditio tempore, magnitudine, malignitate, & pertinacia. vnde aliquando fortiorib. opus est medicamentis, aliquando infirmioribus, cũ semper oporteat spectare, quod medicamenta se habeãt vt se habent & morbi. hoc enim & Hip. docuit in aph. cum dixit, Extremis morbis accomodantur extrema remedia. potest autẽ medicus diuersimode sibi diuersa comparare medicamẽta secundũ propositam rationem. præsertim si peritus & versatus fuerit in materia medicinali, viresq; eorum simpliciuũ quę in promptu sunt, perspetas habuerit. Negotium autem hoc longe clarius euadet: si rem hanc magis particulatim tractauerimus, & medicamenta, quę ab antiquis & clarioribus medicis fuere composita, & multis laudibus elata: præsertim verò quę Galenus primo de compos. medicamentorum secundum loca, descripsit, explanauerimus. Ergo ibi confectionem istius medicamenti, literis mandauit, quod præterquam quod ea ratione compositum est vt possumus



inde sperare, quòd sit futurum optimum, illi etiam experientia adeo fauit, vt ille testatus sit, hoc se nulli secundum ynquam reperiisse. componitur autem in hunc modum. Accipit euphorbij, rhapsiæ, olei laurini singulorum drachmas ij. sulphuris viui, veratri alterutrius. in hac enim re nihil refert hoc vel illud accipiamus. singulorum drachmam j. cera 3. sex, liquefit cera ex oleo laurino vel cicino, vel cõmuni, sed veteri. aut si his omnibus careremus, possemus vti aptè oleo ex lucernis effuso, quod simile sit cicino & veteri: tũ quasi excoquitur in lucernis, & ad formam cerati, mollis tamen deducitur. cui reliquis prius intritis & inspersis optimeq; commixtis absoluitur medicamentum, quod præstantissimum iudicatũ est: sed non omnib. hoc pacto confectum cõgruens est, quia strenuũ admodum est & valentissimum. Vnde ad difficiles alopecias & plurimũ pertinaces, & malignas erit optimum, itemq; corporib. durioribus & solidioribus: mediocrib. verò aut leuioribus affectionib. item & pueris, mulieribus, & tandem molliorib. minus asperum acerbumque medicamentum esset. Sed de ratione compositionis, paucis tamen, vt iuuenes exquisitijs instruantur, agamus. Scopum sibi in conficiendo hoc medicamento proposuit, id parare, quod esset generosum admodũ & areas quam  
 tumlibet

tumlibet inueteratas & rebelles superaret, unde statim duo simplicia prima accepit, quæ in primo & supremo ordine sunt, vimq; maximam habent attrahendi ex profundo, ut ea essent tanquam fundamentum, vel ut iuniores aiunt, basis vniuersæ compositionis: ea verò sunt euphorbium & thapsia, quia tamen adeo acria sunt, ut humana cutis quantumlibet dura sit, eorū vim citra noxam & insignē quidem, ferre nequeat, vreretur nanq; & vlceraretur, necesse erat aliquantulum delinire, & refrenare tantū eorum vim, ut facilius ferri possit, aliorum aliquorū mixtura, bisariam verò hoc agi potest: nempe vel additis illis, quæ licet eisdem qualitatibus prædita sint, eas tamē remissiores habent, illis, quæ qualitatibus oppositis sint prædita, utpote quæ lenientia potius mollicentiaq; sint, & per hæc quidem maior fit repressio & refrenatio acrimonie, quā per priora. Vnde illis, quæ quasi robore extrema sunt, addit sulphur & veratrum, quorum primum in tertio ab illis ordine est, alterum in quarto, in quo etiā est laurinum oleum, quibus omnibus simul cōmixtis remanet adhuc vis medicamenti adeo robusta, ut ferè paucicam possint commodè ferè, quia autem instruerat medicamentum conficere, quod formam vel compagem cerati aliquo modo mollis haberet, ideo erat opus ceram illi ad-

dere, quæ emplasticæ est naturæ. potestque plurimum eximiam illâ vim remittere, quæ longè etiam remissior fuerit, si cera, quâ fundi & liquari necesse est, aliquo pingui humore fundatur, aliquo uero oleo laxante. ideo, ne a deo retundatur vis medicamenti, uoluit eam liquari aut laurino oleo, aut cicino, aut ueteri, uel adipe uersi, uel alio simili. ubi si rectè considerauerim, quæ tanquam basis sunt, & proportionè alia superant, nã eorum quatuor 3 accipiuntur, sulphuris autem, quod in tertio ordine est, vnam duntaxat accipit, olei uero laurini & ueratri, tres drach. nam quatenus ad ceram pertinet, illa tanquam materia medicamenti sumitur à Galen. Temperatius ergo hoc pacto redditum est medicamentum, ut & adulti & quibus exercitatione robustius & solidius redditum sit corpus, facile possint illud tolerare, potens quod sit superare difficiles cõtumaces, ac malignas areas, potentius tamen quàm ut qui habitu corporis molliori sunt possint perferre citrà noxam. sed neque mediocribus affectibus esset accommodatum. Quod si quis quærat. Cum sæpius areas solènt pueros & adolescentes corripere, sæpiusque affectus hi occurrant medicis non extremi & plurimum maligni, uerum potius mediocres ut proinde in frequentiori usu possint esse medicamenta mediocria & mitia, quâ ea quæ potentio-

tentiora sunt. rationi magis consonum fuisset, si Gale. quem nos volumus imitari, à minoribus incepisset, & in illis magis versaretur? Respondere huic obiectioni non est difficile. Dicimus enim quod quamuis non admodum sæpe utamur his ita valentibus medicamentis, possunt tamen frequentissimè esse in usu medico perito, & prudenti. Quia hoc genus medicamenti potest aptari pertinacibus, malisque affectionibus, nec minus etiam minoribus, & facilioribus, si artem caluerit augendi ac remittendi acrimoniam & robur eius virium, additis illis quæ possint id efficere, exempli causa, si cerari plus addatur, nam addita cera & oleo, aut alio liquore pingui, & molliente, laxanteque de viribus medicamenti detrahetur. Vnde licet fuerit hoc medicamentum tanquam vltimum descriptum, tamen superat medicamenta multa potestate. Possunt tamen, si quis voluerit, componi alia medicamenta infirmiora si dimittamus ea acriora medicamenta quæ ad primum ordinem ferè pertinent, vt est euphorbium, thapsia, adarce, sinapi, & vti illis quæ ad tertium attinent ordinem, quod quidem quopacto fieri possit ostendemus, petitis exemplis ab antiquis illis medicis, quorum meminit Galen. & ab ipso etiam Galeno. Nam docet, quòd si accipiamus vrsi adipem, atque et-

iam anferis, postquam nobis non ita facile esse potest in promptu leoninus adeps, vel leonæ vel pardi, quibus si duodecima pars thapsiæ, aut euphorbij, vel adarcij, vel omnium simul mixtorum erit commodum, nec admodum acre medicamentum. Sed si aliqua exemplum ex alijs antiquis auctoribus acceperimus, res hæc erit aptior. Heras huius meminisse, quod conficitur ex alcyonio, quod diximus in præsentia spumam maris à junioribus appellari, prius vsto, & ex oleo leuigato, præfertim si ex oleo fiat ex lucernis accepto, quod tenuius est, ut paulò antè diximus, hoc medicamentum ait Galenus, posse esse satis ad aereas medias magnitudine. moderatius autem erit quod fit ex amaris amygdalis vstis integris cum cortice, vel ex cannarum radicibus, vel earum corticibus itidem vstis, vel ex abrotano vsto, bis tritis, ex oleoque leuigatis & illitis. hoc autem aliquanto fortius est. Alterum eiusdem Heræ, quod fit ex seminibus nasturcij, erucæ, nitri, singulorum pari accepta mensura, & liquida affusa pice quanta videatur satis ad illa assumenda: poterit esse efficax medicamentum in pueris & mollioribus corporibus, si hæc quorum nuper meminimus, ut solent aliqui trita aceto excipiantur, & tantillum mellis addatur, alij hoc eodem modo vtuntur cineribus ex erinaceis marinis

nis vstis, exceptis vrsino adipe, alij laurino oleo. Vt tandem ad hoc munus omnia accommodari possint, quæ tenuis sunt substantiæ & è profundo attrahunt, & hîc volumus quantum ad hos affectus pertinet, consistere. Hoc eodem verò capite agemus de medicamentis aptis ad curandum affectum qui porrigo & pedicularis morbus à Latinis dicitur: Græcè verò *πυριαισις* et *φθειραισις*, quia neq; admodum dissimilem generationis, neque curationis rationem ab his habent, de quibus hastenus egimus. Vtrique enim ex vitiosis humoribus confluentibus ad curem originem habent, quamuis inter se hac ratione differât, quod pityriasis, quam nonnulli exprimere volentes vim Græci vocabuli, surfurationem appellauere, sit à tenuioribus & serosis succis, non expertibus tamen alicuius acrimoniæ, vel vt Galenus ait, ab ichoribus ipsorum humorum qui præ tenuitate possunt etiam pertransire cuticulam extimam, & ibi hærentes, concresecunt in corpuscula similia squamulis, vel surfuribus, vnde etiam deductum est nomen illud Græcum. decidunt autem dum vel unguibus caput, vel pectine scalpimus. Pediculi verò fœda admodum animalia ex crassiori humori, sed calido gignuntur in profundiori cute: præ crassitie enim nequit ad cuticulâ vsq; pertingere. vnde in parte cutis altio-

ri contentus, ibique putrescens, fit materia generationis horum animantium, quæ demum è cute erumpant. Differunt ergo furfures à pediculis loco in quo generantur, & natura materiæ ex quo ortum habent. nam illæ ex tenuiori, hic ex crassiori. Vt & hoc consideremus, quod insinuare visus est Galenus, tum primo de compositione medicamentorum secundum loca, tum verò tertio libro com. in 6. epidem. quod aliquando hæ affectiones sunt propriè ipsius cutis, utpote quæ consistant in vitiosa eius temperatura, à qua proprium eius alimentum corrumpitur in huiusmodi prætos humores. Aliquando verò ortum habent à cacochymia cõgesta, vel vitio alicuius visceris, vel vniuersi corporis, à quo cuti subministratur materia & fomentum, unde aut furfures, aut pediculi generantur. Ex his autem ita breuiter & in vniuersum explanatis, facile possunt indicationes, & scopi assumi, quæ nobis ostendant rationem componendorum medicamentorum, & eorundem etiam vsuum, quibus sit occurrendum his affectibus. Et vt primùm de illis in vniuersum dicamus, considerandum, quod non est semper eadem ratio curationis eorum, si ex proprio cutis vitio pendeant, & si aliunde occasionem habeant, vt aut ab vniuerso corpore, aut particularim ab aliquo interno viscere. Quia vt etiam

iam prius diximus, cum omnis occasio in cute est, solis externis & topicis remedijs erit opus: at si aliunde fomentum habent, primum procurandum erit, vt subtrahatur fomentum detracta cacochymia primum, quod fiet vacuato & expiato corpore à superuacuis & vitiosis succis. De hoc tamen non est cur magis particulatim verba faciamus, cum ad id præsens institutum minimè pertineat. Agemus ergo de illis medicamentis, quæ capiti vel cuti eius adhibita, prodesse possunt. vbi Galen. mouet quæstionem non modici momenti, quatenus spectat ad præsens negotium. Ea verò est, quòd cum sit iam à nobis dictum, quod aliquando hi affectus sunt veluti soboles vitiolorum humorum confluentium ad cutim. imò, si rem rectè extimare velimus, etiam quando illi sunt tanquam proprij & primarij cutis affectus, vix fieri potest, quin præ eius imbecillitate non foueantur à subiectis partibus, dubium videtur, an cum alijs medicamentis respicientibus proprios scopos de promptos à natura ipsius affectus fiat aliqua intermiscenda, quæ astringendo habeant vim repellendi ascendentes humores ab alijs partibus ad cutem. Atque Galenus quod si nos ea considerauerimus, quæ ab antiquioribus medicis literis tradita fuere, videtur illi sentire posse esse vtilem eiusmodi mixturam, præsertim



quando quædam proponunt medicamenta, quæ, vt aiunt, polliceatur, non modò hos affectus curare, verùm eam etiã vim habent, vt non amplius fiat in posterum eiusmodi affectio, & si ea nos perpendamus non deerit in eis astrictio, neq; tamen rem hanc dissoluit fortasse quia alijs in locis hoc definitum erat, quia non omninò tutus esset vsus id genus medicamentorum, quando aut ab vniuerso corpore, aut ab interno aliquo viscere affectus foueretur. Nam ea propter cutis procreata est imbecillior alijs partibus, vt facilius excrementa admittere possit, si tamen mundum esset corpus, possent in hunc vsum venire. Præcipui tamen scopi in quibus vniuersa ratio curationis posita est, non sunt omnino ijdem in porriginè & pediculari morbo: sicuti neq; eadem est materia, neq; idem locus in quo illa consistit. Cum enim tenuis sit materia porriginis hærens summæ curiculæ, illi satis erunt medicamenta, quæ modestè digerant, & aliquantum etiã detergant, pediculorum verò crassior est materia, & interius in alto subcuti contenta, & proinde acrioribus est opus medicamentis, quæ maiorem discutiendi & attenuandi vim habeant, præterea verò attrahendi ex altioribus partibus. In porriginè ergo satis esse poterunt decoctum fœnigræci, nã modicè digerit, discutitq; itidèq; & betæ.

Præte-

Præterea verò, & amaræ amigdalæ. amari etiam lupini, & malua agrestis, vt tandem vsque ad nitrum sit ascendendum, terra præterea chimolea cum felle vel bubulo vel sullo. Quatenus autem ad rationem vsus pertinet, potest harum rerum decoctis præsertim fœnigræci, betæ, agrestis maluæ, lupinorum caput ablui. possunt etiam componi ad modum mollioris vnguenti, quo caput affricare mox oportet, vt docuit Galen. quodq; vbi exaruerit, calida abluendum. Amygdalas ergo amaras decorticatas ex aceto vel aqua, sed ex aceto efficacius erit, contritas affricabis. maluam verò siluestrem coctâ ex aqua marina donec reliqua sit pars decima si triueris, erit vtile medicamentum. Validum & fortasse nimis est medicamentum, cuius meminit Gal. confectum ex spuma nitri & atramêto sutorio mixtis æquis partibus, & vino assumptis, & erit adeo validum, vt si quater affricetur in mense, non amplius gignantur hæ squamulæ. nã in atramento vis est astringês etiam insignis. laudat præterea serum liquidæ picis illitum, asperso mox nitro. Ad tollendos verò pediculos maioribus auxilijs opus est, cum crassior, & profundior sit materia vnde generantur: quare oportet, vt medicamenta à profundo attrahant & desiccant. nam desiccantia præter id quod consumunt humorem ex quo ge-

generandi sunt pediculi, obstant etiam quominus putrescat, quod tamen necessum est, si sint procreanda id genus animalia, quæ propter multa ex illis, quæ sanandis areis vtilia sunt, possunt etiam in pediculari morbo venire in vsum, quæ tamen ait Galen. experientia comprobata sunt, illa sunt, quæ agriam hoc est syluestrem staphin accipiunt, vnde & nomen à latinis accepit, pedicularis enim herba vocatur, Sed & veratrum nigrum vel album, item & nitrum. sed & oxylapathum vel oxalidis radices inter medicamenta recensentur, quæ ex oleo trita accommodata sunt huic negotio, si illis affricetur cutis. Nostris autem temporibus experientia docuit, quod his animalibus hydrargyros, seu, vt illud in præsentia vulgò appellant, argentum viuum, quæ maximè his animalibus inimicum est, sicut & alia animantia, quæ eandem rationem generationis habent, vt cimices, pulices, & id genus alia, fugiant & necentur. Horum verò medicamentorum modum ita docuit Galen. accipe staphidis siluestris partes duas, sandarachæ, nitri, singulorum partem vnã, terantur, ac ex aceto & oleo mixta capiti illinantur. Item veratrum album, & siluestrem staphidem, nitrumque pari pondere accepta, & ex aceto, aut aqua marina commixta capiti illine. Sed vbi adsit nuditas capillorum staphis

phis filuestris cum aceto, & oleo illinenda. Et hac tempestate ad necandos pediculos mulieres filuestrum staphin tritam inspergunt capiti ita aridam. hydrargyros, hoc est, argentum viuum vulgo dicitur, hac nostra tempestate in usum venit; extinguitur autem primum, aut saluia, aut succo arancij vulgo appellati, postea suillo larido commiscetur & extenditur linteo stricto. sicut sunt, quę vulgo chordellę vocantur, & capiti super capillis circumdatur, hoc tamen obseruant, vt pars ea quę medicamento delinita est, caput non tangat, sed in exteriorem partem versa sit. nam odore vel vapore abigit omnes pediculos, fugiunt enim per stragula, vnde obseruandi sunt, ne per ea diffugientes, alijs postea partibus, hærentes tunicis, sint molesti. capiendi namque & necandi. & quatenus ad hos affectus pertinet hæc esse satis possunt. de vlceribus manantibus agamus.

*De medicamentis aptis ad curandum manantia vlcera in capite, quę ἀχόπες, & κνεία, & ἰσπάσια dicuntur.*

*Caput III.*

**P**ostremus affectus ad capitis cutem præsertim attinens vna communi nuncupatione vlcera manantia appellatur: quia

Ec 5

tamen plures in eó possunt particularim obseruari differentie, plura etiam sortitus est nomina apud Græcos. Differentia veró quæ in hoc affectu notari potest, est, aut ratione materie à qua procreatur, aut ratione loci in quo consistit. nam quæ *ψόδα* dicuntur, sunt veluti minutissimæ quædam papulæ, quæ solæ extimæ cuticulæ insident quasi vesiculæ, & inde etiam illi nomē id inditum. *ψόδα* enim papulam vel vesiculam significat, & ea tenuissimo quodam ichore ortum habent. *κνεία* veró quæ fauos Latine possumus interpretari, ab humore crassiori consistentia & lenire simili mediocri secundum consistentiam, & proinde non modo extimam cuticulam, sed profundiorē etiam cutim afficit, eamque primum in tumorem attollit, mox quod perforat grandioribus quibusdam foraminibus, è quibus humor quidam emanat, vt videatur hac ratione fauum mellis imitari, à cuius cellulis vel foraminibus mel emanat, vnde ab hac similitudine cerion Græcè, hoc est fauus dictus est. Tertia differentia *ἀχρόβες* dicuntur, his prioribus similis quatenus ad hoc pertinet, quod à vitiosis humoribus ortum habet, qui primum cutim in tumorem eleuant, mox ea pertusa ad illis foraminibus humor vel ichor quidam effluit, tenuior quidem quā à fauo, crassior aut, quā à psydracis, & ferè mediū est affe-

est affectus. ita & exiliora foramina in hoc sunt, & tenuior succus qui effluit, hæc est horum differentia, qui tamen etiã in multis sunt similia. Nam pariter sunt quasi soboles vitiorum humorum. In initio item sunt in genere tumorum, qui præter naturam dicuntur, postea in vlcera desinunt, & cum omnium horum comes sit pruritus, necesse est, quod humor vnde concitantur, sit acrimoniæ participes. Sed quia ad rectam rationem componendi apta medicamenta non parum refert naturam materiæ à qua fit morbus, nouisse, ideo paucula quædam de ea etiã dicemus. psydracia itaq; à tenui ichore & seroso humore excitatur, qui falsæ præsertim pituitæ naturam refert. achor autem, vt ait Gal, constat ex humore mixto, cuius vna pars ichorosa & tenuis vbiq;: vnde achor, vt videtur idem Galen lib. I. de compositione medicamentorum secundum locos cap. octauo insinuas se quasi ichor, ab eo qui ab illo effluit ichore dictus est, sicut & multi alij morbi ab aliquo symptomate denominationem habuere: altera verò crassior est, crassior verò est faui materia, & hæc omnes præsertim, vt I. de composit. medicam. secundum loca capite octauo videtur dixisse Gale. pituitosæ sunt, præcipuæ verò falsæ pituitæ naturam referentes: quod nõ credo ita accipiendum esse, ac si ille crediderit ab alio humore

hos morbos minimè fieri posse: quia secus tã  
 Aetius, quàm Alexan. Trallianus, prodidè-  
 sed quod raro ab alio, plerunque autem à pi-  
 ruita falsa, nã & ipse ait aliquos achores phleg-  
 mono sos esse. Quibus ita constitutis, cum re-  
 liquum videatur esse, vt de ratione cõponen-  
 di apposita medicamenta his affectibus curan-  
 dis & congruenti eorum vsu sermonem ha-  
 beamus, vt ex recta methodo id facere possi-  
 mus, hoc etiam considerandum est, quod affe-  
 ctus hi possunt quidem interdum oriri, vt de  
 prioribus quoque diximus, ex vitio proprio  
 ipsius cutis corruptentis suum nutrimen-  
 tum in prauos humores: interdum verò ex af-  
 fluxu excrementitiæ materiæ ad cutem, quan-  
 do ex sola malè affecta cute oriuntur, soli cuti  
 externis & localibus remedijs erit incumben-  
 dum. Quando verò ex affluxu, primum cau-  
 sã attendendum: nempe vt tollamus fluxio-  
 nem, primum remota eius causa, quæ vacua-  
 tione vniuersi corporis, ac reuulsionibus vel  
 deriuationibus erit remouenda, atque vt etiã  
 affluentem humorem post vacationem ali-  
 quo modo repellamus. præterea verò vt si ge-  
 neratur humor ille, qui affluit ex aliquo cuius-  
 piam visceris vitioso affectu, ille etiã proprijs  
 & accõmodatis remedijs curandus erit, quod  
 ad præsens institutum non pertinet. sicut et-  
 iam, qua ratione & quibus medicamentis sit  
 instituen-

instituenta vacuatio, vel quod pro ratione humoris quo refertum est corpus eligenda sint purgantia medicamenta moderandaque pro ratione corporum ætatisq; & virium, & temporum. Quare agamus in præsentia de indicationibus & scopis, qui spectandi sunt in electione, compositione & usu medicamentorum, quibus curandi sunt hi affectus, quatenus tamen pertinet ad naturam ipsius morbi in vniuersum prius, deinde & particulatim. Sed quia interdum simplices sunt hi affectus simplices inquam, quia non habent aliquam affectus alterius complexionem, qui possit propriam eius rationem variare: sicuti si sint participes aliquo modo alicuius inflammationis, vt & rubicunda proinde videatur cutis, & magis quam par sit dolorosa. nam si hoc modo se haberet indicatio quæ ab hoc esset depromenda, omnibus aliis locum præriperet sicut in alijs etiam omnibus vlceribus solet euenire, quando annexam habent inflammationem. Statim siquidem inchoandum est ab illis remedijs, quibus dolor sedandus est, & inflammatio tollenda. nam si hoc tempore vti vellemus medicamentis quæ eiusmodi requirunt, morderent locum affectum, affectione que irritarent, & aucto dolore maior fieret attractio nocuorum humorum. medicamenta verò, quæ huic officio accommodata sunt,



quæ humida sunt, vimq; molliendi, & concoquendi habent citra vllam acrimoniam. Qualia verò sint eiusmodi medicamenta Galenus primo de compositione medicamentorum secundum locos exemplo demonstrat. ait enim eiusmodi esse id quod parygron Græcè appellatum est, cuius descriptio tum ab Hera literis tradita est, tum ab alijs antiquis medicis, & eius meminit Galen. n. de simp. medic. fac. capite de pinguedine & adipe. Paulus autem & ipse, quando istius medicamenti confectio- nem exposuit, in Or. basium auctorem retulit. Nos, verò tertio libro capite de scirrho, de compositione & natura, viribusque istius medica- menti sermonem habuimus, quare nolimus ne tempus conteramus, eadem hoc loco repe- tere, quia nobis restat grandis via. nisi quod non erit ab re, de modo vsus eius aliqua refer- re. Nam videtur aliquantisper diuersus Gale- nus primo de compositione medicamentor. secundum loca, & septimo de compositione secundum genera. hic enim componi oleo quod astrictiōnis sit expers, ibi verò molli- ri hoc medicamentum voluit & dilui, vt illini- ri possit oleo rosaceo. Sed si considerentur sco- pi, quos hic vel ibi spectauit Galenus vtrun- que protulit ex recta ratione. Nam in libro de compositione secundum gener. eius memi- nit quatenus vim habet molliendi partes in- duratas,

daratas, id aut magis præstare poterit, si fiat ex oleo maturo adstrictionis experte: in primo autem de comp. secundum locos instituit occurrere inflammationi cui officio magis aptum erit medicamentum: si ex oleo rosaceo emolliatur & diluatur. Nam præter id, quod facilius refrigerat calidiorē loci intemperiem, atque ita dolorem lenit, astringendo etiam fluxionem arceat. Sed his addamus, quod eiusmodi medicamenta, ut eodem 7. docuit Galen. quo magis inueterantur magis etiam indurescunt. In his autem affectibus, de quibus in præsentia agimus, quando dolorosi & aliquid inflammationis habeat, accommodatius est hoc medicamentum quanto recentius est. Hoc enim modo magis dolorem sedat. Sed quo magis inueterascit, eo maiorem habet vim difficiliorem emolliendi duricies, & proinde voluit Galenus magis adhuc emolliiri rosaceo, ut liniamenti compagem retineat. Sed & id aduertendum est, quod præterea memoriæ mandandum, nempe quanta diligentia in his uti consueuerit Galenus, qui consuluit, ut quando diluere ex rosaceo medicamentum volumus id non ad ignem agamus, sed manibus, aut spatula commiscendo subigamus. quia ab igne medicamentum sibi extraneum quandam calorem comparat. unde postea non euadit expertus alicuius acrimoniæ & morsus.

Quod si in hoc affectu tãta istius rei ratio habenda est, longè maior in alijs veris inflammationibus, & cæteris affectibus calidis, & dolorosis. Et cum non ægre hoc medicamentum emolliiri & subigi possit, hac etiam ratione minus necessarius est ignis. Hæc verò tanquam exempla proposita sunt, non autem propterea, quia hoc solum medicamentum huic negotio sit aptum. nam eodem capite in tertio libro vbi de mollientibus & humidis medicamentis agit, alia etiã descripta sunt, quæ possunt illi esse vtilia: præsertim si hoc modo parentur in modum linimenti, vt in præsentia docuimus, si quæ illis vtamur, dum sunt recentia. Galenus verò ait, præterea & illa medicamenta posse admitti ad hunc vsum, quibus solent medici vti ad sedandos dolores in cancerosis affectibus, quando à vehementi dolore cruciantur, item quæ & illa, quibus vtuntur in dolorosis, & non expertibus inflammationis vlcerebus scissuris quæ ani: de his autem non hîc, sed suo loco agemus. nam in præsentia de ratione medicamentorum sumus sermonem habituri, quæ apta sunt curandis viceribus manantibus, quando circa dolorem inflammationem uel sunt, & complexum alterius affectionis vel symptomatis, quod propriam priuatam quæ indicationem aliquam habeat. Sed prius indicationes & scopos exponamus, quos

quos intueri oportet in compositione, & usu medicamentorum. Porro affectiones hæ simplices minimè sunt, verùm consistunt in quodam complexu morborum, qui ad duo prima genera referuntur. constat siquidem ex ulcere, quod ad genus solutæ continuitatis pertinet, & ex intemperatura, non simplici, sed ea quæ fouetur à præsentè vitiosa quæ materia, quæ etsi ut diximus, plerunque sit pituitosa & salsa, potest tamen & ab alio vitioso humore originem habere, qui ex loci malè affecti colore maximè cognosci poterit. Cum vero ea sit semper curandi ratio, ut quando vlcus est cū insigni intemperatura, prior semper vigeat ea indicatio, quæ ab intemperie desumenda est, utpote quæ impecciat vlceris curationem. Intemperies verò, quando à præsentè materia vel affluente fouetur, tolli nequit, non detracta prius illa materia, quæ præsens est, & intercepto affluxu, si à fluxione pendeat. Ejus quavis ad hæc peragenda sit in primis necessaria optima victus ratio, ea nempe, quæ minimè sit excrementosa: præterea verò corporis eua cuatio & expurgatio à vitiosis succis per apta & opportuna remedia, in quibus sit vis vacuandi & reuellendi, de his tamen agere ad præsens institutum minimè pertinet, sed de localibus remedijs quæ particulatim loco affecto sunt adhibenda. Scopi verò, quos natura

istius affectus spectandos offert, hi sunt principes, ut materia quæ laboranti particulæ infidet, & ab ea est absorpta, per vacuationem detrahatur, alioquin namque neque in temperatura tolli, neque vlcera curari poterunt. Non detrahuntur autem materiæ in his locis absorptæ, & inculcatæ secta vena, aut purgantibus medicamentis, sed localibus remedijs, in quibus sit facultas per digestionem vel discussionem prauos eos succos dissipandi. Sed cum in ichore, & fauo non desint crassissimi & lenti, quamuis & tenues ichores etiam mixtos habent, ideo altera indicatio insurgit, quæ nobis hunc præterea scopum ostendit, nempe aliqua esse attenuatio, & incisione opus. demum tertio, quia pars ea facta est ex morbo imbecillior, ideo non parum conducet, si etiam aliqua eis non desit vis repellendi. Hi ergo sunt scopi, à quibus methodus pendet vniuersa componendorum medicamentorum huic negotio accommodatorum, ac eis utendi. Sed si ita res se habuerit, possumus audacter profiteri, sicut & Galenus primo de compositione medicamentorum secundum locos cap. octauo professus est, inter simplicia medicamenta quam maximè usum aceti vtilem esse ad curandos ichores & fauos, non quidem ut eo solo & simplici utamur, sed quasi quodam condimento & apparatus aliorum medicamentorum

rum

nam. Nam solum quidem sua acrimonia mor-  
deret, & vlcera posset irritare: alia verò medi-  
camenta eo lauantur & parantur, quòd non  
solum non ea acria & mordacia reddit, sed po-  
tius ab illis abluat, & detrahit omnem acrimo-  
niam & morsum si in eis sit, desiccaturque sem-  
per natura, quod vlceribus salutare est, repel-  
lit etiam refrigerando. & quia acris eius sapor  
esse nequit sine aliquibus partibus, quæ calo-  
ris sint participes, ideo & digerendi faculta-  
tem habet. Medicamenta verò aceto lota vel  
parata apta sunt his affectib. curandis, & diuer-  
sos habent ordines, q̄ in primo ordine sunt &  
faciliores, sunt differentiæ illæ terræ quarum  
à Galeno fit mentio nono de facultatib. sim-  
plicium medicamentorum circa principium  
præcipuè verò cimolea. deinde verò samia ter-  
ra & Lemnia & Cretica: hæ itaque terræ si tri-  
tæ aceto quasi condiantur & diluantur, vt il-  
liri possint, vrile erunt medicamentum, leue  
tamen, nec admodum validum. his valentio-  
ra erunt metallica seu mineralia medicamen-  
ta itidem aceto parata, vt sunt pompholyx,  
quam in præsentia vulgo tutiam appellant, ite-  
m lithargyros, hoc est spuma argenti, item  
& cadmia, & plumbum vstum, hæ itaque ab-  
luta & diluta aceto, efficaciora erunt medica-  
menta: his verò omnibus superior efficaciam  
est charta combusta, vt l. de compos. medica-

mentorū secundum locos tradidit Galen. sed hoc in præsentia carem<sup>9</sup>, quæ a & charta antiquorum carenus, utpote quæ his temporibus non conficiatur. fiebat enim antiquitus ex papyro & quodam glutino confecto extritici similia, vel tritici ex aqua macerati succo. Ex hac ergo charta combusta parabantur aliqua medicamenta antiquitus valde utilia, ut in quinto de comp. medic. secundum genera Galen. refert, qui dum ruri esset, nec in promptu aliud medicamentum congruens haberet, chartam cremavit, & ea ex aceto diluta illeuit caput rustici, qui deinde repetito hoc medicamento, tandem curatus est. quod medicamentum non ingenerosum esse insinuat Galenus, utpote quod vim repellendi, & attenuandi incidendi que ex aceto habet, quam etiam adauger charta, nam dū comburitur, ab igne, ut ex sententia Aristotelis quandoque Galenus exposuit, igneam quandam qualitatem contrahit, & aliquandiu seruat, qua digerere attenuare que & exsiccare potest. Quod verò senserit eiusmodi medicamentum validum esse, verba quibus utitur manifesto indicant. Ait enim se cognouisse rusticum facile laturū id medicamentum, quia durioris & solidioris carnis esset. Fortius adhuc medicamentum esset, si ex combusto papyro conficeretur, quam si ex papyracea charta, quia papyrus

papyrus, vt octauo de facultatibus simplicium medicamentorum docuit, charta siccantius est medicamentum, gluten namque quod additur papyro non nihil detrahit de vi papyri. Putarem autem, quod si ex nostra charta, que ex laceris & tritis linteis conficitur, itidem combusta conficiatur perinde, vt confecit Galenus ex sua illa papyracea, quod non erit quidem adeo validum medicamentum, non erit tamen inutile. Nam inter medicamenta apta achoribus curandis, quorum Galenus meminit, vnum etiam reperitur, quod fit ex panniculis linteis combustis, si tamen exemplari antiquissimo manu scripto fides est prestanta: immo memini, quod chirurgus quidam insignis utebatur vnguento ex charta combusta, cuius Galenus primo de compositione medicamentorum secundum locos capite de achoribus meminit, & illud ex nostra charta conficiebat. Videtur autem putare esse valide generosum medicamentum ad achores, quod maxime congruens sit in affectibus his quando pertinaces, inueterati & maligni fuerint, & in durioribus corporibus. De hoc vero medicamento in tertio libro mentionem fecimus, vbi de medicamentis agebam aptis curandis vlcerebus putridis. Credimus autem hic fieri mentionem secundæ confectionis descriptæ ex quinto libro de compositione medicamen-



torum per genera, quod medicamentum aridum & inspersibile erat, unde docuit Galenus quomodo mitius fieri possit, si interdum videatur nimis validum, & supra quam requiratur, aut laborantis natura, aut ratio morbi, nēpe addito lithargyro, pari pondere cum ipso medicamento, aut minori aut interdum maiori. Quia quo simplicius fuerit medicamentum, eō & fortius erit, quō verō illi plus lithargyri fuerit additum, eō lenius & infirmius. Illius enim mixtura lenitur & mitescit vis medicamenti. Ex multa medicamentorum farragine syluaq; ab antiquis & junioribus literis traditorum hæc nos delegimus, quæ putamus posse esse satis si tanq̃ exempla fuerint accepta: nimij. n. fuisset, si omnia vel pleraque persequi voluisset. nā facile collatis inter se simplicibus vnde conficiuntur, sicut nos ea conferre, tum in hoc, tum in alijs solemus. & cum his etiam quæ nos examinamus, poterit eorum ratio percipi, vnde nonnullis expositis, quæ ad eorum rectum vsum pertinent, finem huic capiti imponemus. Primum ergo et in hoc affectu perinde vt in priorib. capilli ante adhibitum medicamentum detondēdi vel abradendi sunt, atque mox fricanda cutis, vel vnguibus, vel asperiori linteo. Deinde consideranda est natura & habitus corporis, quatenus durum solidumq; est, an verō delicatum & mol-

& molle, & id, vel ratione ætatis. pueri enim præ mollitudine egrè se habent ad fortia & acria medicamenta, aut ratione sexus, mollius enim muliebri corpus est virili: aut ratione artis & institutorum vitæ. quia qui exercentur, præcipuè verò sub sole, sicca & solida membra habent, vt rustici & nautæ. qui verò otiosam & umbratilem vitam degunt, molles, & laxas carnes habent. Præterea & diligens habenda est morbi ratio, quatenus maior, verustior & pertinacior videatur, vel minor & facilior. nam maior morbus valentiora desiderat medicamenta. minor verò leuiora & mitiora, hæc ergo mutuo conferenda sunt, vt cōgruentem medicamenti modum assequi possimus. & quia difficile est exquisire illum statim assequi, ideo semper quando medicamentum mutamus obseruandū, quomodo locus se habuerit sub priori, nū sit magis, quàm par sit irritatus, & dolentior redditus, vel iusto rubicundior, nam erit opus remittere vim medicamenti. sin autem nulla videatur facta à medicamento impressio in cute, addenda erit modicamento vis. addetur autem, aut eo relicto & altero fortiori adhibito, aut priori, alio simplici acriori addito, quod possit illud exacuere, aut aucto pondere eorum, quæ in ea compositione vim habent maiorem. Vnde Gal. in lib. de facil. parab. medic. ait, quod &

si acetum optimum sit medicamentum, vt diximus, in teneris tamen puellis longè melius est, vt pro aceto vtamur vino. Vnde & nos seriatim in proprios ordines medicamenta ad hoc negotium pertinentia digessimus, & exemplo medicamenti ex charta combusta docuimus, docti tamen prius à Galeno, quomodo remitti plus minusue possit. & hoc tanquam exemplo vsi, possumus, si his propositis forte fortuna careremus, alia accipere quæ ad curanda alia vlcera laudantur, & sunt in frequenti vsu his temporibus, suntque huic de charta non dissimilia, hac eadem methodo illis vti. nam & hæc vlcera sunt. Sed & hoc addamus, quòd cum acrioribus medicamentis antiqui utebantur, illis in balneo utebantur: ita enim minus mordent & irritant locos affectos, sed & ablato medicamento, caput calida aqua liberaliter perfundebant. Accedamus autem ad alios capitis morbos,

*De ratione compositionis, & vsus medicamentorum congruentium curandis affectibus internarum partium capitis, primumque de illis, quæ ad plagas capiti illatas pertinent.*

Caput. I I I I.

Quam-

**Q**uamuis in capite cuti succedat mem-  
 brana, quæ ab anatomicis pericrane-  
 um dicitur, & illos quod calvaria à  
 Latinis, cranium verò à Græcis appellatur,  
 de quibus videretur prius esse habendus ser-  
 mo: quia tamen affectus harum partium, non  
 habent aliam quampiam priuatam ac diuer-  
 sam curandi rationem ab illis, qui ad idem ge-  
 nus pertinent in alijs confimilis naturæ parti-  
 culis, nempe in alijs membranis, quæ alibi in  
 corpore sunt, vel in alijs ossibus, nisi quate-  
 nus conficiunt internas capitis particulas, ita  
 vt si sit aliqua alia indicatio sumenda præter  
 illam, quæ à communi naturæ ossis vel mem-  
 branæ sumitur, illa vniuersa petenda sit ab in-  
 ternis particulis, quatenus cum externis con-  
 sentiant. Vnde in capitis vulneribus, cum  
 tuti & liberi sumus à suspitione alicuius no-  
 xæ cuius sint participes interiores partes, vul-  
 nera vel contusiones eodem modo curamus,  
 sicut & alios similes aliarum partiū affectus,  
 ideo neque deinde mirandum erit, si de his  
 non instituemus separatam & distinctam tra-  
 ctationem, sed agemus simul de harum, & il-  
 larum partium affectibus per accommodata  
 medicamenta curandis. primumque de op-  
 portunis medicamentis ad plagam capiti il-  
 latam, Accipimus autem in præsentia plagam  
 & percussionem acceptam vel ex casu, vel al-

lisione vel percussione ad rem quampiam duram siue attulerit continui solutionem euidentem in osse, aut membrana, aut cute, siue sola sit facta contusio, & præterea vt vulnus cum re incidente inflictum significat. At verò quia diximus, hæc omnia in præsentia eatenus in considerationem venire, quatenus istorum incommodorum participes sunt partes internæ. neque tamen vna est ratio qua à plagis eiusmodi internæ capitis partes afficiantur, & pro diuersitate affectionum diuersa etiam solemus adhibere remedia: ideo particulatim hæc etiam disquirenda sunt, vt particulatim vnicuique affectui congruentia medicamenta aprare possimus: Ex collisione ergo, vel casu, vel percussione interdum frangitur calcaria, interdum solū contunditur concutiturue. Si solum contundatur & concutiatu-  
 tur caput, hæc possunt in interioribus incommoda consequi. Primum potest cerebrū consentiens comoueri & quasi conquassari, quod si accidar, statim percussus cadēs obmutescit, cuius rei Hip. meminit 7. aph. vbi ait, quibus cerebrum cōcussum est, hi statim muti fiunt, nec modò muti, vt ait Galenus, verum quasi apoplectici iacent ab omni motu, & sensu destituti. cuius causam esse ait ille, quia ex cerebri concussione quasi turbata & terrefacta à vehementi illo motu vis animalis in seipsam  
 contra.

contrahitur, & propterea quiescit. Interdum  
verò ex contusione vel concussionione fit ali-  
qua diuulsio vel dilaceratio alicuius vasis in  
internis partibus: nempe venula aliqua vel ar-  
teria, potius tamen vena, vel aliqua particula  
ipsarum membranarum quibus annectuntur  
ipsi caluariae, vel cum pericraneo per suturas  
connectuntur. nonnunquam, vt Gal. ibidem  
ait, contingere potest, vt concusso cerebro &  
cum eo consentiente spinali medulla & ea pa-  
riter concussa, subeat periculum: ne nervus a-  
liquis ex illis qui ab eo oriuntur, auulsus ab-  
rumpatur: quod longe etiam facilius, vt idem  
testatur, in ipso quoque cerebro fieri potest,  
quia maior est inanitas in loco, in quo cere-  
brum continetur, quod si fiat: nempe, vt cere-  
brum auellatur aut aliqua eius pars, ait Gale-  
nus, hi non reficiuntur amplius, hoc est, ne-  
queunt amplius cõualescere. sin autem nulla  
fit in cerebro ex concussione facta auulsio, ani-  
malis facultas aliquandiu colligens & quies-  
cens, tandem reassumptis viribus iterum ex-  
iens ad instrumenta motus, & sensus expan-  
ditur. Quod si ex concussionione ex plaga facta,  
dirumpatur vas aliquod, præsertim verò exi-  
gua aliqua venula, effunditur sanguis, qui ef-  
fusus cadit præcipue super internas cerebri  
mêbranas, ibiq; nisi locus aperiatur, perforata  
tere bello caluaria, prius tamẽ cute incisa, sub-

iecta; mēbrana, vt materiæ ibi contusæ fiat perspiratio ac extractio, putrescens, membranas denigrat atq; ad inflātionem tandem pducit, quandoq; tamen fiunt ex his plagis, & contusionibus citra abruptionem vasis alicuius in internis partibus inflammationes. nam cum ex vehementi percussione agitetur cerebrum, humores inordinato quodam motu commouentur: ita, vt à natura nequeant probè administrari, quare confluentes ad aliquam partem, quam fuerint nacti imbecilliorē, eam occupant, & in inflammationem at tollunt, doloresq; capiti afferunt, quod nos Galenus secundo de compositione medicament. secundum locos docuit, vbi de capitis dolore agens, à plaga concitato, ait, quod ille ab inflammatione concitatur. Sed nonnunquam ex his contusionibus, primum quidem os ipsam infringitur non vulnerata vel disrupta cute, vel subiecta membrana, quæ cæca fractura appellatur. Interdum verò simul, & dilacerantur hæ particule, quando autem os infringitur, aut vnica tantum oblonga fit scissura vel rima, rectaque ex illis hanc iuniores capillorum rimam appellant, aut os in multa confringitur frustra, vt multæ appareant scissuræ, & quandoque verò non modò os frangitur, verùm & inflectitur & deprimitur contusa & fracta ossis pars versus internam capitis ca-

tis cavitatem, vt concaua eo loco fiat capitis caluaria, & aliquádo vtraq; ossis lamina, vel, vt iuniores loquuntur, tabula pariter incarnata interius inflectitur, aliquando verò sola interior: interdum & frustum aliquid con fracti ossis elisum, & ab alijs auulsum cadit supra duram cerebri membranam, illi que hærens, & pungens, plurimum lædit, vtpote quòd inflammationem accerfat, interdum reflexa ossis pars membranam attingens illam premit, subinde que & cerebrum, vnde postea fit, vt homo à sensu, & motu destituatur, & quasi apoplecticus iaceat, aut ex altera parte resoluitur, aut quasi epilecticus conuellatur, aut id genus alia praua accidant. Memini me Venetijs accersitum vnà cum chirurgo excellenti ad visendum puerum, qui ex alto loco in caput ceciderat in impluuium lateribus stratum, & os fractum in multa frustra vidi, & illa quidem acuta, quorum duo interius reflexa, vtraque membrana perforata, cerebro infixæ erant. qui tamen summa diligentia tractatus tandem liber ab eo morbo euasit, sed hæc rarò eueniunt. interdum etiam tamen secus, immò etiam sæpe pueris accidit, præsertim ante septennium, vt ex casu vel alioquin ex contusione deprimatur & inflectatur os ad interiorem partem. neque tamen frangatur vel scindatur. & id propterea, quia os in



illis tenerum est, in adultis verò, vel nunquã id accidit, vel rarissimè. Sed & rimæ, quæ ex contusione in adultis fiunt, semper verò in interiorem cauitatem desinunt, & proinde nisi citò detecta cute & subiecta membrana os perforetur, paulò post superueniunt praua & lætalia symptomata. Quamuis enim nulla ossis pars, neque premat neq; pungat membranas, per eas tamen rimas, vt testatur Hippocrates in libro de vulneribus capitis, cui & Galenus subscripsit pluribus locis, ichor aliquis ex osse effluit ad membranas, ibique putrescens illas ad inflammationem aut gangrenam, aut quidpiam aliud his etiam deterius adducit. Vulnera item, quæ capiti infiguntur punctim, telo nempe acuto sicuti sagitta vel pugione, vel cæsium ense, nisi teli acies obtusa fuerit, vt aliquam vim contundendi habeat, simpliciora sunt, cum ex incisione non fiant multiplices rimæ, sed vna tantum & simplex: nisi interdum adactum telum aliquo modo inuertatur violenter, & obliquè, in vnam vel aliam partem contorta ferientis manu. nam ita & laminæ attolluntur aliquando, & rima secundum caput transfusa potest progredi. cum autem obrusum fuerit telum non modò incidi, sed frangi os poterit & interius incuruari, vt in constitutionibus fuit expositum. Hoc autem imprimis  
in his

In his incisuris considerandum, quod interdum sola cutis & membrana illi subiecta inciditur. interdum & os incisio pertingit, & quandoque torum os diuiditur ad internam vsque cavitatem capitis, aliquando non vniuersum in profundum vsque inciditur, sed primam solum lacinam fecat, interdum ad alteram etiam pertingit, illam tamen non scindit vniuersam, quandoque non modò os sed & membranæ discissæ fauciantur: interdum verò & ipsa cerebri substantia. Hæ videntur omnes differentiæ solutæ continuitatis in hac particula, quas particularim volumus exponere, quia, vt sæpissimè dictum est, prima fundaméta methodi componendi medicamenta apta curandis morbis, ac illis etiam appositè vtendi in indicationibus sita sunt, quæ tam à natura & ratione ipsorum morborum depromuntur qui curandi offeruntur, tã verò à natura laborantis particulæ. Et cum plagæ, à quibus nullus fit consensus nullaq; noxa internarum partium, non sint multi momenti vel discriminis, neq; curationis rationem ab illis differentem requirant, quæ alijs externis partibus infliguntur, neque differentia medicamenta, ideo neque alioquin de illis particularim alium habebimus sermonem, nisi quod monendos iuuenes censemus, ne si quando contuso capite non abrupta tam en-

cute, inter initia nullū extet symptoma, quod ostendat illatum aliquid incommodum internis particulis, propterea confidant, credantque rem nullius esse momenti. Sæpe namque non statim, sed post aliquod tempus ea apparent, nempe cum aliquid effluxit in internas partes. Nam & huc quoque spectare potest, quod Hip. in aphor. libro secundo aph. 3. protulit, circa initia & fines omnia imbecilliora. sed summa diligentia rependenda & consideranda primum ea symptomata quæ possunt in his obseruari. Nam solet cum fractum est os cæcæque sub cute scissura latet, loco, ubi accepta est plaga, ægrotus manum adhibere, & aut scalpere, aut fricare: Deinde verò extimare quanta potuerit esse facta contusio: & id si ex aliquo loco ceciderit, an magno impetu fuerit casus, an ex præalto loco. Deinde considerandus locus ad quem cadens alliserit, an lapidibus stratus, & durus, vel potius mollis, an in medio descensu aliquid acciderit, quod potuerit cadentem aliquantisper detinere, & obstare quo minus tanto impetu deorsum ferretur. Sed si ab alio ictum fuste, aut claua, aut saxo acceperit, considerandæ sunt vires percutientis, modus, quo percussus: nempe an iratus & vsus suis viribus, an potius non serio agens. Considerandum etiam instrumentum quo percussus, an durum, an graue, & his omnibus

nibus rectè perpenſis ſtudere vt quantum ſi-  
ri rationabili coniectura poteſt, aſſequamur,  
vel etiam anteaquam ſc̄ua & verenda ſympto-  
mata accidant iudicemus, fractum ſit nec ne  
os, quia ſi credamus latère ſub cute fracturam  
quamprimum cutis aſpicienda, locus deter-  
gendus, ac os perforandum terebello, aut de-  
radendum ferreis instrumentis quib. abradi  
ſolent oſſa, vulgò raſpatoria dicuntur, donec  
fiat foramen penetrans ad internam capitis  
concauitatem, vt & perſpirare poſſint, ſi qui  
deſluxerint ichores, vel ſanguis, anteaquam  
correpti à putredine, male afficiant internas,  
& præcipuas particulas, atq; facilius congru-  
entium medicamentorum vis perueniat ad  
locum affectum. Et quamuis videamur eſſe à  
primario noſtro ſcopo digreſſi, quia tamen  
hæc ad rectum vſum medicamentorum per-  
tinere poſſunt, ideo neque parerga ab aliquo  
ſunt cenſenda. Sed ad princeps noſtrum inſti-  
tutum redeamus, & eandem methodum ſe-  
quentes de plagis telo aliquo cæſim vel pun-  
ctim factis agamus. Pro ratione ergo teli, aut  
virium illius qui gladio hominem petit, maio-  
ra vel minora inſliguntur vulnera, magisque  
vel minus profunda. Vt & hoc addamus,  
quod sæpe ex violento ic̄tu, præſertim ſi gra-  
ue ſit telum, non modò incidatur os vel fran-  
gitur quoq; & circa vulnus fragmenta reperi-

untur vel segmenta, quandoque penitus ab  
 offe auulsa, quandoque aliqua parte cum il-  
 lis coniuncta, quæ ante curationem, quam  
 medicamentis molituri sumus, auferenda  
 sunt, quia dum ibi manent, curationem &  
 consolidationem impediunt. Magna autem  
 ex parte pro ratione diuersi status ipsius vul-  
 neris, diuersa etiam quoquo modo curatio  
 exigitur. & quantum ad alia, vel remedia vel  
 instrumenta, & maximè quantum ad com-  
 positionem & vsum medicamentorum per-  
 tinet, sed tandem hæc omnia particulatim tra-  
 ctemus. Primum tamen posito hoc funda-  
 mento, quod capitis plaga quantumque ma-  
 gna non videatur, ac non multa vi illata, nun-  
 quam sit à medico contemnenda, quia antea-  
 quam decernat quid sit agendum, non dili-  
 genter extimetur, quia res hæc non est leuis  
 momenti, sed grauis potius. Momentum ve-  
 rò vniuersum ab hoc capite pender, an reci-  
 denda sit cutis & subinde subiecta membra-  
 na, locusque sit detergendus, vt perforetur  
 os aperiaturque. Quia si temere hoc fiat, &  
 citra diligentem examinationem, vt sepe igna-  
 ri chirurgi & imprudentes faciunt, qui ex le-  
 ui quacunque occasione ad incisionem & a-  
 pertionem accedunt, id sine magno incom-  
 modo atque insigni etiam discrimine, vt qui-  
 dam non contemnendi auctores moneant, fie-  
 ri ne-

si nequit. Nam primùm insignis dolor in incisione & separatione particularum illarum concitari solet, dolor verò, si quid aliud, concitat fluxiones: commotis siquidem succis, præsertim verò calidioribus, qui confluentes ad partem imbecilliore, sæpe gignunt inflammationem: quia non modò afficiuntur, licet primo illæ lædantur, externæ & contusæ partes, verùm & internæ. Nam si fuerit insignis congestio, illæ etiã commouentur. præterea tãtis est internarum partium cum externis cõsensus & cõnexio, vt necesse sit, & illas ex ea operatione male habere & lædi. Huc accedit, quòd cum os aperiendum est, siue scalpris id fiat siue terebello, vel quocunq; alio instrumẽto, vix fieri potest, quin concutiatur caput, quod sine interiorum particularũ incommodo fieri nequit, dum concutiuntur & ipsæ, & succi ex ea concussione concitantur. Præterea, & dum citra necessitatem detegitur pars illa cerebrum & eius membranę, frigidiori exponuntur aeri quo nihil ferè nocentius est: quia & inflãmationis, & aliorũ grauium symptomatum in causa esse potest. neq; tamẽ propter hæc si re diligenter perpensa, nostra nõs cõiectura ad hoc adducat, vt quantum certũ minimè simus, potius tamẽ credamus os non esse integrum, ita nos esse timidos oportet, vt non audeamus accedere ad apertionem, quia

longè maius est periculum & magis præceps, si decipiamus credentes non subesse fracturam, quæ tamen subfit, quam si credamus subesse, quæ tamen nulla subfit. His ergo in hunc modum expositis, particulatim agamus, quo modo negotium sit tractandum in omnibus his propositis differentijs. Porrò si sola sit contusio absque vulnere vel ulcere, communi contusarum partium curatione curandus locus erit, quæ curatio spectatis his scopis per agenda erit. nam si ibi dilaceratis venulis tenuioribus & conspicuis ex plaga, sanguis in inania spacia sit fusus, statim extat indicatio, quod quoniam exiens in grumum vertitur, neque iterum in venas queat redire, illum vacuatione inde esse extrahendum, cum sit omnino iam factus, res præter naturam, inaniri autem locus nequit nisi per digestionem, facile digeritur, nisi facilior fiat digestio per ea, quæ molliunt. Alioquin enim digestis tenuioribus & facilioribus partibus reliquum crassesceret & induraretur. Erit ergo localibus medicamentis mollientibus & digerentibus res tractanda. hæc autem quæ & qualia sint particulatim explanare, atque rationem compositionis & vius exponere, ad præsentem locum minime pertinet cum abunde de illis in præcedente libro fuerit à nobis actum, ne tempus frustra conteramus ulterius, ergo gradatim pro-

tim procedamus. Si ex plaga præter contusionem sit etiam cutis dilacerata, non erit simplex affectus, sed ex duobus compositus, qui diuersas habent indicationes. est enim contusio, & vulnus seu vlcus. Cum enim sit necessarium omne in vlceribus contusum putrefieri, vt docuit Hippocrates, & tandem in pus verti, & quanto id citius fit, eò etiam citius curatio absolui potest: ideo ratione contusionis extat indicatio accelerandam esse suppurationem, quæ accelerari potest medicamentis illis, quæ vim habent mouendi pus, quæ maturantia et concoquentia sunt, à chirurgorum autem vulgo digestiua impropria nuncupatione vocari solent. Vlcus verò exiccationem, & aliquam deterfionem desiderat, ita enim eius indicatio ostendit. Sed longè prior est indicatio quæ à cõusione petenda est, atq; prius illi incumbendû. Hoc tamen non esse prætermittendum arbitror, quatenus ad rectâ curandi rationem attinet, quòd si cum contusio sit vulnus illarum diligenter illud considerandum est, quousq; nimirû pertingat, & an cum cute sit dilaceratum etiam pericraneum, & an id ab osse diuulsum sit, an verò integrum & osi hæres, quia si membrana illa sit lacerata & diuulsa ab osse, id inditium erit ictum magnû fuisse, vt suspicari facillè possit medicus, os etiam fuisse perpeffum: insigne incommodum, et du



bitare, quod fractum etiam sit. Vnde non erit ab re vt locum ampliet, dilato nempe vulnere ad os vsq; poterit tamen & prius specilli cus- pida explorare, an subsit aliqua in osse rima, vel scissura. dum. n. os cuspide fricabit, nisi mi- nima sit rima, manifestè percipiet a superiore lo- cum ex inæqualitate laterû scissi ossis. nisi for- tasse ibi adsit aliqua caluarię futura, quia in nõ nullis interdum capitib. futuræ calarię euari- ant, neq; in cõmuni loco reperiuntur. à qua de- inde occasione quandoq; cõsummatissimi in hac arte viri falsi sunt se fuisse deceptos. Inter- dum vero si os cū fuerit detectū, & chirurgus aliquo instrumẽto ferreo percutiat, sonus qui ex ea percussione editur, significat an contra- ctū sit. si enim obcurior quidã & quasi raucus se offerat sonus, indicio erit fractum esse: sin- aut clarius sit sonus sicut in alijs etiam vasis, tã tẽtaceis, quàm metallo confectis, signū est ossis integri. Neq; tamen factõ istius rei peri- culo adeo confidendū est, vt quantūcunq; nul- la sit deprehensa asperitas, omnino putemus nos esse in tuto. aliquando enim adeo exilis ri- ma est, vt non modò tactū, sed visum etiã fugi- at: & proinde si insignis fuerit facta percussio tutius est vuln<sup>o</sup> dilatate, vt os aspectui pateat, & diligenter inspicì possit. & si sit adeo exilis rima, vt aspectu deprehendi non possit docu- ere medici, tã antiqui, quã recentiores, vt hæc  
 ratio-

ratione experiamur: nempe affuso aliquo humore coloris atrii, vt esset atramentum, quo scribimus, ac deinde locum detergamus, hoc. n. saepe scissuram detegit. ibi enim apparet velut nigra linea. & si nihil etiam appareat factis bis periculis omnibus, aliqua tamen contigerint symptomata suspecta: sicut si ille percussus ceciderit, si post plagam obmutuerit, si bile euouerit, si sit quasi stupidus factus, si vertiginosus, si caput graue videatur, si insigniter doleat, si deliret, si oculi obrebrebrentur, cum hæc ne queant fieri sine aliqua internarum partium noxa, præstat, vt locus aut scalpris aut te rebellis, aut simili alio instrumeto, perforata caluaria, aperiatur, vt facilius hac ratione internis particulis & comodius possimus subuenire. Sed de hoc hæcenus satis, ad institutum vnde diuertamus redeundum est. si ergo à fracturæ suspitione liberi simus, tres in his præsertim nobis indicationes reliquæ sunt, prima quæ fuit à contusione accepta, quæq; dictos scopos spectandos offert: nempe molliendum & digerendum, sed magis etiam pus mouendum esse, altera ab ulcere vel vulnere, quæ duos & ipsa scopos continet, detergendum siccandumq; esse: quia verò semper in vulneribus timendum est, ne confluentibus superuacaneis succis ad affectum locum fiat inflammatio, istius autem defluxionis extrare potest occasio ex

illato dolore, tum ex cōtusione, tum alijs, que  
 vt nuper diximus, moliri oportet vt assequa-  
 mur, & cognoscamus quatenus noxa ex con-  
 tusione peruenerit, ideo inde exoritur & ter-  
 tia indicatio ab hoc timore desumpta; nempe  
 omni ope inflammationem esse arcendam,  
 quæ indicatio nobis hos scopos ostendit: re-  
 uellendum vt occurramus fluxioni, & repel-  
 lendum, vt fluentes succi minimè ab offensis  
 partibus admittantur. De priori scopo non  
 multa dicemus, quia diuersis remedijs illi erit  
 satisfaciendum. aut enim vacuando fieri po-  
 test reuulsio, nēpe secta vena, aut per medica-  
 menta. Nam vt ait Galen. medicamenta al-  
 uum cientia, in affectibus capitis insigniter re-  
 uellunt, siue fuerint deuorata, siue per clyste-  
 res injecta. Conditio verò vel status corpo-  
 ris hæc definiet: sicuti si corpus plenum sit,  
 aut cacochymum: si febris adsit vel absit, nam  
 vbi febris insignis aliqua sit, vt 2. de rat. vict.  
 in acutis morb. dixit Galenus, longe magis  
 commoda est sanguinis detractio. Sed si cor-  
 pus neutro modo plenum est, possemus illud  
 agere fricatis partibus inferioribus aut assi-  
 xis cucurbitulis præcisa cuti, aut citra incisio-  
 nem. sed hæc aliquantulum præter institu-  
 tum videtur. Ad repellendum, & maxime op-  
 portunum, & in maximo vsu est oleum rosa-  
 cæum, quod astringit, & leniendo dolorem se-  
 dat: &

dat: & cum duplex sit ratio parandi oleum, si vrgeret magis dolor, aptius esset illud quod in præsentia completum appellant: si autem magis videretur refrigerandum & repellendum, illud quod Græci omphacinum nunciant, aptius esset, quod ex oleo confectum est quod non sit planè maturum. Perfundendum ergo quo ad erit timenda inflammatio, oleo rosaceo tepido, atque superaddendus, præterea erit linteus eodem oleo perfusus, circumvicinas partes contegens. neque oberit, si in vulnus inter initia infundatur. Medicamenta verò prioribus indicationibus accommodata, vt prius fuit quoque dictum, tertio libro fuere exposita, & propterea non hic repetenda, quia curantur hæc sicut alia vulnera cum contusione alijs inflictæ particulis. Verùm quia interdum aut à primo illato vulnere cum cutis diducta & dilacerata est, aut etiã dum locus & vulnus dilatatur, incisa cute & membrana, excitatur copiosa sanguinis profusio; cum venæ insignes etiã in ea operatione rescindantur, huic symptomati etiã occurrendum est, & sanguis est cohibendus. spongia autem in aceto intincta sanguinem nonnulli reprimebant. alij linamentis imbutis cenelæo, hoc est vino & oleo. oleum enim dolorem mitigat, vinum verò præsertim austerum astringit. alij oxycrato, hoc est po-

sca. alij verò ficcis linamentis vulnus replent,  
 quæ præcipuè loco apponunt, vnde emanat  
 sanguis, superaddito deinde linteolo aliquan-  
 to ampliori quàm sit vulnus, imbuto vino, o-  
 leoque. Suppresso autem sanguine, atq; mun-  
 dato osse, nisi reliquus sit dolor aliquis in illis  
 vulneribus, in quibus os pertusum nõ sit, aut  
 saltem ad internas partes non penetret scissu-  
 ra, sola extat indicatio ad generandam esse car-  
 nem qua os contegatur, vulnusque repletum  
 ad æqualitatem perducatur, vt deinde & con-  
 solidetur. sed cum carnis procreatio, vt priori  
 libro diximus, sit solius naturæ opus, quã nõ  
 modò generari oportet, verùm & procurare,  
 vt possit ossi hæere dum quasi pullulat, & in  
 hoc præsertim, vt 6. meth. exposuit Gal. ope-  
 ram medici desiderat, nã maximè naturæ ob-  
 stare potest, si pingue aliquod aut fordes que-  
 piam à circumstantibus partibus ad os con-  
 fluat, in his ergo subuenire naturæ poterit suis  
 medicamentis, si vim habuerint insigniter de-  
 siccandi. Is ergo est scopus, quem in hoc statu  
 maximè, tum ab ipsius affectus, tum ab ipsius  
 particulæ natura deprompta indicatio nobis  
 offert: nempe desiccandum propter affectum  
 vt diximus: validè verò, propter naturam af-  
 fectarum particularum, primum quidem os-  
 sis siccissimæ partis, deinde pericranet, tertio  
 & cutis capitis. Ergo semper vtetur medicus  
 vsque

vsque ad curationem absolutam desiccantibus, quæ morsus sint expertia, quæque cephalica, hoc est capitalia medicamenta appellari solita sunt, tanquam huic negotio congruentia: id genus verò sunt, quæ primum à Galeno enumerata habemus, & itidem ab alijs omnibus repetita. vt sunt iridis radices, erui farina, thuris manna, radicum item cortex tam aristolochiæ, quam panacis, & tandem cætera quæ similem cum his naturam habent, nempe quæ sine morfu desiccant. Ex his enim tritis & commixtis conficitur aridum, & inspersibile medicamentum. nam hæc in primis huic officio aptiora sunt, Galenus enim ac reliqui probati medici consuluere, declinanda esse medicamenta, quæ tenera molliaque sunt, quibusque linamenta imbui possunt. quia tamen fidesiccant insigniter, tamen pinguis aliquid vel oleaginosi continent. Sed iam transeamus ad vulnera capiti inflictæ cæsim vel punctim. de illis autem quæ ad caluariam non pertinent, non est quod aliquid præterea dicamus, nisi quod eadem est eorum curatio, quæ & aliorum vulnerum adeo, vt antiqui dixerint ea etiam suenda esse, si amplitudo eorum requirere videatur. Sin autem os attingant, pro maiori vel minori noxa ossi illata, ita vario modo res est tractanda. nam si incisura aliqua appareat, citra tamē ossis contritionem, scalpris os

abradendum, donec illa deleatur. Alioquin  
 enim cum necesse sit humiditatem aliquam  
 in ea contineri vel ichorem, is putrescens infi-  
 cere atque corrumpere os facile poterit, ac sub  
 inde ad internas vsque partes vitium illud ra-  
 tione connexionis, quam mutuam habet, im-  
 pertiri. Sæpe enim in similibus capitis vulne-  
 ribus, cum alijs recte administratis, per dies  
 multos omnia recte successissent, tandem cœ-  
 pit os liuescere & subnigrescere, quod deinde  
 concomitata sunt grauissima symptomata, vt  
 sunt rigores, febres, tremores, deliria, & id ge-  
 nus alia multa: postremo verò & interitus. i-  
 mo & hoc interdum obseruauit, quod abra-  
 sum fuit os, vt penitus deleteretur aliqua rima  
 in eo adparens, & eo vsque abradentes scal-  
 pris chirurgi progressi sunt, vt finita fuerit ri-  
 ma: adeo tamen in fundo os exile relictum est  
 vt ab aere, vel ab alijs causis se defendere ne-  
 quiuerit. vnde postea quasi extincto eius calo-  
 re natio cœperit liuescere & denigrari. quo  
 neglecto male deinde cum laborante actum  
 est. Aliquando verò ablato tenui illo & vitia-  
 to osse consultum est illius saluti. Quod si in-  
 cisio arripuerit os vniuersum vsque ad inter-  
 nas partes, illud aperiendum erit vel scalpris,  
 vel terebello, vel alio id genus instrumento,  
 ne aut resudans, aut destillans ichor, aut ali-  
 qua humiditas ad internas membranas, ibique  
 conclusa

conclusa & destituta à perspiratione, putrescat, & illas pessimè afficiat, hominemque ad extrema pericula adducat. Aperto itaque offe facto in ipso, vt diximus, foramine, id in primis considerandum, quid agendum sit, vt hominem ab imminente discrimine liberemus, id autem præstantissimè agere poterimus, si quibus periculis est obnoxius, probè teneamus. hoc enim percepto, rationem non ægre inibimus qua illi consulendum sit. Periculum autem duplex in his affectibus extat. Primū à fluxione humorum impendet, ne ob imbecillitatem loci tum obiectum, tum etiam, internæ partes detectæ aeri frigidiori exponantur, qui illis maximè noxius est & ob dolores & concussionem capitis ex plaga, ex motu spirituum, & sanguinis, qui concitantur ex animi motione, tum timore quando vulneratur aut ira aut similibus animi perturbationibus agitantur, calidi confluant succi, qui inflammationem inferant, & hoc commune ferè est omnibus vulneribus, præsertim inter initia, quia facile inflammationibus patent. & proinde inter primos scopos is est, inflammationem arcere. In his autem vulneribus, non modo partibus externis timenda est inflammatio, verùm & interioribus: nempe membranis & cerebro. Alterum verò quod imminet periculum est ex humiditatibus, vel ichori-



bus, vel pure destillantibus ad internas partes, præcipuè ad membranas. nam si ibi morerentur, contrahunt putredinē, & subinde acrimoniam, quæ noxas illis vehementissimas inferunt, his ergo prospiciendum est. & quia primum periculum magis præceps est, ideo maiorem in initio vim indicandi habet. quare ab hoc inchoandum est. & primū contra inflammationem est pugnandum. Sed hoc aduertendum præterea est, quòd eadem est ratio oppugnandi aliquem affectum, quando iam in initio est. & quando nondum quidem incepit, sed suspicamur ac incipiat, vt ex Gal. accipi potest in libro de curandi ratione per sect. ven. cui videtur & Hippocrates attestari qui libro commentariorum in epidem. ait, quod quæ administrata curare possunt morbum præsentem, illa si prius fiant, obstant quo minus fiat is morbus, cui & hoc addamus, quod inflammatio membranarum, sicuti exponit ybique Galenus, propriè phrenitis est. nisi quod cū phrenitim dicimus ita absolute, eam intelligimus quæ sponte sua oritur in capite, nulla illi præstita occasione ab aliqua plaga. Si tamen ad ipsam rei naturam respiciamus, idem est omnino affectus, & ideo eadem etiam methodo curatur, et si in aliquo enariant, id potius euenit ratione alterius conditionis diuersæ quæ reperitur in particula affecta, sed primum

num ea quę omnino eadem communia sunt exponemus: postea verò, & illa in quibus aliqua est varietas. Cui itaque scopus primus sit, vt obstetamus futurę inflammationi, istius verò rei vniuersum momentum sit in ipsa fluxione, quę possunt obstare fluxioni, ea omnia huic scopo attinent: vnde & tenuissimus victus, quantus potest à sauciato homine perferri maxime congruens erit, interdicitis præterea illis omnibus, quę possunt sanguinem commouere: in primis verò vino, & quęcunque calida solent replere caput, siue bibantur vel comedantur, siue odorētur, sicut aromata & proinde etiam motiones tam corporis, quam animi noxię sunt, cum succos facile commoueant. Contra verò quies quanta esse potest, commoda est. Deinde verò quia vix fieri potest, quin huiuscemodi plagis non commouentur succi: ideo & necessarium est, vt rem nostram in tuto collocemus, motos humores reprimere, ac etiam à loco affecto auertere. hoc verò, si vires & ætas possit hoc remedium admittere, fiet secta vena, aut interiori, aut exteriori in cubito, aut media, & id præ ratione maioris vel minoris plenitudinis corporis, sed interdum neque satis fuerit semel venam secare, sed bis. Et quamuis hoc proximè non videatur ad præsens institutum pertinere: non possumus tamen

& illud sub silentio præterire, quod legentibus aliquando poterit esse utile. nam sæpe & Galenus in libris de medicamentorum compositione, quamuis instituisset ibi de medicamentis agere, interdum tamen à quadam rerum connexionione tractus, vel ex aliqua utilitate, aliorum etiam instrumentorum medicinalium meminit. Porro cum semel cum alijs etiam præstantissimis medicis interesset cuidam curationi nobilis cuiusdam patricij, qui vulnus præmagnum in capite acceperat, quod non modò os discisserat, sed & internas membranas, gladiusque in cerebri substantiam, quantus est transversus digitus fuerat adductus, vulnus autem erat parum supra futuram, quæ à litera Lambda nomen habet. cumque omnibus rectè peractis, res usque ad transfatam quintam felicissimè successisset, statim nulla alioquin præfrita occasione, cœpit à rigoribus cum aliquo dolore capitis corripi, vulnusque solito pallidius & depressius visum est. vnde omnes cœpimus esse consternato animo. Ego verò ad me ipsum conuersus cogitabam, vnde hæc tam sæua cœpisset procella, cumque pro certo haberem, hæc esse signa sub orientis inflammationis, putabam huic esse incumbendum, nec leui sed valido remedio. Aperui itaque consilium meum, & cum vires æ essent, quæ id genus remedium possent

ferre

ferre, proposui, vt iterum secaretur exterior  
 vena in cubito, quam cephalicam appellant,  
 consensere omnes. Sanguine autem detracto  
 omnia sedata sunt, & vulnus etiam melius in  
 colore visum est, indeque res semper melius  
 se habuit, & tandem facile pro ratione vulne-  
 ris conualuit. His autem & illud addamus,  
 quod & addidit Galenus, secundo de compo-  
 medicamentorum secundum loca capite pri-  
 mo, quod si vel vires, vel ætas eiusmodi reme-  
 dium ferre minimè possent, alia ratione esset  
 reuellendum leuioribus & facilioribus instru-  
 mentis, nempe clysteri. Vbi vnum videtur hic  
 considerandum, quod in his fortasse dampnan-  
 dus videretur Galenus, vt pore qui eandem  
 calumniam pati videretur (nam hæc à Galen-  
 descripsimus) cuius ipse Apollonium insinua-  
 uit, quia quibus clysteribus sit vtendum, cum  
 eorum viribus & robore diuersa admodum  
 sit ratio, vt primo istius compendij libro ostē-  
 dimus non explicauerit. Verùm si aliqua vo-  
 lumus huc transferre quæ ille hoc eodem li-  
 bro exposuit, hæc præsertim referenda sunt  
 ad acriores clysteres, quia scopus ille est, fluen-  
 tium humorum impetum reuellere. Auicenna  
 verò in capite de dolore capitis ex casu aut  
 percussione, rem hanc magis per appetitas li-  
 mitationes definuisse visus est, & quidem ex  
 bona satis ratione, qui non modo laudauit cly-

## 482 DE COMP. MEDIC.

teriorum vsum, & illorum acrium quidem interdum: verum & catapotijs quandoque vti oportere ait, & valentioribus etiam catapotijs, qualia sunt quæ cochizæ dicuntur: hac verò vtitur definitione, vt considerandum sitan cum dolore sit adiuncta febris, præterea verò & tenor vel modus febris, quia si adfit febris alicuius momēti, oportet continere nos ab eiusmodi catapotijs, alijsq; id medicamentis soluentib. imo & clysterib. qui sint valde acres, & moderatis vti oportet: si verò aut nulla aut exiguua adfit febris, & acris clysteribus vti licebit. hæc verò definitio descripta est a Galieno, qui tamen videtur voluisse imitari Galienum de ratione vici in acut. mor. qui vbi explanans Hipp. sententiam quæ præcipit pleuriticos vacuandos esse si dolor descendat peplion vel nigro veratro, ait illud quidem fieri posse, cum si nulla adest febris, quæ acuta & insignis sit quod mihi annotatu dignum videretur, id tamen à multis medicis neglectum est, qui sæpe hæc cataporia illis exhibent, quibus vulneratum est caput aut contusum, quamvis credant aut suspicentur male affectas esse internas partes: & periculum adesse inflammationis. Neq; enim potest adesse suspicio inflammationis internæ sine acuta febre, cum in eodem genere sit cum phrenitide: tunc ergo illa medicamenta dari possunt, vbi externæ partes in-

tes incommodum passę sunt, non aut quando internę, quod vel ea ratione potest probari. Quia si ad naturę morbi respexerimus, a qua prima remediorum indicatio accipienda est, ut eodem capite insinuavit Gal. is affectus idę natura & specie est cū phrenitide, & eandem curationem, paucis admodū mutatis, desiderat. Nullus aut in curanda phrenitide qui legitimus medicus fuerit, laudavit horū cataportionum vsū, sed si aliquib. medicamentis aluūcientib. videatur esse opus, non transgrediuntur eorū ordinem quę leniunt & refrigerant. Sed ad nostrum institutū tandem redeamus, quod est de externis & localib. medicamentis agere. His itaq; expositis quę cōmunia sunt phrenitidi quę citra vllam causam procatartica oriuntur, & inflammationē, quę plagam in capite acceptā sequitur, id considerandum quod alia ratione res tractanda erit inter initia, si nulla sit alia indicatio pręter illā, quę ab inflammatione accepta est. Indicatio autē quę sæpius solet in hoc affectu vim habere, ea est quę a dolore proficiscitur. nam si adsit dolor adeo insignis, ut vim indicandi assumpserit, quā primū ab his medicamentis cūratio inchoanda erit, quę possunt sedare dolorem paregorica vero a Gręcis dicuntur. ita enim instituit Galenus secundo de compsi. medicamentorum secundum locos in curatione

## 484 DE COMP. MEDIC.

doloris capitis ex plaga. vbi statim irrigandū esse caput ait oleo dulci ex lana eo imbuta. In osse autem perforato, licet etiam incisa sit interior membrana, cum calamintæ succum confilio Archigenis infundendum esse dixisset, inspergendamque farinam milij aridam, deinde esse infundendum medicamentum confectum ex butyro, oleo rosaceo, & adipe faullosalis experite, veteri tamē, simul liquatis & mixtris. in quo si omnia velimus recte æstimare butyrum vim habet molliendi, aliquātulum etiam digerendi. adeps suillus inueteratus aliquantisper & ipse molliit, quamuis longē magis dum recens est. Insigniter autem satis digerit, cum vetus est, oleum rosaceum modicè quidem ex oleo habet quod molliat & digerat, sed potius in hoc medicamento accipitur, quia tum refrigerando, modicè tamen, tum astringendo potest influentes humores repellere, & robur particulæ seruare. Est autem medicamentum vniuersum temperati caloris, atque ideo mitigando dolori aptum. Sed hæc omnia præsertim congruentia sunt, quando morbus à plaga ortum habuit, & præcipue ex contusione, doloremque adeo magnum habet assidentem, vt eius indicatio vrgeat multum. In affectib. aut capitis, vbi aliqua adest inflammatio, quæ aut iam inceperit occupare internas particulas, aut ea pro forib. sit, alia erit incun-

ineunda curandi ratio. Nā in vniuersum quātum ad curationis methodum, eadem erit ratio, quæ & ceterarum inflammationum, nempe vt à repellentibus in initio inchoemus, in incremento digerentia cum repellentibus commisceamus, vt in tertio lib. exposuimus, mox solis laxantibus & digerentibus vtamur. Particulatim autem materię quæ his scopis satisfaciunt eligendæ sunt, habita in primis ratione illius particulæ quæ ab inflammatione tentatur, & inde de promptæ indicationis. Sed ne verbis nimis abundemus, rem perstringam⁹. Itaq; cum repellentia, tum refrigerent, tum astringant, & neq; vehementer refrigerantia, neque nimis astringentia sint ad modum capiti in his affectibus, vt paulò post ostendemus, accommodata, ideo ab omnibus oleum rosaceum communi consensu ad repellendum in inflammationibus capitis laudatur siue cum vulnere sint, siue citra vulnus, vt in phrenitide. Nam cum sit eadem ratio morbi, & eadem particula quæ inflammationi obnoxia est, eadem etiam requirit rationem remediorum. rosaceum verò oleum omnibus visum est eatenus refrigerare & astringere posse, quatenus his inflammationibus satis sit, & quamuis aliquam etiam vim digerendi habeat: tamē hoc tempore venit præcipuè in usum, ratione repulsionis, quæ fit ope astringentis facultatis.



Ut tamen neque inutilis sit digerendi & laxandi facultas, qua præditum est. nam potest ab ea aliquantulum sedari dolor, cuius nunquam expertus est inflammatio, qua exercetur partes aliquo sensu præditæ. Est tamen aliqua diversitas in usu ipsius rosacei, quæ non accipitur à morbi ratione, sed ab aliqua ratione affectæ partis. nam in phrenitide, vbi nullum vulnus neque vlla est in caluaria pertusio, modicum admodum esset commodum, quod natura posset expectare ab usu olei rosacei. Cû enim illi sit per tot partes transeundum anteaquam peruenire possit ad inflammatam. quarum pieræque densæ & solidæ sunt. Primû enim cutis capitis, & crassa, & dura est, pericranium etiam & si satis tenuis sit membrana, densa tamen est, vt de caluaria nihil dicâ, quæ os crassum est, Sed & membranæ internæ ita crassæ & densæ sunt, vt non facilè possunt admittere medicam. transitum, vt testatur Gal. semper dissoluitur aliquid virium medicamenti, ex ea transmutatione, quæ mutua est inter particulas & medicamenta. Hac itaque de causa inierunt rationem medici, vt oleo rosaceo aliquid adderent aceti. hæc enim additio, cum & acetum repellat refrigerando, addit aliquid rosaceo, sed longe magis prodest, quia cum facilius possit, citiusque se in profundum indere ratione tenuitatis suarum partium,

partium, secum præterea & oleum ducit, atque fiat aliqua insignis virium eius dissolutio, neque tamen timendus aliquis morbus, & irritatio ex aceti acrimonia, quia ista, tum in transitu, tum verò mixtura olei non parum mitescunt. In affectibus autem capitis ubi cutis detracta, & pericranei pertusum est os, non est hæc difficultas medicamenti in transitu, quæ possunt in membranas infundi & proinde non est alioquin opus, ut oleo addatur acerum, sed satis est oleum rosaceum, quod quidem licet aliquid habeat digerentis, præsertim tamen repellit astringendo & refrigerando: sed in incremento etiam inflammationis opportunus erit usus olei rosacei. Nisi quis fortasse obijciat, quod hæc cum prioribus non videntur consona. Diximus enim quod ratio curandi has inflammationes continetur sub generali methodo curandarum inflammationum, quemadmodum & hæc inflammationes sub communi inflammationum genere continentur. Methodus autem communis curandarum inflammationum in his regulis fundatur, in initio solis repellentibus uti oportet. In incremento autem cum repellentibus miscenda esse digerentia, donec in ipso vigore solis digerentibus locus relinquatur. hæc enim in tertio libro ex omnium medicorum sententia à nobis fuerit

exposita. In his autem inflammationibus capi-  
 pitis curandis inter initia medici volunt me-  
 dicamenta esse mixtæ facultatis, nimirum re-  
 pellentis & digerendis, item & in incremento  
 immo & in ipso vigore. Huic dubitationi re-  
 spondemus, quod generalis curandarum in-  
 flammationum methodus ita requirit, vt re-  
 gulæ quæ nuper relatæ fuere præscribunt, iti-  
 dem in tertio fuit expositum. Sed hæc omnia  
 solum deprompta sunt à communi naturæ  
 inflammationis quatenus inflammatio est,  
 non autem, vt hanc vel illam particulam re-  
 spicit, quia in communi & generali ratione  
 nulla comprehenditur comparatio magis ad  
 vnum definitum locum quam ad alium. in-  
 dicationes verò quæ à certis & definitis qui-  
 busdam particulis depromendæ sunt, vim tā-  
 tam habent, vt communem methodum defle-  
 ctere aliquatenus & vitare possint, nam par-  
 ticulæ illæ quæ aliquas habet obeundas actio-  
 nes quæ nobiles admodum sunt vel necessa-  
 riæ vitæ animantis, cogunt medicum eorum  
 robori semper prospicere, ne dissoluatur, Vn-  
 de semper medicamentis vtuntur medici,  
 non modo in sanandis earum inflammationi-  
 bus, quæ habent vim aliquam astringendi, ve-  
 rum & in cæteris quoque affectibus ad illas  
 pertinentibus. Hoc enim seruari solet in me-  
 dicamentis accommodatis ventriculo, iecino-  
 ri, cor-

ri, cordi, cerebro. Sed in præsentia hæc satis sunt. & vt tandem finem huic capiti imponamus; aliqua quam breuius poterimus, quæ necessaria sunt ad rectum horum medicamentorum vsum, expediemus. Primum ergo hoc etiam explanemus, quo modo oxyrhodino, vel solo rosaceo expediat in his affectibus vti calidisne, vel tepidis, vel potius frigidis? Alterum, quando acetum immiscendum est oleo rosaceo in initio, quotuplum oporteat esse oleum ad acetum. Nam 2. de compositione medicamentorum secundum locos, capi. 1. hoc vitio vertit Apollonio, quod illud non definierit, quod tamen & ipse prætermisit.

Quatenus ad primum pertinet, si de vsu rosacei in capitis vulneribus sit sermo, præsertim si ad internas partes penetratum sit, nulli potest esse dubium, quod oporteat, aut tepido, præsertim in æstate, aut aliquanto calidiori, maximè in hyeme eo vti. nunquam autem ætate frigido, cum frigus illis particulis nocentissimum sit, cum etiam in æstate aer frigidus tanquam res maximè noxia fugiendus sit, vbi verò integrum sit os, & externæ partes, nõ est æquè res hæc clara, immò maximè in ea dissentiant medici, & illi sanè celeberrimi in hac arte. Arabes enim, vt Auicenna & Mesues præcipiunt, vt eo frigido & insigniter frigido, vt pote quod sit ex niue refrigeratum vti-

mur, quod à Galen. fortasse desumpserè, qui  
 in eodem de compositione medicamentor. se-  
 cundum locos in curatione doloris capitis ex  
 causa calefaciente, vt à solis ardore, siue sit so-  
 la intemperies, siue sit cum affluxu vaporum  
 vel humorum calidorum. atque hoc esse & op-  
 timum remedium in hoc affectu, vt pote  
 quoniam repellit, tum vapores, tum humo-  
 res qui ab infernis partibus sursum feruntur,  
 eosque deorsum detrudit. Huic tamen senten-  
 tiz aduersantur omnes ferè Græci auctores.  
 imprimisque Aetius ex Posidonio apertissi-  
 mè ait, æstate tepidum esse perfundendum:  
 hyeme verò, aliquantisper calidum. Sed &  
 Apollonius, vt hic refert Galenus, idem sen-  
 sit. Paulus quoque in eandem sententiam  
 concessit, cui & Alexan. Trallianus subscri-  
 pfit. Mihi autem cum his Galen. consentire  
 videtur: nam propositis medicamentis, quæ  
 ad dolorem capitis descripsit Apollonius, sin-  
 gularim ea in examen deducit, & vbi reprehen-  
 sione dignus ille videtur, reprehendit, expo-  
 nitque illa quæ nullo modo ipsi probantur.  
 aliqua verò damnat, quia sint indistinctè de-  
 scripta, quæ tamen distinctione aliqua ege-  
 bant, sicut de immixtione aceti eum oleo ro-  
 sacco. si itaque putasset differentiam esse ratio-  
 nem oxyrhodini cum fractum est caput, & cū  
 integrum est, interior tamen aliqua pars est  
 inflam-

inflammata, cum hoc multum referat, in co-  
ctiam damnasset Apollonium. Huic accedit,  
quod decimotertio meth. cum de pleuride,  
& lethargo sermonem haberet, dixit in ratio-  
ne curationis in principio similes esse, eisdem  
que egerere remedijs, utidemq; in fine, in medio  
autem omnino requirere contrariam medi-  
camentorum rationem, unde pariter in utro-  
que oxyrhodinum laudat. postea vero, quia  
inualefcunt symptomata in illis citrinio ad-  
uertaria, in altero inmodica vigilia, in altero  
fere inexuperabilis somnus, ideo in altero  
necessaria sunt, quæ somnum conciliant: in  
altero, quæ maximè à somno excitent. Si er-  
go sensisset in altero frigidum, in altero tepi-  
dum, aut calidum esse perfundendum, istius  
rei, cum non parui sit momenti, meminisset.  
neminem autem puto sentire in lethargo fri-  
gida esse perfundenda, unde nobis videtur po-  
tius hærendum Græcis auctoribus, quam A-  
rabibus in hac re. Et si quis dicat ad Gal. pro-  
positam sententiam de curando capitis dolo-  
re ab ardore excitato, quomodo respondebi-  
mus. Nobis Posidonius viam ostendit, quan-  
do non modo ait tepidum adhibendum esse  
oxyrhodinum, verò & istius rationem reddit  
& ait, frigida actu declinanda, quia materiã in  
inflammatione comprehensam, & infarctam  
magis inculcarent, atque ita deinde eius dige-

tionem longè difficiliorẽ efficerent. Ecce ergo cur fugimus frigus actu. in dolore verò ex ardore solis excitato, licet adsit materia, quæ partim fluxit, partim fluit ad caput, non est tamen illa infarcta & inculcata in ipsam affectam particulam, vt in inflammatione, sed fluit, & vt secundo libro commentariorum, in primum epidem. tradidit Galen. quasi aluit ipsas particulas: vnde propterea neque deinde timemus ne intrudatur inculceturq; in substantiam loci affecti. Sed & alterum dissoluamus, quod de portione aceti immiscendi oleo rosaceo propositum fuerat. Dicimus ergo quod istius rei nequit fieri certa & exquisita determinatio. nam cum præsertim ad hoc immisceatur, vt faciat faciliorem penetrationem medicamenti ad internas partes, pro ratione corporis, ita varianda est aceti mixtura. Nam alia alijs sunt densiora, duriora & solidiora corpora, tum cutim, et tũ caluariam crassiorẽ & duriorẽ habent. quo fit, vt alia etiam alijs maiori egeant ope ad penetrandum, in his ergo erit etiam opus copiosiori aceto. Et quamuis Galen. in libro de facile parabil. medic. cap. i. hoc diffiniuisse videatur, dixisse quæ oportere, vt quadruplum sit oleum ad acetum: hoc tamen accipiendum ita esse prolatum, non vt semper sit hæc mensura seruanda, sed tanquam hæc sit satis mediocris, & quæ sæpius

sepius possit esse congruens. Hic mihi tamen neq; id prætereundum videtur, in quo alios medicos hallucinari animaduerti, qui putant in oxyrhodino plus interdum aceti imponendum, quam rosacei. & id quando nimis vrget somnus, quia acetum maiorem vim habet excitandi. cui rei nullum antiquorum auctorum attestantem, me legisse memini. Galenus quidem 13. methodi, capite 12. dixit, omnes inflammationes cerebri, siue sit phrenitis, siue lethargus, siue sit affectus medius inter hos, in initio egere repulsionis gratia, quando integrum est os caluarie, oxyrhodino, sed si perforatum sit os, satis esse rosaceum oleum, in secundo de compositione medicamentorum secundum locos cap. 1. pronuntiauit, acetum que addi, vt facilius ad fundum vsque perueniat vis olei rosacei, ex quo facile quisque percipere potest, satis esse vt tantum aceti imponatur, quantum sit satis ad penetrationem. & proinde, quod nunquam sit opus plus aceti indere quam olei. Accedit ad hoc, quod idem Galen. in lib. de facile parab. med. capite 1. de dolore capitis ex solis ardore agens, ait, quod sit in oxyrhodino imponendum quadruplum rosacei, & subiungit, nisi plus refrigerare velis, tunc enim plus aliquanto aceti imponendum. Quia vero hæcenus de oxyrhodino verba fecimus quatenus pertinet ad



inmixturam aceti & modum illud perfundendi nempe calidum vel frigidum, quia etiam aliquid dubium posset alicui negotium facessere quantum ad oleum pertinet, cum duplex sit eius conficiendi ratio: interdum enim fit ex immaturo oleo, quod omphacinum appellant, interdum ex maturo, quod in præsentia completum nuncupant. Differunt autem eorum facultates, quia omphacinum magis astringit & refrigerat, quàm alterum: quod autem maturum est, magis mollit & digerit. Cum ergo ita differant, viderur rationi consonum, vt differens subinde sit etiam ratio usus eorum. Hinc dubitationi ita viderur respondendum, quod vbi maior viget caliditas, ibi magis accommodatum est omphacinum: vnde Galenus in dolore capitis ex ardore solis præfert oleum rosaceum omphacinum. In initio etiam inflammationum cerebri quæ proximè accedunt ad naturam phrenitidis mihi magis probaretur omphacinum, siue fracta esset caluaria & pertusa, siue secus, quia maiorem refrigerationem & repulsionem requirunt. At in inflammatione hac, quæ magis naturam lethargi habet, putarem, oleum rosaceum maturum aptius fore, quia non eget tanta refrigeratione & astrictione, cum à frigido humore suapte natura ortum habeat & crassiori. post principum vtrobiq; mihi ma-  
turum

hunc magis probaretur: imò in lethargo magis etiam chamæmelinum. Sed quia hæc rationem curationis, quæ communis est omnibus incipientibus inflammationibus, exposuimus, quatenus nimirum ad naturam & usum medicamentorum pertinet, & ut ait Gal. quantum ab initio deinde recedunt, tantum magis eorum ratio euadit diuersa & quasi aduersaria fit, & id sicuti 12. meth. c. 4. & 21. idem ait, ob diuersam & ferè ex toto oppositam symptomatum naturam, quæ oppositam naturam ipsorum morborum sequuntur. phrenitidis siquidem, quæ à calida siccaq; materia ortum habet, comes est vigilia omnino modum excedens: lethargiam vero, inexuperabilis somnus. Itaq; postea quam circa has cerebri inflammationes vertitur in præsentia nostra oratio, de illis particularim agamus, quæ ad curandas utraq; inflammationes solent in usum venire. Cum igitur quo magis increfcit inflammatio, eo etiam magis symptomata sequantur, quæ inflammationis in ea parte subortæ naturam sequuntur, & phrenitidis, cuius causa est humor calidus & siccus, comes est maxima agitatio corporis, & interdum tanta, ut vires deiciat, vigilia maxima, & plerumq; continens & perpetua, deliriumq; perpetuum, ac constans, oris & lingue ariditas: & sæpe denigratio, febris etiam ardens. His occurrendum erit non modo

illis remedijs quæ somnum conciliant, sed interdum quia extremi morbi extrema remedia desiderant, illis quæ soporem & torporem afferunt, nec modo sensibus, verum & internis, & principalibus facultatibus. vnde succo lactucæ vtuntur medici, vel eius decocto, caput perfundentes, aut decocto ex capitibus papauerum, & alijs id genus medicamentis, quibus & caput perfundunt, & naribus, vt odorêtur, offerunt. Sed & illitiones interdum parantur, quæ temporibus naribusque illiuntur, vt sunt oleum violaceum & nenupharinum, quibus interdum commiscemus, & succum lactucæ. Aliqui accipiunt olei violacei, nenupharini, anethini singulorum drachmas tres, opij gran. 3. & his mixtis inungunt internas nares & tempora. In maximo autem vfu his temporibus fuit vnguentum, quod à Nicolao descriptum & paratum apud omnes ferè seplasiarios reperitur & appellatur Populeo, quia germina populi arboris aliorum omnium simplicium rationem excedunt. Eorum enim libram accipit, seminis papaueris nigri, foliorum mandragoræ, summitatum rubi tenerarum, foliorum hyosciami, solani minoris semperuiui, quod vermicularem herbam in præsentia vocant, semperuiui maioris, personaceæ, quam bardanam nuncupant, violatum, umbilici veneris, singulorum uncias 3.

axua-

axungia porcinae citra salem libras duas. Oculi populi seorsum primum tunduntur, mox iterum cum axungia, ac efformantur, ut nunc dici solet, in magdaleones, per biduum que ita dimittuntur, tertio vero die predictae omnes herbae seorsum prius, deinde iterum simul cum predictis magdaleonibus mixtim teruntur, iterumque confectis ut prius magdaleonibus, quiescendum est per dies novem qui postea frustatim incisi coquuntur ex libra vini optimi odoriferi, donec vinum absumat, semper tamen spatula agitando. Postremo succo omnia imposita exprimendo colanda sunt, & ubi refrigerint, servanda ad opportunum usum. Omnia quidem refrigerant, aliqua ratione etiam nonnihil astringunt, ut rubi germina, solanum, plantago. Alicuius temperati caloris est axungia, quae materiae officio fungitur, calefacit & vinum aromaticum, quod tamen si possit contemperare multum eorum frigus, puto tamen potius fuisse impositum ut perducatur & penetrare faciat vim medicamentorum frigidiorum, praesertim vero ad caput, atque ita somnum conciliet. Vim ergo refrigerandi insignem habet. Solent tamen medici interdum aliquid opij immiscere, ut habeat maiorem vim soporem afferendi, ut semunciae duo vel tria grana, inungunt autem tempora & nares, ut paulo ante dixi.

mus. In lethargo autem hoc tempore sicut di-  
 uersissima, immodò omnino opposita accidunt:  
 symptomata, ita penitus opposita remedio-  
 rum ratio instituenda, tam ratione materie à  
 qua morbus excitatus est, quam etiam quate-  
 nus pertinet ad ipsa symptomata, quæ illi as-  
 sidere solent. Materia enim cum frigida lenta,  
 & crassa sit, ostendit opus esse medicamentis,  
 quæ vim habeant attenuandi, siccandi, ac ca-  
 lesfaciendi. Symptomata verò quæ illam se-  
 quuntur, sunt quædam segnities corporis, fo-  
 rmaus vel sopor, & quasi stupor facultatis tam  
 sensitricis, quam motricis. Quare his etiam  
 obsistendum remedijs excitantibus euigilan-  
 tibusque, & propterea cum oxyrhodino illa  
 commiscenda sunt, quæ & coquendi, & atte-  
 nuandi digerendiq; facultatem habent, unde  
 & oleū chamæmelinum erit præstantius hoc  
 tempore rosaceo. Interdum verò, si & aliquid  
 rutacei intermisceretur, id non esset alienum  
 ab hoc instituto. Castoreum quoq; cum his  
 contritum, atque illitum syncipiti summis ef-  
 ferrur laudibus in hoc negotio, utpote quod  
 concoquat, attenuet & digerat euigiletq; dis-  
 cussis vaporibus frigidioribus qui somnum  
 fouent. Sed & odoraamenta attenuantia & e-  
 uigilantia maximè vtilia sunt, aut naribus il-  
 lita, aut odoranda oblata, quemadmodum ef-  
 fet ruta ita arida, serpillum, sampluccus, cala-  
 mintha,

mintha, pulegium, origanum, & id genus alia multa, quæ, & efficaciora erunt, si ex aceto, & illo etiam acerrimo cocta atq; ita calida naribus olfacienda opponantur. Sed quia de his satis longum sermonem habuisse videbimur, opportunum erit, vt huic capiti finem imponamus. Verùm cum à nostro instituto alienum nequaquam sit censendum: si pauca quædam de medicamentis illis addiderimus, quæ cephalica ab antiquis medicis dicta sunt, propterea quia in fracturis capitis æstimarentur esse admodum vtilia. Nam & de his egit Galenus secundo de compositione medicamentorum secundum genera, primùm de illis in vniuersam agemus, deinde verò particulatim. Reuocemus ergo in memoriam, quæ paulò antè fuerè exposita, nempe quod ea quæ maximum negotium in capitis fracturis facessere possunt, aut ossis fragmenta sunt, quæ attingentia membranas cerebri, eas pungant vel premunt, aut ichor aliquis, sanguisue, qui vel ex venis disruptis vel incisis, vel alijs partibus, vt ex osse fracto, vel circumstantibus partibus effluens, supra membranas delabitur, ibique corruptus, multa affert incommoda, & interdum extrema pericula. Quare cum princeps scopus medici in his malis curandis sit viciosum humorem extrahere, qui omnium malorum in

causa est, & os, si quod depressum est attol-  
 lere, ad hoc officium medicamenta illa erunt  
 apta, quæ vim insignem exiccandi, & è profun-  
 do attrahendi habent, quod deinde tum calo-  
 re, tum partium tenuitate præstant. Istius ergo na-  
 turæ ea medicamēta sunt, quæ cephalica ab an-  
 tiquis medicis dicebantur, & in his affectibus  
 erant in usu. Galen. verò in 6. meth. cap. 1. em-  
 plastri quod Isis dicitur meminit, & fuit ab  
 eo literis traditum & examinatum 4. de com-  
 positione medicamentorum secundum gen-  
 cuius nos etiam meminimus, priori libr. quia  
 hæc eadem ad alios etiam affectus, quàm ma-  
 ximè vtilia sunt, præsertim verò curandis vl-  
 ceribus malignis & purridis. Inter cephalica  
 etiam recensuit Galen. 5. de com. med. secun-  
 gen. emplastrum quod Heras diadictamna,  
 hoc est ex dictamno, & sacrum appellauit, &  
 erat celebratissimum suis temporibus. præte-  
 rea, & illud quod diaboranon, hoc est ex her-  
 bis nuncupatum est, expositum ab eodem Ga-  
 leno 4. de compos. medicamen. secundum  
 genera. & plura item alia, quorum idem 2. e-  
 iusdem operis meminit, quæ propterea quòd  
 nostra hac tempestate in nullo aurario sunt  
 usu, non putamus opportunum esse in hoc lo-  
 co describere, sed de illis tantum in præsentia  
 agemus quibus vulnerarij medici nostri nunc  
 temporis vtuntur. Quæ tria sunt, nempe,  
 quod

quod ex periclymeno conficitur, vulgò verò Vnguentum de Matrisylua appellatur. alterum, quod ex betonica fit, & ab ea etiam nomen sortitum est, & tertium quod ex gummi elemi, quia gummi illud vnà cum alijs medicamentis accipit. primumque de priori agemus, cum & magis vulgare, & in maiori vsu sit. Accipit ergo periclymeni, velut nunc vulgò appellatur, matrisyluæ quantum videtur esse satis, & in optimo vino coquitur ad consumptionem tertiæ partis, quod vbi factum sit percolatur, deinde verò accipiuntur ceræ citrinæ, terebinthinæ, singulorum autem vnciæ quatuor, olei rosacei drachmæ duæ, hæc simul colliquata commisceantur, ac ita in vinum illud colatum inijciantur, ac in eo tam diu spara ducuntur, donec frigescant. atque ita deinde seruetur medicamentum, quod quidem vim habet desiccandi: ac ex alto materias extrahendi. Nam si velimus res omnes singularim æstimare, vinum primum optimū quod accipitur, non nigrum neque austerum erit. neque enim illud videtur comprehendi sub appellatione vini optimi, sed illud quod aromaticum & fuluum, estque tenuis substantiæ, hoc namque facile ob suarum partium tenuitatem potest profundius se indere. Periclymenum verò vel matrisylua, si recte velimus ea expensitare, quæ de hoc medicamen-



to à Diosc. in lib. 4. & Galen. de simpl. medic. facal, fuere literis tradita, manifestè percipiunt vim habere insignem attrahendi ex profundo, cum calidum sit, & tenuioribus partibus tenuiq; substantia constet, cum & dissolvendi vim habeat, & extenuandi. Nam vniq; potenter cit, vt tandem longo eius vsu ad sanguinis mictum deducat, & tam interius acceptum, quàm exterius eo oleo illitum lienem extenuet, præterea & asthmaticis opem ferat. Quod autem & terebinthina resina ex profundo attrahat, nulli non notum. Quia verò præterea necessaria est in his aliqua strictio, tum vt robur internarum partium seruetur, tum vel maximè, vt repellantur succi confluentes ad affectas partes, hoc oleo rosaceo referendum est acceptum. Est tamen hoc medicamentum satis moderatum in attrahendo, quod non eas habet vires, vt illi sit fidendum, in fracturis cæcis, sicut quidam antiqui fidebant illis, quæ propriè ab ipsis cephalica dicebantur. sperabant etenim vi eorum posse & attrahere chores vel humores effusos antequam putrescerent, ac etiam depressas ossis particulas attolli, vt & 6. meth. & 2. de comp. medicam. secundum gen. visus est Galen. insinuasle. Alterum verò in medicamentum, quod emplastrum vel ceratum ex betonica dicitur, in modum hunc conficitur. Accipit succi betonice 2, succi plantaginis

plantaginis, succi apij, singulorum autem co-  
 latorum libram j. resinæ, ceræ singuloram vn-  
 cias iij. terebinthinæ libram vnam. cætera co-  
 quantur ad succorum consumptionem, viti-  
 mo addatur terebinthina, ac fiat emplastrum.  
 Non admodum priori viribus dissimile est  
 hoc medicamentum, nam potest à profundis  
 partibus viciosam materiam extrahere. Beto-  
 nica enim vt tum ex sapore, tum verò ex af-  
 fectu percipere possumus, calidiuscula est, &  
 tenuiam partium, saporem enim partim sub-  
 amarum habet, vt ait Galenus, partim verò  
 acrem. Quæ vtraque partium, tum calidita-  
 tem, tum tenuitatem ostendunt, cum præte-  
 rea lapidem in renibus afferat, menses ciat,  
 & à pulmone pituitosam & parulentam mate-  
 riam attenuet & detergat, neq; hæc fieri pos-  
 sunt nisi cum quodâ calore & partium tenui-  
 tate, à multis quoq; in vutneribus & alijs affe-  
 ctibus mirificè laudatur, vtpote quæ crassi-  
 mæ, tusa atq; in modum emplastri apposita,  
 illa consolidet, vnde & desiccet. Sed & apij fac-  
 c. s attenuat, & exterius attrahit, cum calidus  
 sit, & tenuis substantiæ, vt lotia, menses que  
 muliebres possit ciere, & fluxus discutere. sed  
 & plantaginis succum fuisse additū puto, vt  
 inflammationes repellat. Resinas verò, tam e-  
 am communem, quàm terebinthinam, nemo  
 est, qui nō nouerit vires habere exterius attra-

hendi, vt 3. libro exposuimus. Reliquum autem est, vt de eo medicamento postremum agamus, quod fit ex gummi quod ab Arabibus Elemi dicitur, cuius authorem tradunt fuisse Petrum Aponesem, qui Conciliatoris cognomen sibi vendicauit. conficitur autem in hunc modum. Accipit gummi illud elemi ad 3. tres, resinam verò ad vncias 4. his adduntur ceræ vnciæ sex, olei rosacei vnciæ iij. & semis, ammoniaci vnciæ duæ, terebinthinæ vnciæ tres & semidrachma, atque ita ex arte fit unguentum. Alij verò in hunc modum parant. Accipiunt gummi illius vncias ite de iij. opopanacis vncias duas, bdelij semiunciam, resinæ pini ... ceræ quantum sit satis, ac unguentum conficiunt. Parum admodum differunt inter se duæ hæ confectiones, nisi quod prior ammoniacum accipit. altera verò relicto accipit opopanacé & bdelium. prioribus oleum rosaceum, altera verò minime, unde prior quidem aliquanto temperatior, & vim repellendi aliquanto maiorem habet, vtraque tamen satis insigniter desiccatur atque ex alto attrahit, quod ex examinatione eorum, ex quibus conficiuntur, percipi potest, de quibus prioribus libris egimus, unde & alijs vlcibus possunt esse commoda medicamenta, præsertim verò capitis, de quibus fuit hoc loco institutus sermo. Nam gummi illud elemi, resina quædam

dam esse videtur alicuius peregrinæ & nobis  
ignotæ arboris: quæ præter id, quod ratione  
qua resinaceæ naturæ est, & proinde vim ex-  
siccandi calefaciendique, & præterea ex alto  
attrahendi habeat, obseruatum etiam est à iu-  
nioribus in capitis vulneribus, in quibus cal-  
uaria scissa sit peculiari quadam & ei naturali  
vi quàm maximè esse medicamentum vtile.  
Sed & tertia etiam istud medicamentum com-  
ponendi ratio reperitur, quod in auctore Bar-  
tolomeum referunt Mōtagnanam, quodque  
licet materia à superioribus varium sit, facul-  
tatibus tamen ab illis non est admodum dissi-  
mile, nisi quod hæc istius medicamenti conse-  
ctio illis vim maiorem concoquendi habet,  
tam ex thure, quàm etiam ex styrace, præser-  
tim verò ea quæ vera est, quam calamitem ap-  
pellant, quia etiam facultate & liquida fortas-  
se præditam esse credendum est etiam nonni-  
hil astrictionis particeps ex ladano, myrrha  
verò præter id, quod calefacit & desiccatur di-  
ne secundo & quod detergit neq; tamen per-  
inde vt alia multa detergentia exasperat &  
capitis vlcera, vt tum sæpe præsertim verò in  
octauo de simplicium medicamentorum fa-  
cultatibus Galenus, tum etiam libro primo  
Dioscorides referunt, glutinat, & fractis ossi-  
bus medetur, & hac fortasè ratione addidit  
auctor, quod medicamētum adiecta myrrha

erit fortius. Ladanum verò cum è profundo attrahat, scopo in his medicamentis proposito est accommodatum, & cum vt diximus prioribus capitibus, sit astrictiõnis alicuius particeps, iuuare poterit, tum repellendo fluxiones, tum etiam robur addendo subiectis particularis. Quia verò & sandaracæ fit mentio, non illius quæ mineralis est, & arsenici species, sed illius, quæ ita ab Arabibus & septentrionalibus appellatur, & est resina vel gummi iuniperi, quam etiam vernicem vulgo appellant, de ea etiam aliquid dicemus, quamuis aut nullam, aut raram eius mentionem factam ab antiquis medicis inuenerimus. Arabes tamen, & iuniores Latini in vsu satis frequenter habere, neque in hoc Plinio subscribere, quòd gummi iuniperi nulli sit vsui. imo putarunt præter alios vsus, quod desiccet capitis superuacua humiditatem, & proinde eius suffumigium naribus exceptum destillationes desiccans, illas sistit. commiscetur etiam pulueribus, quas capitales appellant, quasque capiti inspergunt vbi futura est, quam coronalem dicunt, ad desiccandum nimium capitis humorem, & illud roborandum. Nam si eius effectum, quem medici exponunt consideremus, non caret aliqua astrictione, præsertim cum hoc medicamentum esse viribus similem electro, vel succino dicant, quod Arabes charabe dicunt, in quo

quo antiquorum consensu insignis est astringendi vis. In hoc ergo medicamento accipitur tum vt humiditatem vel ichores confusentes ex fauciatibus partibus ad internas particulas desiccet, & præterea etiam astringendo robur capiti addat. postremo verò & pini resina ac cerati vel vnguenti absolutionem accipitur, quæ & ipsa siccat, & ex alto attrahit, omnia verò pari pondere accipiuntur, & ad ignem excocta componuntur. Horum verò hæc est vtendi ratio, quòd tum linamentis, excepta viceri eis repleto induntur, tum verò linteo quod alijs omnibus superapponitur. Sed iam huic tractationi finem imponamus, nam satis superque in ea sumus vagati, & ad ea medicamenta componenda accedamus, quæ alijs internarum partium, affectibus curandis accommodari possunt.

*De medicamentis componendis, quæ congruentia sunt alijs affectibus internarum partium capitis curandis,*

Caput V.

**Q**Uamuis cæteri affectus, quibus exerceri possunt internæ capitis partes. si eos particulatim per omnes eorundem differentias ad vltimas vsq; persequi vellemus, q.

plures sint, & subinde longam admodum requirerent tractationem, si tamen illos in quædam summa capita colligere voluerimus, sicut facile & non sine legentium vtilitate contrahi possunt, seruata congruenti in illis exponendis methodo, clarior & facilior euadet hæc disquisitio. Cū. n. vniuersa ferè ratio, qua morbi in varias & multas differentias diducuntur, aut à propria affectus natura sit petenda, aut à natura loci vel particulæ affectæ. Vt differentiæ omnes particulatim, tum inueniantur, tum cognoscantur, necessaria est exquisitissima, ac exactissima, & naturæ morbi inquisitio, & particulatim exquisitissima locorum omnium affectorum cognitio. In curandi tamen ratione internos capitis affectus, non est necessaria tam diligens & exquisita internarum partium, quæ malè affectæ sunt, mentio, sed ea satis est, quæ communis & generalis sit, sicut & sola satis est indicatio communis, & generalis, quæ à quadam communi ratione omnium earum particularum quæ intra caluariam sitæ sunt, accipienda est. Sed vt res hæc quæ fortasse obscurior aliquib. videbitur, clarior & apertior reddatur, magis particulatim illam tractemus, & primum diuisa methodo inueniamus omnes differentias morborum quibus obnoxia sunt hæc capitis particulæ. Itaq; cū partim simplices, & similes sint partim

timverò cōpositę & instrumētales, vel vt Grę  
 ci appellant, organicę, necesse est, vt & affecti  
 bus pateant, qui simplicibus proprij sunt, &  
 illis qui organicis: item & illis qui vtrisque  
 communes sunt proprie similis sunt intem  
 peraturę, tum illę quę citra vilum materię  
 affluxum consistunt, tum verò illę, quę sem  
 per ab affluxu materię fiunt & fouentur. Pro  
 prij autem affectus partium instrumentaliũ  
 sunt, quicunque ad conformationem, vel vt iu  
 niores loqui solent, ad compositionem istarũ  
 particularum pertinent, vt sunt morbi in via,  
 incauitate, in figura, numero, magnitudine,  
 & id genus reliqui. Communes autem sunt,  
 qui soluta continuitate constant, de quibus  
 nihil est cur amplius loquamur, cum satis su  
 perque sit de illis superiori capite sermo habi  
 tus. In intemperaturam autem, tum cum ma  
 teria, tum citra ipsam referuntur dolores præ  
 tim, præterea verò sopores, qui comata à Grę  
 cis, subet autem ab Arabibus dicuntur. sed &  
 deliria, & quę calidam & siccam cerebri intem  
 periem sequuntur, vt in febribus & phreniti  
 de, quę & frigidam & siccam, vt infania, vel vt  
 Gręci loquuntur melancholia, & congelatio  
 quę catochus Gręcè dicitur, stoliditas quo  
 que ex cerebri intemperie ortum habet. Por  
 rò intemperatura quę sola & citra materiam  
 est, quatenus ad hoc pertinet vnã duntaxat



rationem, vnicumque modum habet, quo consistere potest, ac subinde etiam particularum actiones lædere. At illam quæ cum affluxu materiæ, non vnũ & simplicem modum habet, sed potius duplicem, quia vt Gal. in primo porrher. com. n. s. tradit, materia aliquando quasi alluit ipsas particulas & per vasa hoc est per venas, & arterias diffluit, nondum in substantiam particularum, hoc est in inanes earum meatus à vasis quasi pro nimia eorum repletione expressa absorbetur & inculcatur adeo, vt particula in tumorem attollatur, quo modo fieri solent tumores omnes, qui in particulis præter earum naturam extuberare solent ad quod genus pertinent, & phrenitides & lethargi, & quæ inflammationes inter has vtrasque mediæ sunt ex vtriusque mixtæ, & quasi confusæ. Nam sicuti lethargus pituitosa inflammatio est, quæ calorem vt 13. meth. ait Galen. contrahit ex putredine materiæ, vnde ortum habet, phrenitis verò ex bile, vel bilioso sanguine, mediæ verò est, quæ cataphora à Grecis, subethassari ab Arabibus dicitur, in qua si cut mixtus & confusus est vterque humor, nēpe pituita, & bilis: ita & symptomata, somnus nimirum & vigilia confundantur ita, vt neque omnino dormiant, neque omnino vigilent, sed semper quasi dormitent, aut alternatim modo in somnum, modo in vigiliam propensi

## LIBER IIII

98

penſi ſint, non modo autem ratione materie,  
 à qua excitantur differunt hæ capitis inflam-  
 mationes, verùm etiam loco, quia vt itidem  
 expoſuit Galenus, phrenitis proprie inflama-  
 tio eſt membranarum capitis, lethargus  
 verò ſubſtantie cerebri. In ſolidum enim cor-  
 pus vt ſunt membranæ non facile admittitur  
 crasſus & lentus humor vt eſt pituita, facile  
 aut tenuis, qui tamen in rara & laxa ſubſtan-  
 tia, vt cerebri ſubſtantia eſt, non poteſt facile  
 contineri ne diſſuat. Sed neq; de his alioquin  
 in præſentia ſumus acturi, cum priori item ca-  
 pite diſſuſe fuerit actum. Ceteri verò affectus  
 quorum eſſentia in intemperatura, tam cum  
 materia, quam ſine materia conſiſtit, ad parti-  
 culas in capite contentas quatenus ſimpli-  
 ces ſunt præſertim attinēt, non tamen in diſ-  
 criminatim ad earum quamlibet, affectus e-  
 nim doloroſi non poſſunt attribui niſi parti-  
 culis, quæ ſunt ſenſu præditæ, nam cum do-  
 lor ſit actio ſenſus tactus læſa, nulla pars ſen-  
 ſus expers, vt ſæpe docuit Gal. doloris capax  
 eſt, in capite verò membranæ, venę, arterięq;  
 inſignem ſenſum habent, oſſa verò nullum, ce-  
 rebrum & ipſum aut nullum vt plerique ſen-  
 tiunt, aut obſcurum admodum, vt inſinuauit  
 viſus eſt Gal. in lib. de vtilitate reſpirationis.  
 Affectus verò à quibus interne actiones ſe-  
 duntur pertinentes ad principes facultates, vt  
 eſt imaginatio, cogitatio, et memoria, cum ille

nō in membranas, sed in cerebro eiusque substantia suam sedem & organum habeant, sunt affectus propriè attribuendi & primum ipsi cerebro, neque enim illæ lædi possunt, nisi cerebrum, aut per se, aut cum aliis consentiens male habeat. Morbi verò his particulis proprii quatenus non simplices sunt sed instrumentariæ, præsertim duo sunt, epilepsia nimirum & apoplexia, vel ut latini loqui solent, morbus comitialis & attonitus. Plerumque enim, cum primarii affectus cerebri sunt, nō autem per consensum, fiunt à crassa aliqua, & frigida materia, & sæpius pituitosa. Epilepsia autem non nunquam, & à melancholico succo, vnde sæpe in melancholicum affectū transit, sicuti melancholia, vel insania quandoque in morbum comitiale desinit. Cum ergo hac materia ventres cerebri replentur, spiritibusque animalibus intercipitur transitus, concitantur, aut apoplexia, si omnino repleantur, aut epilepsia: si non sit exquisita repletio. Vnde quantumlibet sint morbi harum particularum quatenus instrumentariæ, cum tamen penitus à præsentemateria concitentur & foueantur, & citra frigidam intemperiem esse nequeant, eadem est tandem hoc curandi ratio, sicut & alios affectus, qui in intemperie cum simili materia consistunt, quando verò per consensum aliquo affectu tentatur cerebrum, id  
ad

ad præsens institutum non admodum pertinet, quia non ad caput dirigenda est princeps curatio, sed ad eam particulam, cum qua in affectu consentit. Quamuis autem ita multiplex ea ratio sit, vnde indicationes sumendæ sunt, quæ à natura & essentia morbi prodeunt, simplex tamen admodum est illa à qua petenda est indicatio, quæ à natura partis affectæ peti solet. Quia licet internæ capitis partes plures sint, & natura temperaturaque diuersæ quatenus tamen ad administrationem remedium, perinde est, ac si vna tantum & simplex esset. Nam & vnus est tantum locus cui sunt exteriora & localia remedia adhibenda, nempe sinciput vbi futura est, quæ coronalis dicta est ab anatomicis. Quæcunq; .n. pars laboret interiori affectu, siue posterior, siue anterior, siue media sit, ite siue superior, siue inferior, & quæcunque tandem illa sit, oportet vt 2. de composit. medicamentorum secundū loca capite primo docuit Galenus, medicamenta & remedia sincipiti, si eorum vis sit facile peruentura ad loca affecta, administrare, tum propter futuram, tum etiam propter raritatem & tenuitatem ossis in ea parte. sed quantumlibet interdum vna tantum pars primum morbofa esse videatur, omnium tamen pariter in medendo rationem habere necesse est, partim ob maximam, quam mutuo habent,

connexionem, partim quia quæcunque ad-  
 ministrantur, medicamenta fieri nequit, quin  
 vis eorum tandem ad omnes non pertingat.  
 Vnde quatenus ad usum pertinet omnium  
 fere idem est, quare diuersitates curationis af-  
 fectuum harum, partium vniuersæ fere in na-  
 turam vel essentiam ipsorum affectuum, non  
 autem in diuersam rationem affectuum par-  
 ticularum referuntur. quæ tandem ad duo pri-  
 ma capita vel summa genera pertinent, vipo-  
 te quoniam omnes hi affectus aut in sola con-  
 sistunt intemperie citra vllum ab aliqua mate-  
 ria fomentum, aut sunt cum alicuius materiæ  
 affluxu. Simplex admodum est curandi ra-  
 tio quando illa à sola intemperie indicatio-  
 ne sumenda est, absque interuentu alicuius  
 materiæ, cum per solam transmutationem &  
 correctionem illius intemperaturæ  
 absoluenda sit, illis nempe medicamentis &  
 remedijs, quæ qualitatibus illi intemperaturæ  
 contraria sunt. Nam vt sæpe testatus est Gal.  
 præsertim vero in commen. in lib. Hip. de his  
 quæ in medica officina inscriptum, primus &  
 communis. scopus in parte medicinæ quæ  
 circa curandos morbos versatur, est, quod cõ-  
 trarijs contraria curanda sint. multiplicior ve-  
 ro ea est, quando præter intemperiem adest  
 etiam materia, quæ & ipsa suam habet indica-  
 tionem propriam. sed explicemus scopos &  
 indica-

indicaciones, & vnde illi affectus ortum habeant antequam vltius progrediatur nostra oratio, & rationem exponamus eorū medicamentorum vsumq; quibus vti oporteat in curandis his affectib. qui ab aliqua intemperaturarū proficiscuntur, siue illa cum materia sit, siue citra materiam. nam illæ eadem ferè noxæ inferuntur particulis quatenus simplices ab intemperatura circa materiam, quæ & ab illa cū materia. Quia materia & ipsa non lædit, nisi quia per suas qualitates vitiant naturale temperamentum particulæ. quòd si aliquando sua substantia quatenus corpulenta est lædat, læsio ad illam pertinet, quatenus composita & instrumentaria est, vitiata nempe eius conformatione, vt paulò ante exposuimus. Ex intemperie itaq; humida in primis, deinde & frigida somni fiunt longiores, ab vtriusq; autem complexu sopores & veterni, qui à Græcis κώματα, καταρροαί & κείροι dicuntur, ac Arabibus subeth ijdem affectus ex pituitosa materia occupante præsertim partem anteriore, quo loco sedem eam facultatē habere credimus, quæ communis sensus à peripateticis in primis dicitur. occupante verò hac intemperatura mediã cerebri partem versus posteriore, imaginatricis & cogitatricis facultatū actiones leduntur. et si quidē fiat magna offensa, destruuntur omnino actiones, vt in apople

xia sæpe videmus: sin autem minor, hebetes & imminutę fiunt, sicut in stoliditate & amētia cōtingere solet. Sed si cerebri posteriorem occupet partem, sequitur obliuio, & hæc ab intemperie, tum frigida tum humida, tum cū materia, quam citra illam euenire possunt. A siccitate verò in primis, deinde & à calore sequitur nimia vigilia, siue cū materia fuerint hæ intemperaturæ, siue citra illam, præfertim autem, vt diximus, à siccitate. nam frigida & sicca intemperatura, vt melancholicis accidit, vigiliam adfert. itē & calida & sicca, sicut in biliosis affectibus. Calida autem & humida, vt vbi sanguis multus fuerit, reddit hominē pronam in longum somnum saltem, si nō in profundum. Calida autem intemperatura siue cum siccitate, siue cum humiditate fuerit, deliria commouet illis similia quæ in phreniticis solent contingere. Frigida verò & sicca melancholica deliria concitare solet. Humiditas autem præcipuè: sed & frigiditas memoriæ labem asserre solet, tam cum materia, quàm sine materia. His autem explanatis, methodum constituamus, qua cōponere apta possimus medicamenta, & compositis præterea opportunè vti. Cū autem vniuersa horum affectuū ratio in duo præfertim capita fuerit tandē relata: nempe in solam intemperaturam, quę sit citra vllius materiæ affluxum, & illam quę ab af-

ab affluxu materiæ fonetur: ita duplex erit ratio medicamentorum & remediorum, quib. sint tollendi hi affectus. Nam cum horum omnium ratio ab indicationibus fit fumenda, in illis quæ citra materiam sunt, vnica est tantum indicatio, quæ ab illa intemperatura depromenda est, simplex quidem, si simplex sit intemperatura, quæ vna tantum qualitate excedat: composita verò si in complexu vtriusque contrarietatis sit aliquis excessus. Vbi verò adsit præterea & alicuius materiæ præsentia, prima quidem & princeps indicatio non est ab ipsa temperatura petenda, quamuis intemperatura sit proxima ratio, qua actiones læduntur, quod est quasi forma, vt sæpe fuit expositum, ipsius morbi: sed prima princepsque indicatio est illa, quam nobis offert materia, quia ab ipsa materia omnino pendet intemperatura, ita vt remota materia statim ferè desinit intemperatura, nisi interdum ex longa transmutatione in membris à materia facta, mutata sit naturalis illius partis intemeries, vt iam duæ ibi sint intemperaturæ, altera quæ omnino adhuc pendet ab illa materia, altera quæ iam inde pendens facta sit. Nos autem primum agamus de intemperaturis vel de medicamentis aptis ad tollenda intemperamenta morbosa internarum partium capitis: sumpto nimirum exordio à calida intem-



perie, in qua nulli obscurū esse potest, primū scopum nobis oblatum insinuare refrigerandum esse, & id medicamentis huic rei aptis. Verum hoc etiam considerandum, quod tamen summam percurremūs, cum parum ad præsens institutum videatur pertinere, nempe quod caput si calidius redditum est, quomodocunq; id factum fuerit: vel ab aere calidiori, vel ob solares radios, vel propter ignem vel ex nimijs tegumentis, vel alijs id genus occasionib; licet inter iniria contraxerit calidam intemperiem citra materiam, nam externæ hæc & procatarticæ causæ ex propria sua natura non eam vim habent, vt aliquam intemperaturam cum materia imprimant, possunt tamē id agere ratione apparatus corporis, nam caput calefactum facillè, tum vapores, tum etiā humores à subiectis partibus solet attrahere. Galen 2. de com. med. secundum loc. cap. 1. ex Apollonij sententia, cibi subtractionem laudauit per ventrem etiam inferiorem vacuationem saltem glandibus & clysteribus, lenientibus etiam interdum medicamentis, & sumptam vt aluus leuis & fluida sit: præterea vero ab illis omnibus abstinendum esse præcipit, quæ illam intemperiem fouere & augere possunt, vt potus vini, præsertim potentioris, cum & calefaciat, & caput repleat. Solet etiā ignis quæ loca calidiora & balnea quoque calida

lida, excādescētia, clamores vehementes, sed  
& animi perturbationes, & cōcitationes men-  
tis, motiones, vigiliæ: sicuti contra quies, tam  
animi quam corporis plurimum prodesse pō-  
terit: ita etiam conuersatio in loco qui probe  
perspiretur. Et hæc quatenus ad rationem vi-  
tius pertinent satis saperque, si præsens insti-  
tutum spectemus satis sunt, cum circa ratio-  
nem medicamentorum versemur, de quibus  
etiam solum particulatim loquemur, quan-  
do de illis erit sermo, quæ erunt exterius  
adhibenda. Nam de alijs quæ interius  
sumi solent, satis erit tantum summa capi-  
ta prosequi. Nam & de decoctis & syrupis  
quæ refrigerant, & de cæteris tandem id ge-  
neris medicamentis in secundo libro fuit ser-  
mo habitus. Ad externa itaque medicamen-  
ta transeamus. Hæc solent habere formam vel  
modum fomentorum, aut perfusionum, quas  
Græci embrochas appellant, aut illitionum,  
aut emplastrosum, aut ceratorum, aut id ge-  
neris aliorum. sed in his exponendis eandem  
methodum & ordinem sequemur, quam in  
alijs sumus sequuti. Primum enim refere-  
mus scopos, qui à nobis spectandi sunt in exi-  
gendis & componēdis, tum indeq; in vtendis  
his medicamentis. Scopos verò nobis indica-  
tiones ostendunt, quæ à natura rei indicantis  
deprimēde sunt. Ut tamē neq; alia quædā negli-

gantur, quæ interdum, & ipsa multâ vim habent. Nam quandoque aliqua illum affectum sequi solent, aut causam illam quæ affectum attulit, à quibus, nisi occurramus, aut deterior reddetur affectus, aut curatio difficilior. Hæc ergo & ipsa in considerationem deducenda sunt. Cum ergo calidam intemperaturam, cuius curationem tractamus, statuerimus esse sine vlllo alicuius materiæ fomento, habeat illa tamen ex sua natura hoc, quod ab ipsa tolli nequit, nempe quod attrahit, quantumlibet corpus mundum sit excrementis, à subiectis partibus saltem vapores, si non etiam aliquos tenues humores, præterea verò & humiditates quibus nunquam caput omnino vacat, fundit & in vapores dissolvit, quibus particule illæ repletæ & distentæ magis dolent. postremò autem à calore laxiores redduntur affectæ partes, & quasi enervantur imbecilliores quæ evadunt. Cum his itaq; omnibus sit prospiciendum in hac curatione, statim hi omnes scopi se medico offerunt. Primum quidè refrigerandum, vt tollatur morbosa intemperatura, sed & repellendum propter attractos & genitos vapores, & digerendum verò esse, vt qui repelli nequeunt, per digestionem dissolvantur, præterea & concoquendū aliquanto, nam hac præsertim ratione lenitur dolor. Repellunt aut tum refrigerantia tum astringentia, di-

ia, digerunt & concoquunt ea, quæ calore moderato prædita sint, ita ut non exacerbent primum affectum. Quamvis autem ita se habeat res hæc, sitque necesse omnium istorum rationem habere, non est tamen eadem & æqualis eorum vis in indicando. Nam in initio quidem semper repellendi scopus vim maiorem habet, qui cum refrigerantia spectet & astringentia simul, & primario morbo consulent & repellent, & laxitati imbecillitæque particulæ consulent. Sed ad exquisitiorem istius rei disquisitionem, id non esse præmittendum existimo, quamvis alibi etiam fuerit à nobis expositum: nempe, ut diximus in his maximè viget refrigerationis indicatio. Refrigerantia verò medicamenta duplicia sunt. alia enim sunt actu frigida, ut aqua, quatenus ad suam naturam pertinet, nix, glacies, & alia quæ ex his solent refrigerari, alia verò, præsertim suapte natura frigida sunt potestate, nam in primis refrigerant, si à nativo corporis calore ad actum deducantur, qualia sunt quæ soporifera sunt, ut opium, mandragoræ radix, semen alterci, & reliqua istius generis, quæ insignem habent in refrigerando facultatem. Non est autem harum duarum differentiarum refrigerantium par, aut eadem ratio. nam sæpe auctores antiqui audaces sunt in usu eorum refrigerantium, quæ actu infi-

gniter frigida sunt. nam sæpe oleo rosaceo ex  
 niue etiam, vel glacie refrigerato vtuntur. In  
 vsu autem eorum quæ potestate frigida sunt,  
 quando summopere frigida sunt, qualia illa,  
 quæ à Græcis narcotica dicuntur, prisca me-  
 dici parum audaces fuere. Nam 2. de compos.  
 med. secund. loc. Gal. c. 1. monuit nos, vt quan-  
 tū fieri potest hæc declinemus, neq; illis vta-  
 mur, nisi cum aut sæuitia doloris, aut immodi-  
 ca nos cogit vigilia, quoniam hæc internis fa-  
 cultatibus cerebroq; & initio neruorum ma-  
 ximam labē solent afferre. Quæ autē rei istius  
 ratio reddi possit, aliàs exposuimus, nō enim  
 omnia vbiq; dici possunt. longiores enim alio-  
 qui essemus. Quatenus autē ad astringentia p-  
 tinet, hoc etiam est aduertendū, quod ea sunt  
 huic scopo imprimis vtilia, q̄ modeste astring-  
 unt, quia quæ immodicē vel insigniter ida-  
 gunt, ledere bifariam possunt. primū n. con-  
 stipatis & conclusis mearib. per quos corpus  
 perspirabile est, vapores derinētur, ac deinde  
 repleto capite, morbum augent. deinde vtrō-  
 reddunt difficiliore transitum facultatib. ap-  
 plicitorum medicamentorū ad interiores &  
 male affectas particulas. Vnde in his non pro-  
 batur Gal. succus solani vel vuz acerba, si fo-  
 lis his vtamur, permittit autem, si illis dilatis  
 aliquo alio medicamento quod refrigeret vta-  
 mur, quod sit tamē astrictionis expertus, vt sunt  
 succus,

laccus, tum cucurbitę, tum portulacę. Et hęc quidem quantum ad methodum compositionis & yfos medicamentorum constituendam pertinet satis esse possunt. in præsentia autem de medicamentis particulatim agamus. Primum medicamentum cuius omnes medici, cum præfieri iuniores meminere tanquam præcipui, & optimi ad corrigendam calidã capitis intemperiem est oleum rosaceum, quod est ex pers mixturę alterius rei. nam refrigerat & moderatę astringit, & cum, ut priori capite fuit expositum, duplex sit ratio id conficiendi, nempe, aut ex maturo oleo fit, sicut commune rosaceum fieri solet, aut cum oleo immaturo, quod Gręcę omphacinum appellat. Hoc quidem & magis refrigerat, & magis astringit: illud verò aliquanto plus digerit & concoquit & lenit. Vnde si magna sit intemperatura contracta, ut maioris refrigerationis sit indicatio, omphacinum vtilius erit, præsertim in initio. nam tunc maxime vrget refrigerationis, & repulsionis indicatio. postea verò, ubi & aliqua digestionem sit opus, lenitateque ob dolorem sedandum, commodus erit vltus olei rosacei communis vel completi, ut nunc appellari solet, atque hoc præstantius erit cum fiat ex multiplici rosarum maceratione, ut Mesue docuit. Præterea verò, & id erit aduertendum, ne oleum id, tum primum,

tum alterum excedat annum, quod in omni-  
 bus oleis refrigerantibus seruandum est, quia  
 oleum quodcunque, cum inueterascit, fit cali-  
 dius. sol et præterea & huic oleo addi aliquid  
 aceti ad faciliorem transitum & penetratio-  
 nem, quod nos indicatio à natura & confor-  
 matione particulæ deprompta docuit. quæ a-  
 ceti additio magis omphacino oleo necessa-  
 ria est propter maiorem astrictiõnem. In con-  
 temperanda autem calida hac intemperatu-  
 ra aptius est acetum, quod non admodum a-  
 cre sit, nam acrimonia nequit esse sine aliquo  
 calore. De modo autem & copia immiscendi  
 aceti satis superius fuit actum. Modus verò,  
 quo medicamento vt i expedit est, vt quis per-  
 fundatur eo frigido actu ita, vt ex altiori loco  
 cadat. nam ita maior fit impressio, & facilior  
 penetratio: procuretque, ne statim diffluat,  
 nam si aliquanto tempore moram in capite  
 traxerit, maior fiet refrigeratio. docuit autem  
 Galen. qua ratione hoc fieri possit, ait enim,  
 quòd si ex lineo paniculo, aut ex intortis la-  
 nis caput quasi corona circundet, quæ ex an-  
 teriori parte & sincipite locum occupet, vbi  
 capilli desinunt ad frontem in temporibus, su-  
 pra aures: in occipite verò, parum infra verti-  
 cem qua parte locus incipit esse decliuor. nã  
 hac ratione oleum intra illos terminos conti-  
 nebitur, & ibi moratũ, magis eam partem affi-  
 ciet,

ciet, neq; poterit diffluens, aut ad oculos, aut ad nervorum initiũ, aut frigore, aut alia ratione noxam subiectis particulis afferre. Hoc medicamentum, ait Galenus in 2. de composit. medicamentor. secundum loca capite 1. ad id genus morbos curandos adeo mihi satisfacit, vt nunquam alia sim expertus: quãuis multa ab alijs referantur. Verũm quædam sunt hic advertenda. primũ quatenus ad id quod dictum est de actuali medicamento frigore, quod hoc seruandum est in capitis affectibus, vbi integra sit cutis & subiectæ partes, quia si vulnus, vel fractura ibi esset accepta, nequaquam tutum esset perfundere oleo frigido, posset enim eximiè lædere internas partes, sed quando integræ sunt externæ partes, anteaquam ad interna possit penetrare, longum est iter, in quo adeo remittitur id medicamento frigus, vt non possit partes in alto sitas immodicè afficere. Deinde verò in eiusdem vsu multa ratio habenda est corporum, quæ hoc oleo, vel oxyrhodino profunduntur. Nam aliqua corpora sunt, quæ sine eximia labe nequeunt ferre ea, quæ insignem habent vim refrigerandi, vt sunt mulieres: præsertim illæ, quæ in otio & delitijs viuunt, sunt que albæ, & molles habent carnes, hæ enim calorem natium paucum, & debilem habent. Præterea & cunuchi, dum enim castrantur a-



nimalia degenerant in muliebrem temperaturam, itidem & pueri: sed hi propter molliem omnium partium, ita vt ossium, non propter defectum natiui caloris, læduntur à frigore. In his ergo pro rosaceo præstat vti chamæmelino, addito aceto itidem refrigerato. Ratio autem cur huius magis quam illius, quamuis ambo acta pariter frigida sint, tutior censetur vsus, est quia chamæmelinum, potestate modicè calidum est, ideo licet inter initia suo illo actuali frigore frigus imprimat, dū tamen modicus ille calor à natura particularum deducitur & ipse ad actum, potest moderari frigus impressum, & natiuum particularum calorem fouere & defendere ne extinguatur ab externo frigore, quod rosaceum, vtpote quod vtroque modo frigidum est, facere minimè poterit. cum tamen chamæmelinum oleum, si acta frigidum profundatur aliquanto aceto immixto, refrigeret & sit astrictiois aliquanto particeps, potest & ipsum repellere, quantum in his corporibus sit satis, atque ita propositis scopis satisfacere. Quamuis autem eiusmodi medicamenta, quantum ad eorum naturam pertinet, adeo apta, & efficacia sint, vt alijs non sit opus in hac affectione tollenda, sintque plerunque, & in plerisque locis omnibus ferè in promptu. Interdum tamen, & id euenire potest, vt illis careamus, vt  
in na-

in nauigationibus & locis remotioribus à ciuitatibus, ideo medici & aliorum medicamentorum meminerit, quæ præfenti infirmitati possunt accommodari, facillè enim prudens medicus, modò medicinalis materiæ sit peritus, simpliciumque medicamentorum particulatim vires memoriter teneat, potest sibi medicamenta apta parare, illorum vires cum propositis scopis conferendo. Nam si alia desint, poterit satis esse perfusio aquæ frigidæ simplicis, vt Gal. docuit, medico illi instillato aceto, additoque alio quopiam medicamento, à quo aliquid astringtionis possit consequi, sicut esset succus vix acerbæ, aut mali punici, aut mali cotonei, aut alterius, quod non sit expertus astringtionis, aut mororum non planè maturorum, aut summitatum rubi, vel alterius id genus. Poterit etiam vti succis vel decoctis rerum refrigerantium, quæ satis erunt si habuerint modicam astringtionem, vt eam habet endiuia & herbe cichoraceæ, sin autem illam nullam habuerint, sicut ea carent lactuca, portulaca, lenticula, quæ in stagnis & paludibus nascitur, item & fructus multi, sicuti cucurbita, cucumeres, melon indus, qui à nostris auguria dicitur, quibus commisceri potest aliquid succi solani, polygoni, mespili, sorbarum, & aliorum multorum id genus. Erasistratus aut, vt 2. de comp: med. secund. loc. c. 1.

recitat Galenus. docuit quo pacto illi qui æstate in locis apricis, & sub sole versantur, aut iter faciunt, possint obistere quo minus nimis excalefiat caput à radijs solaribus, nempe si sponsia lata cauaque & densa, demergatur & madefiat aqua frigida, quam mox diligenter exprimamus, ac capiti impositam deferamus donec exsiccetur, quo deinde tempore iterum madefiat, ac ita subinde. Aliqui simili fere vtuntur remedio, sudarium enim madidum aqua sub pileo gestant, ita tamen summo pileo assutum sit, vt capiti minimè incumbat. Sed iam ad alteram intemperiem huic contrariam accedamus. Quamuis hæc intemperatura sit priori omnino contraria secundum primas qualitates, & à contrarijs etiam causis suboriatur, nam sicut illa à sole calidiori, & cæteris exterius, & peregrinis causis calefacientib, ortū habet: ita & hæc à frigidiori aere, à ventis, niue, glacie, & relijs frigidis & externis concitatur. plerunque enim ab externis causis fiunt intemperaturæ citra materiam, ab internis autem illæ quæ ab affluxu materiæ pendent, & si, vt superius dictum est, aliquando ab externis & procatarticeis causis aliqua fiat intemperatura cū materia. id accidit potius ratione corporis quod plenū & excrementosum est. Nam vt in proverbio est, procatartice, & externæ causæ movent

pent internas & antecedentes, si eorum cōpiā in corpore inuenerint. Habent tamen aliqua, quæ in vtrifq; communia & ferè eadem sunt, primumq;, quòd vtraq; dum recens est, non multo negotio tollitur, & quo diuturnior fit, & magis inueterascit, eò ægrius curationem admittit. Sed & quæcunq; ab ea indicatione pendent, quæ à natura affectæ particulæ petèda est eadē omnino in vtrifq; sunt. Vnde in vtrifq; idem est modus remedia adhibendi, & idē est locus, cui sunt adhibenda, & sicut in intēperie calida à natura & situ particulæ affectæ deprōpta erat ratio immiscendi acetū alijs medicamentis, nēpe vt facilius fieret trāsitus: ita quàmuis calida medicamenta quæ in hac intēperie necessaria sunt, facilius frigidis permeare possint, attamen hac de causa inter calida ea rursus vttiliora censentur, quæ tenuioribus partib. constant. Natura ergo ipsius affectus indicat calefaciendū esse. Ratio verò partis affectæ, illorū vsum esse accommodatū indicat quæ partib. tenuibus, & tenui constant substantia. Et proinde sicut oleum rosaceum cum modico aceto habitū, tanquā præcipuum medicamētum, frigidum actu perfusum, ita in dolore ex frigida intemperatura, vel quicunq; sit affectus ex frigida intemperie, oleū rutaceum actu calidum indeim perfusum in præcipuis remedijs positum est. Quod si in-

terdum videretur hoc non esse satis, sed esse opus insigniori calefactione, multorum præterea meminit, tum simplicium tum positorum medicamentorum, quæ hoc vel alio calido oleo mixta, possunt nobis esse vsui, simplicia vero sunt castoreum, euphorbium, pyretrum, possemus in his ponere anisum, semen nasturcij & id genus alia multa. Ex compositis præsertim quæ antiquis erant in vsu, præcipuum est id emplastrum cuius meminit Gal. i. de compos. med. secund. locos, quod diatrion piperis dicebatur. nostris autem temporibus possemus medicamenta conficere ex pulueribus illius medicamenti quod deuorari solet, & itidem diatrion piperon dicitur, vel illis oleo addito, vel addita cera & confecto cerato, vel pulueribus etiam aliarum, quas iuniores confectiones vocant, vt diacosti, diagalangæ, aromatici gariophyllati. Nec modo hæc calefacientia capiti affusa, vel illita, vel apposita possunt esse vtilia. verum Galeno plurimum probatur, vt internæ nares eiusmodi rebus calefacientibus illinantur. nam tum per attractos vapores potest cerebrum affici, tum etiam per neruum ad nares delatum ob odoratus sensum. meminit autem ibidem Galen. vnguentorum illorum quæ præciosa antiquitus erant & in multo vsu mulieribus, qualia erant quæ spicata vel foliata dicebantur, vel id genus alia.

fia. Idem officium nobis præstare possent ea  
 quæ in præsentia ab istis vnguentarijs ven-  
 duntur, tum vnguenta, tum olea odorata, si-  
 cut oleum quod ex Iesemino flore conficitur,  
 sambacinum autem ab Arabibus dicitur, item  
 quæ id quod ex cinamomo, vel ex reliquis aro-  
 matibus parant. Pauperibus autem posset  
 esse vtile oleum laurinum. Item si ex samsuco  
 vel maiorana, item ex pulegio, calamento,  
 vel origana, aut sisimbrio conficeretur. Sed  
 idem etiam consuluit, vt in aures instillentur  
 calefacientia olea. Præterea verò, sicuti in ca-  
 lida temperatura præcepit thermas esse om-  
 nino deuitandas, ita in hac dixit eas posse es-  
 se admodum vtilis. Motus præterea, exercita-  
 tio, vtpote quæ calefaciant, conferunt, & po-  
 tus aliquantuli vini, quod calidum sit, & te-  
 nuium partium. quamuis Apollonius id indi-  
 xerit, qui perinde in hac sicut in priori cen-  
 suit cibum subtrahendum, & corpus esse ina-  
 niendum. Galenus tamen in hac frigidiori  
 constitutione vacuandi corporis expressam  
 mentionem facit, præsertim verò per vomitum,  
 & id, mea quidem sententia, quia re-  
 frigerato capite, consensu cum cerebro pluri-  
 mum læditur ventriculus, qui genitis subin-  
 de multis cruditatibus, potest fouere capi-  
 tis affectum. Sed hæc ferè præter institu-  
 tum nostrum, vnde hinc finem faciemus, his

his tamen additis, quod medicamenta sunt i-  
pſis affectibus aptanda, vt & maioribus & ve-  
tuſtioribus ea adhibeantur quæ fortiora ſunt  
& calidiora. In recentioribus autem & mino-  
ribus, quatenus ad eorum vim pertinet, vta-  
mur deinde quod compositionem ſpectat, ſi-  
cuti frigidiori temperaturæ oleum accommo-  
datum eſt quod recens ſit, & non omnino ma-  
turum, ita in hac, quo maturius eſt, aptius et-  
iam eſt, immò ſi aliquam contraxiſſet vetuſta-  
tem non eſſet inutile. Nec de hac intempera-  
tura longius ſermonem protrahemus, ſed ad  
eas accedemus, quæ cum materia ſunt.

*De affectibus capitis qui à præſente materia  
ſouentur per topica medica-  
menta curandis.*

Cap. VI.

**N**on eſt, vt diximus, ita ſimplex oratio  
vel methodus curandi capitis affectus,  
qui à præſente materia pendent, ſicut  
illorum qui ſola cõſtant intemperatura, cum  
ad illas priores indicationes quibus artende-  
re oportebat in ſolis temperaturis, & aliæ quæ  
dam ratione præſentis & affluentis materiæ,  
accedant, quæ locum etiam prioribus illis  
præcipiunt. Cum enim intemperies quam ſo-  
uet materia nequeat tolli donec præſens illa  
eſt,

est, prius omnino danda erit opera, vt materia auferatur, imò sæpius non modò præsentis materiae rationem habere necesse est, verùm & illius quæ continenter affluit ad locum affectum, nec etiam solum istius, sed præterea, & loci vel particulæ, quæ istius influxus causa est, vt pote quia illam copiosam ex aliquo eius vitio generat, & hæc omnia suam particulatim habent indicationem à medico spectandam, quæ tamen particulatim examinare non pertinet ad præsentem tractationem. In vniuersum tamen de illis nonnulla verba faciemus, cum hæc sint veluti prima fundamenta eorum, quæ à nobis postea particulatim sunt diffinienda. Materiae itaq; à quibus morbi hi imprimis pendent, duplices sunt. alię enim solidiori consistentia crassiori; consistat substantia: hæc verò sunt quatuor humores, qui sunt quasi proxima humani corporis elementa, & præterea serosus humor. Aliæ verò tenuem & vaporosam habent consistentiam, vt sunt halitus qui in corpore vi caloris excitantur, & flatuosos spiritus. Præterea verò & materiae hæc duplicem possunt in morbis rationem habere, nam aut in loco affecto receptæ proximè ad essentiam morbi pertinent, à quibus etiam proximè curationis indicatio accipitur, nempe per eius vacuationem, aut digestæ sunt in habitu vniuersi corporis, in ve



nisq; contentę, vel si non in vniuerso corpore, saltem in aliqua vel aliquibus particulis, a quibus amandatę fluunt postea ad locum affectum, & habent rationem causę antecedentis, & credo nulli esse dubium, indicationem quę ab hac materia petenda est, cęteris prędictis priorę suapte natura esse censendā. Nam dixit Gal. quod si quis male affecti oculi curationem assumere voluerit, illi prius erit considerandū, quo nam pacto se habeat caput, & si illud sit excrementis scatens, prius illius cura habēda est, nisi pariter & corpus ipsum sit excrementosum, quia in his curationis initium est sumenda ab vniuerso corpore, si tamen prius remota sit causa, cur tot in vniuerso corpore, vel in particulis gignuntur excremeta. Sed hoc ad pręsens institutum non pertinet. De ratione verò corpus vniuersum inaniendi ac de instrumentis, quibus inaniri a medicis solet, aliqua quidem dicemus, pauca tamen, et ea in vniuersum, quia particulatim ea medicamenta, quę apta sunt huic indicationi & scopo a primo libro petenda sunt, sicut a secūdo illa, quę humores crudos & ad vacuationem sine to parāt, & cōcoquunt, atq; illa etiā quę possunt viceribus, & capiti robur addere. Et quia cuiuscunque methodi fundamentum indicationibus innititur, indicatio verò a natura rei sumenda semper est, vnde pro natura, &

ratio.

ratione humoris vel materie detrahendę (de-  
trahenda verò ea est, quę aut facit, aut fouet  
morbum) ineunda est inaniendi ratio. Quod  
apertissimè nos docuere Hippoc. 1. aph. 2. &  
Galen. commentario 2. nam si materia super-  
uacua & excrementosa sit bilis, bilis quidem  
detrahenda non pituita, neque sanguis. Ita et-  
iã si illa sit pituitosa, pituita nõ alius humor,  
nisi cū pituita sit alius humor mixtus, atq; ita  
etiam subinde de alijs dicendū, & qui innixi  
sententię Hippo. 4. de rat. vict. in acut. mor. &  
Gal. in libello de ratione curan. per venam se-  
ctam, vbi aiūt in magnis morbis si vires, & z-  
tas hæc patiantur, mittendum esse sanguinem  
credunt magnitudinem morbi eam esse, quę  
primum, & per se indicet mittendum esse san-  
guinem, decipiuntur, neque Hipp. Galeniq;  
decreta recta accipiunt. neque enim magnus  
morbus indicat mittendum esse sanguinem,  
nisi ea ratione qua sanguis missus per venam  
sectam inter magna remedia numeratur. mor-  
bus verò magnus, vt ijdem exposuere eodem  
libro primo, indicat magnis esse opus reme-  
dis, vnde et victus exquisitè tenuis, vt eodem  
libro aphorif. sexto illi ijdem insinuarunt,  
continetur sub indicatione à magno morbo,  
& purgatio per medicamenta, vt Galenus a-  
it quarto methodi, respicit indicationem à  
magno morbo. Humor itaque qui fouet

aut fouere potest morbum, aut quo corpus refertum est, ostēdit quidnam purgandum, aut vacuandum, & quaratione vacuandum aut purgandum sit. Sed de his alibi latius disputauimus. Hoc autem loco hæc satis sint, nam quibus medicamentis, siue simplicia illa sint, siue composita, hoc tempore medici corpus vniuersum purgare soleant, vt nuper diximus in primo nostro commentariolo de vsu & cōpos. medic. purgantium, satis lucidè à nobis actum fuit. Longè etiam minus pertinet ad præsens negotium agere de sanguine mittendo. Existanito autem vniuerso, si caput adhuc particulatim habeat cōgettam superuacua materiam, quæ & ipsa adhuc ferat rationem antecedentis causæ, quæ morbum foueat, & ipsa statim suam proferet indicationem, nempe caput quoque particulatim esse inanendum. Et quamuis multi credant per deuorata cataporia, vel vt aiunt, pilulas caput particulatim inaniri, hi tamen non rectè sentiunt. Cataporia enim primùm, & magis vniuersum corpus inaniunt, quòd si etiam videatur caput subinde vacuare, id est, quia cum solidiore & duriori constant substantia, diutius anteaquam à calore ventriculi vincantur & dissoluantur, ibi manent, atq; ita magis attrahere videntur à superposito capite & à longinquioribus partibus. Propriè autem  
 illa

illa à capite particulatim comprehensam in eo materiam detrahunt, quæ per loca attrahunt, per quæ caput sponte sua excrementa & superuacuas materias excernere solet per nares, atque per palatum & os. Quare per illa medicamenta solet fieri expurgatio priuatim ipsius capitis, quæ vel attracta per nares, vel mansa vel exagitata in ore & faucibus, humores per has partes attrahunt. Hæc autem à Græcis apophlegmatismi dicuntur. nam præsertim pituitam detrahunt. raro enim vel fortasse nunquã bilis per eiusmodi medicamenta detrahitur. Quæ verò per nares attrahuntur, ea à Græcis errhina, quia in nares induuntur, à iunioribus autem nostris caputpurgia nuncupantur. Alia verò quæ concitata sternutatione purgant, ab effectu sternutatoria. At quæ in ora assumptâ purgant, illa aut diuidentibus mansa attractam pituitam expuendam ad os ducunt, quæ à iunioribus masticatoria dicuntur, aut vi spiritus in interiori oris parte ad palatum allisa agitantur, & hæc gargarismata à Græcis vocantur. Et quia possunt isthæc omnia inter propria, & huic loco accommodata medicamenta recenseri, & in topicis poni, ideo de illis pauca quedam verba faciemus anteaquam sermo instituat de illis medicamentis, quæ omnino extrema sunt, & verè localia possunt nuncupari. Inci-

piemus autem ab his, quæ errhina Græce, à iunioribus caputpurgia dicuntur. Medicamenta ergo quæ naribus induntur, triplicem habere modum vel formam solent. Alia enim sunt omnino humida & fluida, vt sunt succi vel decocta, alia sunt arida, & in tenuem puluerem redacta, alia verò mediam quãdam habent consistentiam, quia neque arida, neque fluida sunt, sed quandam vnguenti compagè habent. Prima quidem, quæ fluida omnino sunt, per nares vna cum attracto spiritu ad superiores vsq; capitis partes attrahuntur, quæ cum vim attenuantem & detergentè habeant dum postea redeunt & excernuntur, secum pituitam ducunt quæ locis illis hærens & infarcta erat. Quæ verò modum habent vnguenti, intra nares illinuntur, vbi à calore loci in vapores digesta vnà cum spiritu ad cerebrũ attrahuntur, atque ibi inuentam pituitam attenuant & quasi dissoluunt, vt illa deinde facilius defluat. Arida verò fistula aliqua vel pena excepta, in nares vsque ad supremas partes insuffiantur, aut in aliquo vase agitata naribus odoranda offeruntur vt simul cum aere agitur puluisculus per nares attrahatur, ibique facultatem expultricem, ea molestia quam afferunt, vellicando irritant, vnde concitata sternutatione, fit expulsio non sine insigni vi materiæ contentæ in cerebro. Nam sternutatio  
 violen-

violentior est motus cerebri expellentis noxia excrementa, quàm sit tussis & vomitus, unde à Græcis medicamenta hæc *Μυρμηδι* dicta sunt, sternutatoria à Latinis. Differunt autem medicamenta hæc, quod plerunque viam maiorem habent sternutatoria, quæ verò caput purgia fluida & humida sunt, mitiora & faciliora sunt: viribus medium locum sustinent quæ illinuntur. Et quamuis medicamenta omnia quæ ad hoc genus pertinent, eas vires habeant, vt præsertim pituitam detrahant quæ suapte natura frigidus & humidus humor est, qui videtur indicare calidioribus eius modi medicamentis esse opus: aliquando tamen, vel propter febrem præsentem, vel caput suapte natura calidum, & quod facile inflammatur, vel propterea quia humor extraneum aliquem vel ex putredine, vel ex mixtura alterius calidioris humoris aliquem insignem calorem contraxerit, vtimur etiã vel frigidis vel non admodum calidis his, quæ per nares attrahuntur: sicut aqua hordeacea, in qua parum zacheri, vel mellis rosacei dissolutum sit; Sed & succus betæ in frequenti vsu medicis esse solet, qui ex vitiosis partibus, quibus ex natura prædictæ est attenuare & digerere potest, neque tamê cautescit. Laudant præterea & anagalis purpureos flores ferentis succum antiqui ferè oës. solem autem & saluoco, quæ maioranã dicimur, vt

Sed hoc iam calidius est medicamentum, & valentius, cuius varia est vtendi ratio. nam alij aqua vtuntur quæ per destillationem fit extracta: alij verò, succo ex ea expresso, & quia non potest multus ex ea succus exprimi, si cū alio conteratur, vt cum beta, vel anagalide, fauilius poterit eius haberi succus. Galeno autem probatur quinto de facultatibus simplicium medicamentorum succus hæderæ: his autem fortiores sunt succus iridis & succus ciaminis. Sed & decocta non pauca possunt in hunc vsum deduci, vt samfuci, hyfopi, pulgij, calaminthæ, sifymbrij & multorum aliorum id genus simplicium, quæ sunt satis modesta medicamenta, efficacia tamen. Est & alterum istorum medicamentorum genus, sed longe valentius & acrius, ex quo potest accipi materia non modo ad hæc conficienda medicamenta, quæ per nares sunt attrahenda, sed ea etiam quæ vel illinenda, vel arida insufflenda, vt sternutamenta citentur, imo & ex eisdem confici possunt ea quæ masticata pituitam euocant, ea verò sunt piper, zingiber, piperitrum, sinapi, veratrum, staphisagria, quam Latini pedicularem herbam appellant, & istius generis multa, nobis enim satis est ea recensuisse, quæ magis in promptu esse solent. Ratio verò compositionis horum ea est, quod si ex eis & aqua aliqua vel succo fiat decoctum fluidum

fluidum attrahi per nares poterit, si autem ea trita in puluerem redigantur, insufflata in his medicamentis erunt, quæ sternutatoria appellantur, sed si melle, aut oleo aliquo assumpta in modum vnguenti componantur, intra nares poterunt illiniri. Et quantum ad horum medicamentorum rationem spectat, hæc in præsentia possunt esse satis. Verum postea quæ huc peruenimus, prædictis & hoc addendum, quod aliquando vtimur aliquibus suffumigijs quæ naribus ita calida odoranda offeruntur, ex illis quæ attenuant & dissecant crassitiam humorum occupantium caput, præsertim ubi grauis sopor molestus est. Nam possunt strenuè excitare & euigilare sicuti in comate accidit, & in lethargo, neque in apoplexia, et grauiori epilepsia inutile est remediū. fit autem hoc medicamentum, decoctis herbis illis quarum nuper facta est mentio vt ruta, serpillum, hyssopus, calamentum, & id genus cætera: coquantur verò ex aceto & illi o quidem acri. Quatenus verò ad vsum pertinet quædã sunt aduertenda, primumque quòd quæ caput purgia à iunioribus dicuntur, fluidaque sunt cum attrahuntur, solent frequenter si in attrahendo vis aliqua adhibeatur, per interiorem viam ad palatum & fauces ferri, vbi non parum ne gotij partibus illis exasperatis & irritatis faceffunt. cu tamen incommodo facile



occurri potest, si anteaquam attrahatur medicamentum à naribus, absorbeamus, in oreq; derinemus, aut aquam aut alium quempiam liquorem donec medicamentum per nares fuerit excretum. Alterum quod est aduertendum, est cum multi sint ordines horum omnium medicamentorum, de quibus in præsentia sermonem habemus. Quòd si in illis à scopo proposito aberremus, si is error sit commissus in acriorib. & fortioribus medicamentis, poterit interdum sequi magna noxa, quæ nequit deinde facile corrigi: sin autem in minoribus & remissioribus imbecillioribusq; non sequitur inde magnum aliquod dampnũ, præterquam quod non tantũ sicut opus esset conferunt: quod postea additis viribus medicamento, emendari facile potest. Vnde semper fere & in his & alijs affectibus, nisi valde præceptis sit periculum, longe magis præstat, & tutius est à leuioribus incipere, & paulatim vires augendo ascendere, donec scopus attingatur. Sed de illis præterea, quæ mandi, aut gargarizari solent, pauca quædam dicamus, hæc itaq; mansa ac remansa pituitam detrahunt. vnde & apophlegmatismi dicuntur, & proinde obscurum nõ est, quod neq; ita mollia & fluida oportet ea esse, vt diffuant sub dentibus. neq; ita dura & sicca, vt dentibus minime cedant, sed in puluerem ab illis conterantur, sed  
media

media quadam consistentia cum aliquo len-  
tore vt dentibus cedant, non tamen terantur  
vel diffuant. In his autem ordo quidam est,  
inter simplicia quidem sunt in leuissimis pri-  
mum mastiche, si recens & tenera sit, nam si  
vetustior & ficcior, in pulueré teritur, cui con-  
sulimus, si quantum est tritici granum, ceram  
addamus. Similis huic est terebinthina, quæ  
cocta est & consistens, horum vtrumque man-  
sum concirat multum pituitæ sputum. Sed si  
hæc cum alijs commisceantur, fortius medi-  
camentum fit. quæ autem addi possunt, sim-  
plicia multa sunt, quæ aeris sunt saporis, sub-  
indeque tenuis substantiæ, vt sunt piper, zin-  
giber, pyretum, staphisagria. in his potest hy-  
sopus poni, sisymbrium, origanum, sinapi, &  
id genus alia multa, quæ possunt misceri cum  
mastiche, aut terebinthina, addita si sit opus,  
cera vel melle, vel passo, quibus si immiscea-  
tur aliquid olei, & id Galeno probaretur. Vn-  
de si accipiatnr staphidis agriz tritzæ, exempli  
causa sesquidrach. illaq; melle, quantum satis  
esse videatur subacta, ad eâ medicamenti cõ-  
pagem ducatur, quæ mandi possit, erit medi-  
camentum non parũ efficax. Idem ex pyretro  
feri potest, quãuis multi sola simplici vtãtur  
pyretri radice mansa ad hoc officiũ, alij verò  
radice zingiberis: eodẽ modo et alia relata pos-  
sunt cõponi, q̄ de industria, ne lōgior iusto sim

prætermitto. Vnde relato solo illo composito medicamento, quod descripsit Archigenes de compositione medicamentorum secundum loca cap. 2. & illo proposito, vt sit quasi exemplum aliorum multorum quæ possent describi, ad alia sermonem nostrum conuertemus. nam de gargarisimatibus non est cur multum dicamus. eorum enim eadem fere est materia, quæ & horum, quæ hæctenus recensuimus, si ex ipsis decocta parentur, quæ deinde addito, aut rosaceo melle, aut oxymelite, aut syrupo ex hysopo, vel simili alio possunt fieri gargarisimata, quæ valentiora aut mitiora erunt pro ratione simplicium, ex quibus conficiuntur. Nā simplicissimum omnium esset, si ex aqua hordei & oxymelite, vel rosaceo melle, aut etiam ex syrupo ex hysopo, aut calamento, aut quopiam simili fieret gargarizatio. Medicamentum Archigenis in hunc modum se habet. Accipit piperis, alij staphidis, origani, casia, singulorum scrupul. ij. excipiunt vuarum passarum exiccatarum vel ficuum pinguium carnib. & manduntur. Quæ autem exterius in his affectibus in vsu ducuntur, illa varia & diuersa sunt, quorum diuersitas à varijs scopis ortum habet, quos nobis ostendunt variae indicationes à diuersis affectuum naturis desumptæ. Sed in his quoque exponendis breuissimum erimus, cum maxima pars eorum quæ possent

possent spectare ad præsentem locum, iam à nobis eo capite, vbi de ratione curandi phrenitim & lethargum egimus, fuerint tractata: Primum itaq; hoc in memoriã reuocandũ quod nostra hæc oratio versatur circa illos affectus, vel rationem medicamentorum, quibus curandi sunt capitis affectus, quorum essentia est in intemperatura cum materia, in quibus prima & princeps indicatio semper ferè illa est, quam nobis offert materia, quæ tamè duplex est, quia aut à materia accepta est quæ iam omnino fluxa est, & in parte accepta iam recepta, aut ab illa quæ nuper fuit, quandoq; verò mixta est hæc indicatio, sicut mixta est materiæ ratio, nempe quia illa partim fuit, partim fluxa est. materia quatenus fuit, indicat repellendum, vt fluxio cõsistat. illa autem quæ iam fluxit, duplicem habere rationẽ potest. Nam aut iam in loco inueterata est, & aut à tempore & natura, digestis tenuibus partibus, vel ex importuno vsu refrigerantium, vel immodico digerentium iam induruit, & in naturam scirrhii conuersa est. aut adhuc recens est, & modestè mollis. Quæ hoc modo se habet, indicat digerendum & concoquendum, & quoquomodo molliendum esse. Quæ verò iam induruit, perinde vt scirrhus tractanda est. Sed & de illis affectibus, quia calidæ materiæ affluxu originem habuere, non est cur

multa dicamus, quatenus ad repellentium v-  
 sum pertinet, nam eadem in his ratio est, quæ  
 & in phrenitide, & idem medicamentorum  
 vsus, & superuacanea videri posset longior eo-  
 rum disquisition quæ concitatur à fluxione fri-  
 gidæ & pituitosæ materiæ, cum similem, &  
 hæc rationem illis habeant, quæ de lethargo  
 superius exposita fuere. immo si exquisitius  
 rem extimauerimus, cū similis deinde sit me-  
 dicamentorum ratio, quibus tractanda est phre-  
 nitis & lethargus, cum febris deferuescere in-  
 ceperit. Nam cum vtrique affectus calidi sint,  
 quibus semper assidet insignis febris, dum ea  
 viget nunquam est negligenda, ideo quamuis  
 in incremento & vigore sit opus digerentibus,  
 tamen illis vtendum, quæ non possint infi-  
 gniter calefaciendo febrem exacerbare. eave-  
 rò deferuescente, vt diximus, ad valentiora e-  
 runt manus admouendæ: vnde quamuis ra-  
 tio horum medicamentorum his affectibus  
 hoc tempore communis sit, & alijs præterea  
 frigidioribus capitis affectibus. à frigida & cras-  
 sa materia excitatis, in his tamen plerumque  
 nulla adest febris, & proinde calefacientium  
 liberalior potest esse vsus. Sed rem hanc par-  
 ticularitiam iam tractemus. Inanito itaque vni-  
 uerso copore, & subinde etiam priuatim ipso  
 capite, materia quæ omnino fluxit, & in parti-  
 culis quasi absorpta est, nequit vacuari alio-  
 quin

quin, nisi per digestionem & euaporationem. Facilius autem fit euaporatio, si laxior sit ipsa particula, densitas enim digestionem, & euaporationi obstat, quare digerentia & aliquo modo laxantia erunt maximè opportuna huic muneri, quare oleum, quod rosaceum completum diximus appellari, aliquid facere potest, licet non multum: chamæmelinum aliquanto plus: sed plus etiam anethinum: valentius est rutaceum, & sic deinde usque ad oleum laurinum, quæ inungi, vel ex ipsis fieri quoque possunt epithemata, quemadmodum diximus ubi de lethargo erat nobis sermo, & interdum illis solis, nonnunquam multis v. nâ mixtis, prout ratio morbi, aut naturæ corporis, vel constitutionis temporis requirere videtur. Ad hunc præterea scopum, & ad hæc medicamentorum rationem pertinent ea epithemata, quæ fieri solent ex pulmonibus calidis veruecum nuper exenteratorum, atque ita applicatis ac replicatis capiti, de-rasis prius capillis. itemque ex pullis columbarum per dorsum dissectis, atque ita calidis capillis adhibitis præterea & ex carulis paulò antea natis, laxant enim, & digerunt. Sed quia id agunt dum calent, non possunt autem diu retinere calorem; ideo excogitarunt medici, ut cum refrigerant, tunc demergantur in aliquod decoctum

ex illis, quæ vim habeant digerendi & attenuandi, vt tamen in illis eligendis simplicibus, quæ sint coquenda ad rationem morbi respiciamus. Nam in inflammationibus, sicut in phrenitide quando vrantur medici his enteratis animalibus, non est parandum illud decoctum ex admodum calidis, quia licet videatur aliquantisper deferuisse calor, omnino adhuc sunt reliquæ caloris impressæ in ipsius particulis. Vnde nõ est vltra chamæmelum in his progrediendum. In lethargo verò, calidioribus aliquanto esset opus, vt anetho & alijs quorum paulo antea hoc & prioribus capitibus facta est mentio, & in alijs, quæ citra febrem vllam sunt, adhuc valentioribus auster vti possemus, sicuti hyssopo, serpillio, mentha, pulegio, calamentho, interdum & ruta, & istiusmodi alijs. Et interdum fouere possumus caput oleis calidioribus, ita vt illis etiam antiqui medici & castoreum addiderint. Sed finis tandem huius capituli faciendus est, si tamen hoc addiderimus, quod non erit inutile præsertim ad vsum & delectionem medicamentorum, vt & nos Galenus monuit, quod vt diximus, reliquæ calidorum etiã affectu postquam febris deferuerit, vacuantur per digestionem quæ in primis per attenuantia fit, & aliquam præterea concoctionem, quia semper vltimò remanent crassiores partes, vnde

unde vltima etiam inflammationis pars ad naturam scirrhi inclinat. longe tamen difficilior est, eorum digestio & discussio, quæ aut ex nimio refrigerantium vel ex importuno digerentium & discutientiũ usu euegerunt. Refrigerantia enim densant, incrassant & impingunt. digerentia verò immodesta, digestis & vacuatis tenuioribus partibus & mollioribus quod reliquum est crassius & durius reddunt. Vnde interdum quæ laxant & digerunt non sunt satis ad dissipandas illas reliquias, sed cogitur medicus vti validioribus medicamentis, quæ validè possunt crassitiem humorum difficere, & præterea potèter attrahere ex profundo, cõfectis emplastris, aut ceratis, quæ castoreum, aut sinapim, aut pyretrum, aut piper accipiunt. Sed tandem ad alia transeamus.

*De affectibus per medicamenta topica curandis, quib. exerceri solent particule, quæ habent ortum, & facultates à cerebro: primumque de illis qui ad nervos & nervosas partes referuntur vt sunt  
resolutio & convulsio.*

## Caput VII.



NERUORUM affectus, qui eos exercent quatenus instrumenta sunt, & viæ per quas vis motrix atque sensus ad omnes partes quæ sunt capaces tum sensus tum motus defertur, duo inprimis sunt: nempe resolutio quæ *πρωγήλιος*, & conuulsio, quæ *σπασμὸς* à Græcis dicitur. quia si qui sunt præterea alij, ad hos tandem referendi sunt. Nam stupor est quasi via quædam in resolutionem vel leuis & parua incipiensque resolutio. Ita etiam tremor membrorum quidem refertur in imbecillitatem facultatis motricis, quæ ortum habuit ab aliqua frigidiori, vel humidiori neruorum intemperie, aut ab eorū obstructione. Palpitatio verò fit spiritu statulento incluso in musculis. Vnde nobis in præsentia satis erit si de medicamentis egerimus, quæ vtilia sunt curandæ resolutioni & conuulsioni: sequemur autem eandem in his, quam in alijs hæctenus methodi rationem sumus secuti, nepe vt ab indicationibus quas nobis statim offerunt naturæ ipsorum morborum scopos depromamus, qui in his vniuersam medendi rationem dirigant. Et quia multæ vtriusque horum sunt differentiæ, non modo diuersè inter se, verùm & aduersariæ: ideo necesse itidè est, vt & contrarias indicationes habeant, & contrarij scopi medico offerantur. Sed hæc particulatim inuestigemus, & primum agamus de resolutione.

resolutione, quæ si integra sit, aufert & delet omnem actionem tam sensus quàm mouentis facultatis: sin autem non integra, vt in stupore actio redditur imminuta & manca. quod & aliquo modo dici de tremore potest, nempe quatenus ad debilitatem motricis facultatis pertinet, licet tremulus ille motus quoquo modo in vitiatam vel corruptam actionem referri possit. Affectus ergo is potest aut in intemperiem neruorū sine materia deduci, aut in obstructionem, aut in solutam continuitatem neruis illatam. Intemperatura quidem vnde resolui nerui possunt, quatenus ad primas qualitates pertinet, duplex est, nempe frigida, quæ ita potest densare nerui substantiam, vt nequeant spiritus deferentes facultates per illos transire, præterea verò humida, mollitis nempe & laxatis neruis. Calida verò nequaquam, neque sicca. nam neque resolutio à siccitate fit. Si enim immodicè nerui siccantur, conuelluntur potius quàm resoluantur, sicuti ex humiditate nequeunt conuelli. Hæc verò intelligenda sunt quantum ad qualitates spectat: quia si sit intemperies cum materia, potest & ex hac resolutio & ex illa conuulsio oriri, sed hoc potius ratione materiæ, quàm qualitatum vel intemperaturæ accidunt. Cæteri verò affectus, à quibus efficitur resolutio, vel paralyfis, in causâ sunt, cur facultates tã illa quàm motus

quàm quæ sensus author est, clausa vel obstructa via circa initium nerui resoluti, nõ possint per illum liberum habere transitum. Nam si impingatur infarciaturue crassus aliquis succus, vel etiam lentus alicui initio alicuius nerui, vel initio medullæ spinæ, reliqui nerui inferiores, qui ab illo initio deriuantur, intercepta via ab illo crassiori succo, destituuntur ab omni facultate tum sentiendi, tum mouendi. Nec modo nerui sed ceteræ etiam particule ad quas diducti nerui inde deriuati, illis sensum motumque subministrabant. Et si obstructio hæc fit statim circa initium medullæ, quæ in spina est, omnes subiectæ partes resoluuntur, ex ea saltem parte, nempe dextra vel sinistra, ex qua fiat obstructio. fit autem interdum obstructio, suborto aliquo crudo tuberculo, in neruo aliquo vel in ipsa medulla perinde, ac de obstructione diximus, interdum & ex inflammatione. Ego tamen putarem, quod si inflammatio corripuerit neruos aliquos, potius illam futuram in causa conuulsionis, quàm resolutionis. Nam Galenus hoc argumento probat dolores articulares, quos ipse in inflammationem refert, non fieri ex fluxione humorum ad neruos vel chordas, quia nunquam hos dolores conuulsio sequitur: innititur autem id argumentum huic fundamento quod potius neruorum inflammationis comes sit conuulsio quam resolutio.

fit

fit autem & hæc obstructio, nulla impacta materia in nervo vel laborante nervo aliquo suo proprio vitio vel affectu, sed potius cum afficitur, cum alia parte consentiens, sicut interdum à vicinis parte comprimitur, & ex ea cōpressionē densato prohibetur defluxus facultatis vel spiritus ad subiectas & connexas partes. Premitur aut̄ ob aliquem obortum tumorem insignem in vicinis particulis, nempe aut inflammationem, aut crudum aliquod tuberculum aut scirrhum, aut luxationem alicuius articuli, si luxatum os in locum exciderit ubi nervus sit vicinus, cui caput illius ossis impigerit. Postremò autem fit resolutio, si nervus transversus rescindatur. Cum enim nervi à suo initio omnes vires habeant, nempe à cerebro & à medulla spinæ, cū ab eo divelluntur & disseparantur, ab omni facultate destituntur. His itaque modis fit resolutio, præsertim quando illud non accidit ex eorum consensu cum cerebro prius per se affecto, quemadmodum, in commotione vel concussione cerebri, aut in apoplexia vel catotocho, quem cōgelationem Arabes, & iuniores appellant. Nisi quis fortasse objiciat nobis, se à medicis sæpe audivisse, præsertim verò in consultationibus, quod fit & interdum resolutio nervorum, ipsis tenui aliquo humore emollitis perfusisque cuius tamen nullam fecimus men-

tionem. Sed istius differentię resolutionis propterea mentionem nullam fecimus, quia putamus à tenui humiditate perfusos, conuelli potius quam resolui. nam sicuti exemplo petito à fidibus in musicis instrumentis, & à loris quę duplici ratione abrumpuntur & retrahuntur versus suum principium, nempe si nimis siccantur & arescant, aut humore aliquo perfundantur: ita duplicem esse differentiam conuulsionis, alteram quę fit inanitis, et arescentibus nervis, alteram illis humore repletis, & madidis, & quemadmodum chordę in citharis in humidiori aeris statu, vt nocturnus est, dum humectiores fiunt, nisi laxentur solent abrumpi, neque tamen crasso humore perfunduntur ab aere, sed potius tenui: ita & nervi, si perfundantur humore, crassescunt, & breuiores fiunt, Potest autem id esse argumentum, falsum esse, quod à crassa pituita fiat conuulsio, à tenui resolutio, imò quod ex sola obstructione, non autem ex perfusione ab aliqua materia, quia in resolutione amittitur pariter sensus & motus, & id quidem semper, in conuulsione autem sensus non tollitur, cum tamen conuulsio, vt hi volunt, fiat repletis nervis multo & crasso humore. Vnde, si crassus humor non prohibet transitum facultatis per nervos, neque etiam tenuis. In resolutione autem, quacunque de causa illa fiat, semper  
sensus

sensus & motus deficiunt. Conuulsio verò ipsa, si sit primarius neruorum affectus, aut ex repletionem fit, aut ex inanitione, non autem ex obstructione, cum semper pateat transitus facultati deferenti sensum, & motum. Aliquando verò fit ex consensu neruorum cum alio, utpote cum cerebro, sicut in epilepsia, & in venenatis moribus, tum qualitas illa maligna cerebrum petens, illud cogit ut se colligat & contrahat, atque ita etiam in dolore. In punctura autem, vel vulnere neruorum, atque etiam in inflammatione Galenus sensit ex repletionem fieri conuulsionem. Conuellitur enim neruus quando ichores, & tenuius excerni nequit, inflammatio verò quod sit morbus ex plenitudine concitatus, nemo non nouit. Ex his ergo in hunc modum expositis, liquido patere ubique potest, quod multæ harum differentiarum ad ad præsens institutum non pertinent, tam conuulsionis quàm etiam resolutionis. ut illa quæ fit consentientibus neruis cum cerebro, quemadmodum contingit in apoplexia & epilepsia. Quia horum curatio, est apoplexiæ curatio, ita etiã quæ à venenosis moribus, nã propriam habent curationem pertinentem ad priuatam rationem curandi venenosos ictus. Sed neque etiam cum puncturam nerui sequitur, quia proprius in priori lib. sermo est

habitus de aptis medicamentis ad neruorum vulnera, longe etiam minus si horum affectuum ratio pendeat à neruo abscisso aut abrupto. Quare de illorum medicamentorum ratione sermonem habebimus quibus tollendus est proprius aliquis neruorum affectus: siue conuulsio sit, siue resolutio. Primum itaque de illis agamus, qui simpliciores sunt, utpote qui in sola intemperatura consistunt, ut frigida est, quæ utrisque, tam resolutioni, quàm conuulsioni communis esse potest, sicca verò conuulsio peculiaris est, à resolutione aliena: sicut contra humida à conuulsione aliena est, de illis tamen in præsentia duntaxat agimus, quæ citra materiæ consortium fieri solent. In his ergo in vniuersum hoc tanquam constitutum accipiendum est, quod quatenus ad eiusmodi intemperaturas pertinet, indicatio euacuationis nullum habet locum, sed res vniuersa per transmutantia est transigenda, siue de illis sit sermo, quæ ad victus, siue de his quæ ad medicamentorum rationem pertinet. Sed & illud nulli non notum, & in confesso est, quod contrarijs vitiosæ intemperaturæ sunt tractandæ, & si intemperatura fuerit frigida, calidis tum cibus, tum verò potu. Præterea verò & aere & reliquis omnibus quæ ad victus rationem pertinent. Nec his modò, verum & medicamentis, tum internis quidem, ut syrups

pis decoctis, antidotis, & illis quas vulgò confectiones vocant. de quibus copiosa libro secundo instituta fuit tractatio, externis verò, vt sunt vnguenta, illitiones, cataplasmata, emplastra, balneæ, perfusioes, seu, vt Græci loqui solent, embrochæ. De illis ergo imprimis erit agendum, quæ calefaciunt & nos materiam in præsentia exponemus solummodo, vt tamen & hoc addamus, quod si præterea aliquam vim digerendi habuerint, illud non ab re fuerit. Et si quis obijciat, quod digerentia euacuant, tu verò paulò antè dixisti, nullam hinc haberi vacuationis indicationem? Dicemus quod id quidem verum est, quatenus illa intemperatura sine materia per se est. Quia tamè in frigida alicuius particulæ intemperatura calor natiuus imbecillior redditus, non potest aliqua crudiora excrementa non gignere, quæ eam fouent intemperiem, ideo præter calefactionem, utilis est etiam aliqua digestio. Olea igitur quæ calefaciunt huic negotio sunt opportuna, sicuti chamæmelinū, anethinum, absinthinum, nardinum, mastichinum, & illud, quod ex hyperico conficitur, liliaceum etiam & cininum, & costinum, quod etiam fit ex lini semine. Sed & fomētā ex decoctis cōfectis ex eisdem simplicibus, ex quibus illa oleo conficiuntur, & ex alijs etiam, quæ eiusdem sint facultatis. Item quæ & emplastra, & cataplasma



## 558 DE COMP. MEDIC.

ta, & reliqua id genus medicamenta fieri possunt, quæ particulatim, ob nimiam tractationis prolixitatem in præsentia non sunt exponenda, nisi quod hoc loco id quod alijs quoque faciendum est. Monendus sane iuuenis Medicus est, ut semper à facilioribus, & leuioribus, curationis sumat exordium, atque ita paulatim tentet, quid possit ferre laborantis natura. Sed in his neque thermarum quæ tum actu tum potestate calidæ sunt, usus est inutilis, quales Patauinæ sunt, quæ multiplices sùt, & Bononienses, Porretanæ, & in Etruria etiam plures. Nec etiam dissimilis esset ratio medicamentorum quibus humida neruorum intemperies curanda esset, nam & thermæ omnes siccant quidem, non omnes tamen calefaciunt. Sed & omnia quæ paulò antè recensuimus, præter id, quod calefaciunt exiccant etiam. In hac tamen intemperie curanda, & huius est habenda ratio, ut ad naturam corporis eiusque naturalem temperaturam, præterea verò & ad aeris & temporis constitutionem, respiciamus, ne interdum, si usi fuerimus siccantibus, medicamentis, quæ præterea & calefaciant, febrem accendamus. Vnde consultius sane erit, ut si calidis exiccantibus simus usuri, ubi nulla adsit præterea frigida intemperatura, aliqua intermiscantur, quæ siccant quidem, sed etiam refrigerent, ut illorum calor temperetur, sicuti sunt rosæ aridæ, folia salicis & id.

& id genus alia. Multi quidem in resolutionibus, si occasionem ab humiditate, vel etiam a frigore habuerint, vtuntur aqua ex vino distillata, aquam vitæ vulgò appellant, resolutas partes illa madefacientes. Ex sicca autem in temperatura, vt diximus, in nervis contracta, resolutio nequit fieri. Sed tamen conuulsio, qui quidem affectus si aliquam potest curatio nem admittere (nam nunquam aut rarissimè & inter prima morbi initia medicamentis alijsue remedijs cedit) curatur humectantibus. secundum omnem modum administrandis medicamentis, nimirum, & ratione victus humectante, non solum in potu & cibis, verum & alijs omnibus, vt aere, somno, quiete, tam corporis, quam animi. Sed & externis remedijs, præ omnibus autem alijs balneis, non quidem quæ sponte scaturiunt & mineralem aliquam facultatem continent, quia illæ omnes siccant, sed quæ arte parantur. Duplex autem balnearum genus potest his esse vtile: primum quod fit ex aqua dulci modeste calida, nam si calidior esset magis siccaret digerendo. Quod si aliqua præterea incoquerentur, quæ humectarent, vt essent malua, lactuca, borago, & alia quæcunq; humectant, quæ ita tamen essent moderanda, ne nimis aut calefacerent, aut refrigerarent. Nonnulli præterea laudant vt in ea quoque aqua incoquantur capita & pedes.

agnorum, aut veruecum. Alterum verò balnei genus est, quod fit ex oleo communi, & dulci, quod & plane maturum fit, & non vetus. fit quo omnino sincerum, utpote quod fit expressum ex foliis oliuis citra salis permixtionem & citra germina vel folia vel furculos arboris, hæc si quidem omnia vim exiccandi habent. Tandem autem Galen. omnia in vnam summam colligens ait, quod curatio conuulsionis, quæ à siccitate accidit eadem tandem est, quæ & febris hæctica. nempe ut omni, quæ id fieri potest ratione, corpus humectetur. Vnde iam opportunum fuerit, ut ad alias differentias horum affectuum tractandas accedamus, quæ à præsentemateria ortum & fomentum habent. siue illa nervos repleat, ut in conuulsione, siue obstruat, ut in resolutione. Et quia ut & Rasis in suo libro ad Almanforè testatur, eadem est tandem methodus vel saltè parum admodum differens, qua curandi sunt duo hi affectus, nempe resolutio & conuulsio, quando ab abundantia materiæ replentis vel obstruentis ortum habent, quamuis diuersa & ferè contraria symptomata habeant: ideo de ambobus etiam in vniuersum agemus, expositis primùm generalibus indicationibus, quibus præsertim curandi methodus innitur. Generales igitur indicationes sunt illæ, quæ omnibus morbis, qui ab affluxu ma-  
teriq

teriz ortum & fomentum habent, communes sunt, nempe quod statim à principio, fluxio est intercipienda, per vacationem & reuulsionem, vt occasio fluendi tollatur: vacuetur autem corpus vniuersum, si illud vitiosis & superuacuis humoribus sit plenum, deinde verò & caput, si inde excrementosam materiam ad nervos fluere putemus. Particularim verò modum & rationem vacationis ostendet natura ipsius affectus vel causæ, quæ illum concitarunt & fouent, præterea verò, & status vel natura ipsius corporis. nam quamuis Aetius ex Archigene, cui videtur & Paul. subscribere & Aretæus, semper in resolutione & conuulsione senserit à venæ sectione esse incipiendum, Arabes tamen in resolutione neminem quidem quòd vena, præsertim in resolutione, sit secanda. & multi iuniores etiam damnant, cum frigidus morbus sit, Galenus verò in libro de vena secanda contra Erasistratum sensisse videtur vtilem esse venæ sectionem, præsertim illis, in quibus suppressio sanguinis præcesserit, qui solitus sit per menses muliebres, aut per hæmorrhoidas fluere: præterea verò in 1. lib. ad Glaucon. concedit in his affectibus mittendum esse sanguinem non tamen semper. Sed aliquando, neque tamen particularim deinde quando id expediat exponit, nisi quod aliquas videtur infi-

nuare limitationes, sed cum hæc ad præsens institutum non videatur pertinere, in illis exponendis non erimus longiores. Cum verò plerunq; affectus hi à frigidis humorib. fiant, sæpius quidem à pituitosa materia, interdum tamen, & à succo melancholico sicut & epilepsia, ideo plerunq; humor pituitosus purgandus est, nonnunquam & melancholicus, quibus autem medicamentis purgandus sit is vel ille humor, in 1. li. satis est à nobis expositum: in secundo verò, quibus coqui & parari ad vacuationem possit, quibusq; siccari & roborari nerui possunt, digesto excrementitio humore, qui in illis est impactus. Quare reliquum est, vt ad illa conuertamus orationem, quæ in primis fluxum iam humorem, & factum morbum respiciunt, vt sunt externa & topica remedia. Sed non erit fortasse inutile, vt prius particulatim ea exponamus, & aliqua generalia documenta ab antiquis medicis tradita referamus. Et primum ab Alexandro Tralliano depromsimus, hoc vero est, quòd cum plerunq; fluxionis in morbis his à capite originem primam petere oporteat, quanuis aliquando viderimus dolores ventriculi, & intestinorum in neruorù resolutionem desisse, ad eos nimirù translata materia: ideo non modò in illis curâ dis, vniuersi corporis curam per eius vacuationem habere oportet, verùm et ipsius plerunq; capitis,

capitis, vt ante illud ab excrementis, quibus  
scatet expietur, quam factum iam morbum in  
ipsis neruis, externis remedijs aggrediamur.  
superius autem, vbi de curandis affectib. capi-  
tis fuit sermo habitus, de illis quib. caput sit i-  
naniendū, particulatim plura verba fecimus.  
Alterum verò fuit à Gale. depromptum 3. de  
locisaffe. & ad rationē vsus, & administratio-  
nis eorum medicamentorum pertinet, quæ  
exteriori adhibentur. id autem est, quod in ho-  
rum medicamentorum vsu in primis & præ-  
cipuè inquiramus & inueniamus locum ori-  
ginis eorū neruorum, qui sensum & motū re-  
solutis particulis, aut conuulsis subministrat.  
Nam longe magis eo loco applicata profunt,  
initium enim longe maioris momenti est, & id  
etiam est, quod primū laborat, à quo defluit af-  
fectus in subiectas partes. Vnde si resolutio,  
vel cōuulsio magna sit, in qua non modò infe-  
riores, verū & superiores partes affectę sint,  
præcipuè spinæ dorsi, quod est initium omni-  
um neruorum, præter septem illas coniuga-  
tiones, quæ statim à cerebro deriuantur. Mé-  
dicamenta affectui congruentia applicare  
consueuere peritiores medici, & illis verte-  
bris, vnde ortum habent resoluti vel conuul-  
si nerui, & proinde nos docuit Alexander, vt  
cum pars aliqua faciei resoluta aut conuul-  
sa fuerit. sicut ori solet accidere & oculis;

Cum à cerebro nerui harum partium proximè oriantur, magis capiti, quàm laborantib. partibus aptis remedijs consulamus. Sed iam de medicamentis localib. agamus particularim, prius tamen scopis propositis, ad quos dirigenda est eorum vniuersa ratio, quos, quæ nobis ostēdit natura ipsius affectus, & ab eo sumptæ indicationes, Cū ergo affectus à præsentia materiæ frigidæ & crassæ excitatus fuerit princeps scopus erit per digerentia euacuandum esse, & præterea frigidā intemperiem corrigendam, sed quia crassus, & lentus humor non facile digeritur, ideo attenuandus & concoquendus: sed & calefaciendum, hoc enim & res ipsa nos docet, & Gal. 2. & 4. aph. exposuit. Erit ergo agendum medicamentis attenuantib. calefacientibus concoquentibusq;. & hac eadem de causa aliquando febris conuulsionem, & resolutionē sanare potuit. Imò & ob id excogitarunt medici, vt quando difficilis est morbus, febris vsu rerū calefacientium concitetur, & Galen. 5. aph. quamuis vinum alioquin neruis sit nocentissimum: interdum tamen ait, quod potus eius meraci ab his affectibus hominem, propterea quod calefaciat attenuet & digerat, potest liberari. Sed quatenus ad primum pertinet, non est concitanda neq; desideranda acuta aliqua febris, sed potius leuis & facilis, ne liberi ab vno periculo, in aliud non

non leuius incidamus. Quartanam verò imprimis posse hos affectus tollere putarunt Hippocrat. & Galen. vtpote quæ calore possit attenuare & coquere crassam & frigidam materiam, rigore verò, illam exturbare & excutere. Vinum autem potest his affectibus esse vtile, vt 7. aphorif. ex Asclepiadis sententia docuit Galen. quando corpus purgarum & inanitum fuerit, alioqui enim potius oberit & insigniter. Verùm hæc tanquam ferè parerga omitterenda sunt, quamuis non omnino parerga sint, & de medicamentis tandem particulatim sermo instituendus est. Quæ ergo calefaciendi & attenuandi vim habent, ea huic negotio possunt esse accommodata. nos autem ex multa & copiosa sylua aliqua collegimus simplicia ab auctoribus laudata, non quòd ea sola nobis probentur, sed potius vt tanquam exempla proponantur. Sunt autem hæc veluti materia apta ad diuersorum medicamentorum compositionem, nam & olea medicata ex his parari possunt. & balnea, perfusionesque cataplasmata & emplastra. Neq; alicui mirum videatur, si emplastrorum vel cataplasmatum meminerimus, vtpote quòd graue videatur hæc posse ferri, si conuulsio vel resolutio multas partes occupauerit, quia, vt superius monuimus, non est opus his vniuersam comprehendere particulam, sed satis plerunque



est, si vel origini neruorum qui affecti sunt, adhibeantur. Actius itaq; & Paul. multis laudibus hæc extollunt, nempe artemisiã, contãzam, calamentum, rutã. his tamen addere possumus chamæmelum, anethum, saluiã, chamepitym, organum & hypericon, & istius generis plurima alia, quæ possunt ex libris de facultatibus simpl. medicamentorum depromi. Ex his ex aqua coctis, fieri possunt balneæ, perfusionesq;, sed si hæc herbæ coctæ terantur in cataplasmaris emplastrisq; formam redigi poterint. Olea verò quæ possunt vtiliter in vsum venire, sunt oleum commune vetus multorum annorum oleum chamæmelinum, anethinum, ex semine lini, ricininum, costinum, rutaceum oleum, ex hypericon coactum in affectibus neruorum, vel ab ipsis etiam vulgaribus effertur multis laudibus, oleum præterea de piperibus, oleum vulpinum, quod ex lumbricis terrestribus paratur, siue sit oleum alioquin simplex, siue vetus quod fortius erit, siue (vt in præsentia est in vsum) coactum ex oleo chamæmelino. Ad institutum hoc nõ parum facere solent aquæ thermarum sponte nascentium, quæcunq; calefaciunt & digerunt, quales sunt sulphureæ, nitrosæq; & quæcunque salis, cineris, calcisue sunt participes. Sed & bituminosæ ac aluminosæ, quæ tamen non plerimum aluminis habeant, ne ni-

mis a.

mis astringant. Ratio verò illis vtendi multiplex esse potest, nam & in potu potest earum vsus esse vtilis, & earum balneę perfusionesq; vel embrochæ. Sed multis in locis, & luta que subsident ipsis thermis, si illis affectæ partes, præsertim verò ad neruorum initia illinantur vtiliter adhibentur, sicut hîc in Patauino agro latum thermarum sanctę Helenę, itemq; sancti Petri, & montis Ortonis. Sancti verò Barthiomei, quamuis aliquib. in resolutione nõ valde probetur, propterea quia non parũ molliat, attramen cum insignem præterea vim digerendi habeat, ita vt induratos tumores possit primũ mollire & attenuare, mox verò & validè digerere, non putarem illud in resolutione contemnendura, in conuulsione aut plurimum esse laudandum. Ego verò & aquam, quam vite vulgò appellamus, resolutis particulis affusam plurimum præsidij illis attulisse vidi.

*De medicamentorum compositione, quæ apta sunt curandis morbis proprijs sensuum instrumentis, primumq; oculis, ac de eorum vsu.*

Cap. VIII.

**V**ideretur forsitan alicui, & de medicamentis agendum esse, quibus ad tollendas destillationes medicivti solèr. Sed

si recte rem examinemus, destillationes sequuntur, aut semper aut frequentius cerebri affectum proprium, nempe eius imbecillitatem, quæ habet originem ab aliqua in eo intemperie contracta, præsertim verò frigida. Vnde Gal. 3. de caus. symp. similem habere rationem in cerebro destillationem ait, ut in ventriculo alui profluuium, quod à ventriculi cruditate primariâ occasionem habet. Pari. n. ratione ex errore contracticis facultatis in cerebro fluxio concitatur, & distillatio, & quatenus ad hoc pertinet, superuacaneum videtur de hac affectione particulatim agere, cum superius de illis fuerit ab undè sermo habitus, quibus eiusmodi intemperamentum corrigendum sit. De affectibus verò, qui in diuersis alioquin partibus ad eas decumbente destillatione concitari possunt, nõ hic, sed alijs magis proprijs locis erit instituenda tractatio. In præsentia ergo ad sensuum instrumenta conuertamus nostram orationem: primum quæ ad oculos. Oculus ergo visus est instrumentum, quod magnam cum cerebro connexionem naturalem quæ affinitatem habet, maiorem fortasse quam quispiam aliorum sensuum. nam præter id, quod visoria vim vniuersam ab eo per nervos opticos habeat, multis musculis circumseptus est, à quibus in varias partes moueri potest, qui nervos suos à cerebro recipiunt, per quos ad illos vis mouedi amandatur.

tur. partes etiam ex quibus tanquam instrumentaria, & composita pars coagmentatur, si non omnes, aliquæ saltem originem habent, & derivetur à cerebri mēbris. Nam ex anteriori & exteriori parte trib. cōstat mēbris seu tunicis: prima, quæ extima est, & cū Græcis *ἀντιπροσώπια χιτῆρα* appellant, quasi adnatā vel adiunctam dicas: iuniores Latini coniunctivam vocant. Altera verò quæ ab hac continetur ea est, quam corneam nuncupant. tertia est quam vucam, rhagoida autem Græci appellant. Sed de internis non proferemus in longum nostram hanc orationem, ne nimium temporis conteramus, satis est, quod omnes tam internas quàm externas, tum à cerebro, tum à capitis membranis tanquam propagines ortum habuisse anatomici auctores in administranda oculorum anatome, ostendunt. Ex quo tanquam corrolarium hoc deduci potest, quod ad rationem curationis affectuum istius particulæ instituendam non parum vtile esse potest, id novisse, nimirum quod plerique morbi, qui oculos affligere solent, quando sponte sua oriuntur & ab internis causis, à capite & cerebro in primis occasionem habent. Sed his præterea addendum est, quod oculi nomine propriè quidem significamus eā tantum particulam quam circum circa ambit & continet tunica, quam adnatam vocari dixi

mus. nonnunquam tamen latiori quadam significacione, & externas partes, quibus oculus proprie includitur, vt sunt palpebræ & cilia superciliaque, inter eas recensemus, quæ ad conformationem oculi ex propria eius natura pertineant. Nos tamen seorsim de illis, & de his agemus, prioremque sermonem habebimus de curandis per medicamenta illis affectibus, qui interiori oculo proprij sunt, & cum duplici facultate oculus à natura sit donatus, nempe motrice, quæ per musculos fit, & visoria: de priori non est curagamus, quia cum omnes affectus qui motrici facultati noxij sunt, tandem in resolutionem & conuulsionem referantur, eos omnes fuisse comprehensos superiori capite affirmare merito possumus. Qui verò ad alteram facultatem attinere quoquo modo possunt, in multiplici sunt differentia. Nam alij proprij sunt partibus oculi communi tamen quadam ratione quatenus simplices & similes sunt, alij verò primū & per se oculū lædunt, quatenus cōposita & instrumentaria est, quatenus simplices sunt obnoxiz duplici morborum generi illi quod in intemperatura est, & illi quod in soluta vnitatē: intemperaturæ verò sunt quatuor simplices & quatuor cōpositæ, quæ itidem sicut in alijs partibus, vel cum materia esse possunt, vel citra illam. Ad intemperaturam cum  
mate-

materia referuntur inflammationes, & reli-  
quæ tumorum differentia. Vtraq; autem ge-  
nera solēt dolores sequi, qui symptomata sunt  
sensus tactus, cuius oculus communi ratione  
particeps est. Et quia genus hoc morborum  
quod in intemperie secundum propriam na-  
turā cōstat, primam etiam rationem sequitur,  
ad earum particularum naturam pertinere. Id-  
eō de illo priorem sermonem habebimus. Ut  
autem in breuiorē summā, methodumq; quā  
tum per nos fieri poterit, omnia redigamus,  
hunc ordinē seruabimus, quod primū circa  
eas intemperaturas versabimur, quæ maioris  
momenti sunt, & maiorem requirunt diligen-  
tiam, quales sunt illæ, quæ ab affluxu materiæ  
ortum & fomentū habent. Nam in his cōtinē-  
tur & illæ, quæ citra materiā sunt, atq; in his  
quib. curanda est intemperies cū materia, ple-  
raq; eorū cōprehenduntur, quæ illam tollere  
possunt, quæ est citra materiā. Sed & id præter  
ea annotatione dignū est. quod si non omnes  
plærique saltem oculorum affectus, qui à  
præsente materia pendent, & fouentur, à flu-  
xione originem habent, quæ à capite & cere-  
bro semper ferè primam ( vt ex paulo ante  
expositis facile posset probari ) occasionem  
habent. Fluxiones verò quarum initium est  
à capite, ex maiori, immo maxima parte sunt  
vel à bile, & ex sanguine tenui & biloso.

aut tenui & falsa pituita: vel frigidæ ex pituita frigida & insipida. aliquando etiam mixta est ex vtrisque. Nam ab humore melancholico crasso rarò hæc eueniunt, nisi interdum aliqua huius succi portiuncula sit his alijs mixta. Quiaverò omnes defluxorij morbi, sicut vnam habent communem rationem, qua generantur, ita vni etiam generali methodo, quatenus ad eorum curationem pertinet subiecti sunt, licet particulatim quatenus ad materiã medicamentorum, aliqua sit in eis diuersitas, & aliqua etiam ratione naturæ particulæ morbosæ. Sed non est in præsentia opus, vt multa de hac ratione dicamus, quia cum præsens oratio solum circa oculorum affectus verferetur, eadem quantum ad hoc spectat, in omnibus erit ratio. Nos ergo, vt breuiores simus, non omnium affectuum, quia calida fluxione pendens, curationem tractabimus: sed de oculorum inflammatione, quæ à Græcis ophthalmia, à Latinis lippitudo dicitur, agemus, quæ erit nobis veluti exemplum quoddam curandarum omnium calidarum fluxionum. neque longi admodum erimus in exponendis illis quæ in vniuersum continent generalia theoremata horum curandarum affectuum, quia sæpius & hæc priori libro fuere exposita: nempe quod quamuis hæc fluxiones primum & proximè occasionem à cerebro capiteque habeant,

beant, fomentum tamen rarò illi deest à suppositis partibus, vt ab hepate, sæpius etiam ab vniuerso corpore. Vnde & vniuersi corporis vacuatione priori egent & reuulsione, & eadem deriuatione. reuulsio præcipua illa est, quæ omnibus affectibus calidioribus cõmunis est, nempe per sectionem eiusdem venæ, quæ in affectibus capitis secari solet. deriuationes fieri possunt affixis cucurbitulis scapulis eisdemque incisis. itemque & hirudinibus post aures, atque permissio sanguine fluere post earum casum, quantum expedire visum fuerit. Galenus verò in libro de facil. parab. medic. meminit alterius reuulsionis vel deriuationis, nempe apposita cucurbitula occipiti & incisa, atque inde sanguine detracto, perinde vt Hippocrates rectam frontis venam secãdam esse, quando pars posterior capitis male affecta est. Auertunt etiam, sine manifestata tamen vacuatione frictions brachiorum crurum & dorsi. Et quamuis hæc reuulsionis ratio frequentior sit medicis, non tamen ea sola in vsu est, nam sæpe medicamentis purgantibus vtuntur, cuius rei meminit Galenus tũ primo aphor. tum verò decimotertio. meth. vbi ait se curasse sæpius incipientes ophthalmias illo eodem die corpore per medicamenta purgato. & si quis quærat, quamuis fortasse hæc videantur ab hoc instituto aliquantulũ



duæ reuellendi rationes semper & in omnibus æqualiter, & indifferenter sint futuræ viles, vel aliqua potius in illis differentia, & distinctio adhibenda, ita vt aliquando altera aliquando autem altera sit accommodatior celsenda. Est sanè, & illa præsertim quæ à natura fluxionis sumenda est, vt videtur insinuasit Galenus. nam si fluxio fuerit aut sanguinea, aut aliorum humorum cū sanguine, sanguinis detractio aptior erit ad curationem. Sin autem non fuerit insignis cum sanguine mixtura, vtilior erit purgatio. Vnde Galenus in libello de medicam. fac. parab. signa exposuit, quib. hæc discerni possint. ait enim quod si venæ circa frontem tumidiore, & apparentes fuerint, sit sanguis mittendus: sin autem, purgandum. Sed ad ea tandē transeamus, quæ particulatim ad præsens hoc negotium magis videntur attinere, nempe ad tractationem de localibus, & externis medicamentis. vt tamen prius hoc sit considerandum, quod cum methodus primario quidem naturam rationemque morborum sequatur: à generalibus morborum rationibus occasionem habent & constitutionem theorematum pertinentia ad partem communiorum, & generaliorum methodi. Cum ergo ophthalmia inflammatio sit oculi, vnde & ophthalmiæ nomen illi inditum: necesse est, vt communi methodo curandarum

darum inflammationum sit subiecta . habeat tamen aliquas particulatim definitiones & limitationes, à sua propria & peculiari natura. At inflammatio à fluxione efficitur. Primum ergo indicat sistendam esse fluxionem, deinde verò si quid iam fluxerit, id per digestionē vacuandum esse. Sistitur autem fluxio per repellentia, quæ vt sæpe expositum est, refrigerant & astringunt. Sed & quoquomodo euacuetur particula, dum per hæc quasi exprimitur, si quid admissum & receptum est, præsertim verò vacuant, quæ vim habent digerendi vnde inter initia repellentibus agendum est, morbo autem ad incrementum progrediente, miscenda sunt digerentia repellentibus, ac paulatim de repellentibus detrahendum, donec solis digerentibus, quando vigor morbi accesserit, utamur. Hæc ergo est generalis methodus curandi affectus, qui à fluxione ortū habent. Sed illa postea per peculiare rationes, quæ à varia natura ipsius morbi, vel specie accipienda est: in hac tamen inflammationis quasi specie, quantum ad institutum nostrum pertinet, præcipua diuersitatis ratio ab ipso loco affecto depromenda est, nam adeo differentis naturæ ab alijs particulis oculus est, vt diuersissimam requirat medicamentorum conditionem ab alijs particulis: ita vt quæ in inflammationibus aliarum ferè omnium

particularum maximè commoda, & salutaria sunt, in oculorum inflammationibus alijs que eorum morbis maximè nocua sint. Nam rosaceo oleo, vt superius fuit expositum, in capitis & cerebri, tum inflammationibus, tum etiam doloribus, & alijs calidis affectionibus omnes, vel etiam vulgares, vtuntur tanquam præcipuo, optimo que medicamento, quod tamen oculos irritare & exacerbare potest, naturæ enim oculi maxime est aduersarium. Et proinde licet in vniuersum eadem sit methodus curandi oculorum lippitudines, qua & alia curantur inflammationes, particulatim tamen quatenus ad materiam pertinet ex qua componenda sunt medicamenta apta curandis oculorum morbis, maxima est diuersitas. Id verò est propter dignitatè istius particulæ, & eximiū in illa sensum: à quo habet quod facillimè à quocunq; in quo sit vel quauis modicus aliquarum qualitarum excessus, statim lædatur & irritetur, vt in ea fere sola locum non habere videatur aphoristica illa sententia, quod extremis morbis extrema remedia conferre solent. Nam neque in magnis oculorum morbis vti licet valentioribus & fortioribus medicamentis, & inde fit quod eorum curationes tum difficiles, tum etiam longæ esse solent. Vnde, vt Galenus partim decimo tertio methodi, partim quinto de compositione medi-

medicamentorum secundum locos docuit, neque primas neque secundas qualitates, neque tertias, nisi moderatissimæ sint, oculi ferre citra noxam possunt: nam neque quæ infringentem aliquem saporem habent, vt austerum vel amarum vel acrem, & tandem quæ acrimonie expertia non sunt, quæque exasperant, sicuti astringentia exasperant. Omnia enim sunt oculis inimica, nisi modestissime id faciant, immo neque ea quæ vel modeste id agunt, periti medici oculis iniiciunt, nisi prius illa aliquo liquore leni demulceant & deliniant, vt omnem exasperandi facultatem detrahant. Liquores vero, qui medicis in oculorum affectibus frequentissimi sunt, tres sunt: primum est album oui dam concutitur & aquæ consistentiam assumit: alterum est muliebri lac: præsertim, vt docuit Rasis, si fuerit mulieris iuuenis & boni habitus, quæ puellam peperit. hoc enim illum voluisse puto: tertium est feminum fœnigræci decoctum diligentissime paratum: nempe prius diligenter abluto semine, vt si quid pulueris vel alterius rei, quæ possit exasperare habeat vel mixtum vel hærens, detrahatur. Sed hoc præterea aduertendum est, quod hac eadem etiã de causa cauti medici ad repellendas fluxiones oculorum potius emplasticis vtantur medicamentis, quàm astringentibus, quia & illa

repellunt, tum quia quoquomodo refrigerantium quia meatus particulæ replent & obstruunt, vt deinde nequeant facile defluentes humores admittere. Sed iam de his medicamentis particulatim agamus, quæ incipienti inflammationi congruentia sunt, sumpto initio à facilioribus. In horum autem medicamentorum vsu & delectu, considerandus est primum morbus, impetusque influentis humoris, eius etiam copia & acris qualitas. Præterea verò & symptomata, præsertim verò dolor. Nam si magnus sit impetus intruentis fluxionis, vt inde sit timenda magna inflammatio, si mala sit materia, vt vel à multitudine facta magna particulæ distentione, vel ab acrimonia, dum mordetur & penetratur oculus, ingens exciteretur dolor, valentioribus res erit tractanda medicamentis: si autem neque multa materia impetum in oculos facere videatur, neque adeo aeris, vt ingens conciteretur dolor, leuioribus & facilioribus, simplicioribusque medicamentis erit agendū. Faciliora verò simplicioraque hæc imprimis sunt, oui album, quo vel solo sæpe principijs ophthalmiæ multos restitisse vidi: eo nempe prius probe agitato & concusso, vt in tenuem & ferè aqueum liquorem dissoluatur, mox verò in oculos instillato, nam multis nominibus potest esse vtile. primum refrigerando

gerando, non tamen ita insigniter, ut lædere possit, vim repellendi habet, postea aliquid emplastici habet, vnde, ut aliàs diximus, repletis, & quasi obturatis illis tenuibus meatibus ipsius particulæ, quibus admittuntur influentia excrementa, fit aliqua repulsio, & illa in primis, quæ magis commoda est oculis, quàm quæ fit per alstringentia, cum non ita exasperet, ut alstringentia: præterea ut hæc quædam ratione, deliniens asperitatem, & obtundens acrimoniam influentium succorum dolorem sedat: Cui accedit, quod dum lentorecuius particeps est, oblinat partes per quas defluunt acres fluxiones, illas perinde munit, ut in dysenterijs pingua, & emplastica medicamenta, quæ intestina ab erosione acrimæ excrementorum defendunt. Quod si videatur inter initia maiori aliqua refrigeratione, & aliquantula item astrictione esse opus, sæpe aquâ rosaceâ intermiscet, quæ cû refrigeret & ipsa, & aliquid astrictionis ex rosâ retineat, & id citra vllam asperitatē, potest adiunare, & vires albo oui addere. Et quamvis decoctum ex aridis rosarum folijs, possit pro aqua venire in vsum, putarem tamen illud non ita futurum cuiuscunq; morsus experire, ut aqua rosacea. In mollioribus itaq; corporibus, ut mulieres & pueri sunt, vidi repressas eiusmodi inflammationes hoc medicam. præfer

tim verò inter initia. Si verò videatur esse a-  
 liqua digestionis opus, furculi plantæ fœnicu-  
 li in frusta resecti dum concuritur, in album  
 oui solent iniici, inde enim aliquam digeren-  
 di facultatem sibi medicamentum comparat.  
 Sæpe etiam inter initia vsus sum rhu. obso-  
 niorum. Arabes verò, & apothecarij vulgo  
 sumach appellant. Vt autem hoc modo ac-  
 cipio vnam aut alteram eius drachmam, ac in  
 albo & raro linteolo deligo, in aquam quæ re-  
 faceam demergo, atque ibi macerari permisto  
 citra vllum morsum vel exasperationem, me-  
 dicamentum hoc refrigerat & astringit, & sub-  
 inde etiam repellit. hoc autem medicamen-  
 tum præsertim mihi in vsu est in dictis vario-  
 lis, ad tuendos oculos puerorum, sunt hæc  
 medicamenta familiaria faciliaque parata.  
 Post hæc autem potest esse vrile decoctum  
 fœnugræci, ea diligentia paratum, quam  
 nos docuit Galenus decimo tertio methodi,  
 nempe vt diligenter per abluionem sordes  
 & omnis puluis detrahatur, moxque ex dul-  
 ci & simpliciter coquatur aqua, vt si quid asperi-  
 tatis vel morsus habuerit, id deponat. Coqui  
 autem solebat ex dulci aqua paulatim & len-  
 to igne, ne dum violentiori igne efferue-  
 scit, inde vim maiorem calefaciendi acquirat,  
 & aliquam subinde acrimoniam. Instilla-  
 tur autem medicamentum in oculos, aut illo  
 oculi

illo oculi obducuntur. Decoctum hoc maiores vires concoquendi priori habet, & aliquas detergendi, quamuis non multas, citra tamen aliquem morsum, sed cum sit alicuius caloris particeps, digerere etiam aliquantum potest, & repellere, perinde vt album oui, ratione nimirum lentoris, cuius non est expers, & proinde etiam emplasticum est. Cum ergo concoquat extergatque & digerat, potest digerendo coquendo & leniendo dolores mitigare. Quare album oui primis inijs accommodatius erit medicamentum: circa incrementum verò fœnigræci decoctum. Possimus autem eius facultatibus addere vel detrahere, si vel aqua mutetur ex qua coquitur semen, vt si pro communi aqua, rosaceum sumimus, minus calefaciet & aliquantum astringet: sin autem aqua fœniculi, magis digeret. Præterea possunt, dum coquitur, addi rhus obsoniorum vt magis repellat, vel germina aut surculi fœniculi inijs, vel semina, vel id genus aliud, nam ita magis digerere poterit. Tertium verò, quod præsertim opportunum est, quando vehementiores dolores urgent, maximè qui ab acri fluxione excitantur, est muliebre lac, si sit calidum ab vbere expressum mulieris iuuenis & boni habitus. nam & aliquid detergentis habet ex feroso humore, cuius semper est particeps, quo



acres delapsas materias abluunt, nec diu permanere permittit. Nam semper locum, in quem decumbunt, vellicant & abradunt, habet etiam partem ex qua conficitur cascus, quæ habet nonnihil emplastici, quo præter id, quod ut sæpe dictum est, potest repellere fluxionem, obliniens etiam emplastica substantia affectam partem, eam munit ab iniuriarum excrementorum fluentium, sed pinguiores etiam partes illi non desunt, ut quales illæ sunt, vnde fit butyrum, quæ coquendi facultate præditæ sunt, & nonnihil digerendi lenitate præterea, quæ illi ex propria sua natura peculiaris est, delinit & demulcet omnium acrimoniam & asperitatem. Est autem tum hæc, tum verò oui album in maiori usu etiam apud vulgares. In acerbioribus autem, & maioribus inflammationibus, vbi egemus ope fortiorum medicamentorum, compositis illis solemus uti, quæ Græcè collyria Arabicè autem sicff appellatur. Et Galenus in initijs fluxionum, quando vehementes assident dolores, dixit collyria illa vim magnam habere, quæ monoemera à medicis dicebantur, quia illa eadem die possint liberare ab hoc morbo, & quæ à colore *زهراني* quasi feculenta dicuntur. alia verò libiana ab illis & cygni ab albo colore, & ipse plures horum collyriorum compositiones descripsit, quarto de

compositione medicamentorum secundum loca. Multas enim Aetius, Paulus, & Alexander Trali. quæ tamen in præsentia nullibi paratæ reperiuntur, neque sunt in usu, & proinde in illis referendis non erimus longiores, cum nullibi ferè in usu in præsentia sint, est verò in usu nostris his temporibus loco eorum quæ cygni dicuntur collyrium Rasis non ad Almansorem descriptum, quod ipse vocabulo Arabico sief aibû appellat. & aliquanto illis quæ Gal. quarto de composit. medicament. secundum loc. referuntur simplicius. Fit autem ex decem partibus cerusæ lotæ, sarcocollæ tribus, vna autem tragacanthæ. In relatis autem à Galeno additur cadmia & amyllum, & gummi, quod nunc Arabicum appellant. unde illa maiorem vim desiccandi & repellendi habent ad vlcera consolidanda. Hoc verò quod Rasis descripsit magis lenire dolores potest, & acrimoniam fluxionis delinire & obtundere, sed & fluxiones repellere, doloremque mitigare. Dupliciter autem illud in præsentia fit, aliquando enim partem mediam opij addunt, quo deinde utuntur, vbi doloris vehemètia cogit, alioquin verò citra opium in usu est. Nec modo hoc medicamento utuntur ad id genus oculorum affectus, verum & in alijs, quando ab acri excremento concitatur. solent enim vti in vesicâ illud iniicere, in vehemènti ardore vrinæ.

Aptum autem est hoc medicamentum præcipuè incipientibus inflammationibus. Nam cum iam videtur esse aliqua concoctione opus, huic aliquid illius collyrij addunt, quod ex croco conficitur, de quo postea suo loco agemus. Galenus verò docet, non solum collyrij quæ instillanda sunt diluta ex aliquo prædictorum liquorum: nempe aut albo oui, aut lacte, aut decocto scænigræci: verum vtiliter posse oculo laboranti adhiberi emplastra apta his affectibus. In libro autem de facile parabilibus medicamentis describit hoc cataplasma, quod accipit ouum nempe album, & luteum, additoque meliloto & pane quantum satis sit ad confectionem cataplasmatum, atque oleo etiam rosaceo, fit emplastrum, quod oculo clauso imponendum & deligandum est. exceptum tamen linteolo vel hapsio lini, vel simili re. nam vim habet dolorem mitigandi ex oleo & ouo & meliloto, ex albo, itidemque ex oleo repellendi, aliquid etiam concoquendi ex meliloto & oui luteo & pane digerendi. Sed iam caput hoc ad calcem deducendum est, si tamen vnum prius monuerimus, quod nos Galenus docuit, & ad rationem versus prædictorum medicamentorum pertinet. Illud verò est, quod vbi dolor non sit admodum vehemens, si bis aut ter illa in oculos instilletur dolori-

ipse satis esse censuit, in vehementiorib. verò dolorib. præterea etiam si dies longiores fuerint, ut æstate sunt, etiam quater, vel quinque. vnde hoc animaduertendum, quod non erat ille ita frequens & importunus in his, sicut sunt in præsentia medici.

*Ad vlcera oculorum.*

*Cap. IX.*

**V**lcera oculorum sicuti multiplices habent occasiones vnde fiant, ita etiam particulatim diuersæ curationis rationi subiecta sunt. Fiunt autem vel ab interna aliqua causa, quia vel ex aliquo rupto abscessu, in quem vel inflammatio, vel alius tumor præter naturam in oculo concitatus defierit, aut ab acri & mordaci fluxione abradente & erodente tunicas oculorum, vel ab externa causa, sicuti si ab aliqua re pungente, incidente, vel dilacerante tunicas harum particularum soluantur. Non solum autem ad causas respiciendum est in curandis vlceribus oculorum, verum & longe magis ad differentias eorum quæ inter se variæ & diuersæ sunt, ipsis vlceribus per se consideratis. Nam aliquando sunt vlcera sola, aliquando verò coniunctas & alias affectiones habent, quæ & ipsæ proprias præter vlcus habent indicationes coniunguntur.

tur autem cum ulcere sæpe inflammatio, aut  
 erysipelas, aut aliqua intemperatura cum ma-  
 teria vel sine ea. interdū & exitus alicuius par-  
 ticulæ oculi, vt in appellato myocephalo vel  
 staphylomate. Sed & vlcus sordidum, virulē-  
 rum, putridum erodēs non sunt simplicia, sed  
 implicitas alias habēt affectiones, vt & priori  
 lib. communi quadā ratione ostendimus, quæ  
 omnes proprias habent indicationes. Sunt  
 præterea & vlcera maligna, & quæ malignita-  
 tis sunt expertia. vt præterea in præsentia, et al-  
 ias differentias quæ vel à partib. oculi sumi  
 possunt. Nam quandoq; corneā, quandoq; al-  
 terā quæ agnata vel coniunctiua dicitur, inter-  
 dum verò & palpebras corripit. Vel à ratione  
 propria vlceris, quia vel magnum vel paruum  
 est, vel profundum, vel non descendit in altū.  
 Nam sicut in communi vlcerum genere conti-  
 netur, ita postea rationi consentaneum est,  
 quod possit etiam esse earum differentiarum  
 particeps, quæ solent communem & genera-  
 lem rationem vlceram sequi. Sed & illud iam  
 potest esse manifestum, quod cum de oculo-  
 rum ulcere sit instituendus sermo, duo in pri-  
 mis sunt spectanda. Primum ea quæ nobis à  
 ratione vlceris, & earum differentiarum quæ  
 vlcera sunt, indicantur, deinde verò illa, quæ  
 natura affectæ partis nobis indicat. Circa illa  
 quæ à communi vlceris ratione nobis indi-  
 cantur,

cantur, non est in præsentia cur multum ver-  
 semur, cum satis superque de illis in tertio li-  
 bro egerimus. Nam neque illud dubium est,  
 quod si vlcus sit ab aliqua causa illatum, siuo  
 illa externa sit, siue interna, quæ aut omni-  
 no, aut maxima ex parte fluxio est, quod pri-  
 mum incumbendum sit, vt causa de medio  
 tollatur, & superius non semel de remedijs  
 fuit actum, quibus fluxio tollitur, præser-  
 tim verò priori capite. Vnde sermonem con-  
 uertemus ad eas indicationes, quas nobis æ-  
 fer ratio cõmunis & vlceris natura, quæ qui-  
 dem indicat particulam per consolidationem  
 esse ad suam pristinam vnitatem restituendã,  
 quod tamen solius est nature opus, sicut et-  
 iam carnem generare, & ea vlcus, si cauum fu-  
 erit, replere. Quamuis & medicus non parum  
 possit naturam adiuuare, dum suis instrumẽ-  
 tis, illi opem magnam ferre potest, nempe qui-  
 busdam remotis, quæ naturam impediunt,  
 quominus illa suo officio fungi possit. Ea-  
 rum verò, quæ nature sunt impedimento, a-  
 liqua suapte quasi natura sequuntur ipsa vl-  
 cera, vt sunt duo illa excrementa, quæ in om-  
 nibus vlceribus subcrefcunt, alterum qui-  
 dem tenue & serosum, quod in causa est,  
 cur omnia vlcera desiccatione egeant, à iu-  
 nioribus autem Medicis virus, vel virulen-  
 tia dicitur, quodque vbi supra communem

nem vlceris rationem excrefcit, efficit eam vlceris differentiam, quæ vlcus virulentum præfertim à iunioribus chirurgis dicitur. Alterũ verò craffum quod fordem appellant, & ab hoc cum nimis in vlcere redundauerit, fit altera differentia, nempe vlcus fordidum. Obi-  
 ffud autem excrementum vlcera egent aliqua deterfione, fed de his 3. libro plenius & planius loquuti fumus. Alia verò vlceris confolidationi impedimento funt, non quia vlcus propria ferè ratione confequitur, fed potius funt à ratione propria vlceris aliena: verũ, aut funt affectiones fimul cum vlcere complicatæ, vt intemperaturæ, inflammationes, aut has fequuntur, vt putredo, erosio, & id genus alia, vel funt caufæ, quæ præfentes adhuc vlcus fouent. Horum autem omnium eadem est methodus generalis in oculis, quæ & in alijs aliarum partium vlceribus, de qua, cum in fuperiori libro quantum fatis effe potefit, loquuti fimus, in præfentia fuperuacaneum videretur in longius proferre fermonem. Particoularim autem quemadmodum in fuperiori capite de inflammatione diximus, ita etiam in curandis his vlceribus, non parua intercedit differentia inter hæc, & alia quatenus ad rationem medicamentorum pertinet, & materiam eligendam, vnde hæc conficienda, quæ differentia perinde hic, vt in curandis inflam-

matio-

mationibus, occasionem habet ab indicatione quæ accipienda est à natura affectæ particulæ, quæ facillimè, & quocumque paruo negotio ab omni acri, & exasperante medicamèto irritata incidit in dolores, & fluxionibus fit obnoxia. Cum itaque ad curanda hæc vice ra deficcantibus medicamentis detergentibus, quæ, & sæpe concoquentibus fit opus, de concoquentibus quidem non est cur multa dicamus, illa enim potius quatenus concoquunt dolores mitigant, deficcantia autem & detergentia illa erunt aptissima instrumenta, imò & astringentia. Nam illis interdum partim ad repellendos influentes humores, partim ad roborandam afflictam particulam, quæ mitiora sunt leuiora quæ, & quæ opus suum facilius, & citra morsum & irritationem possunt præstare. De his ergo primùm agemus, & prius de simplicibus, mox verò de compositis. Inter simplicia multa in rerum mineralium genere sunt in usu, quæ præsertim, si exquisitè fuerint lota, aut nullam habent acrimoniam, nullumque morsum, aut si aliquam habent, illam deponunt. Sunt etiam quædam terræ vel lapides, sunt demùm, quæ Græcè, Latinè verò lachrymæ, ab Arabibus & iunioribus gumme appellantur. E plantis quæ in usu sunt, flores, folia, succi, & semina quædam. Sed anteaquam magis particulatim



de his agamus. quedam in vniuersum expla-  
nanda sunt. Hęc verò sunt quę à Galeno tra-  
merb. tum 4. de comp. med. secund. loc. inter  
initia sumus edocti. & sunt non modò vtilia,  
verùm & necessaria ad perceptionem eorum,  
quę ad rectã medicamentorum cõpositionem  
& intelligentiã pertinent. Hoc itaq; consti-  
tuto, quod paulò antè fuit explanatum: nem-  
pe ea medicamenta congruentissima esse ocu-  
lis laborantibus, quę vel omnino sunt acrimo-  
nie morfusq; expertia, itemq; exasperationis,  
vel saltem quàm minimum illis prædica sint.  
Talia sunt, quę emplastica sunt. Emplastico-  
rum verò duplex est genus, hoc enim ab eodẽ  
Gal. 4. de fac. simp. med. fait literis traditum.  
Alterum quidẽ eorum est, quę substantia con-  
stãt exquisitè terrea siccaq; aliarum tamẽ qua-  
litarum prorsus ferè experte. Alterum verò  
ea continet, quę non prorsus terream & sic-  
cam habent substantiam, sed potius mixtam  
ex terrea & aerea. vnde & quoquo modo glu-  
tinosa, & vt quinto de facultatibus simplici-  
um medicamentorum ille idem testatur, in  
his sunt oleum, oui album, caseosa lactis pars,  
suillus adeps, cera quoque quę experta sit cu-  
iuscunq; amaritudinis, & alia præterea mul-  
ta, quę quisque potest locis citatis legere. In  
priori genere sunt metallica multa. in primis  
verò ponenda est, quę pompholyx à Gręcis dicitur,

citur, vulgò verò tutia, cum exquisitè fuerit  
 lota, nostris autem temporibus aqua rosacea  
 à multis lauari solet. ea in oculorum morbis  
 nulli alteri, vt idem testatur, secunda est. post  
 hanc est spodium item lotum, non illud Ara-  
 bii, sed Græcorū quod minerale est, & à Lati-  
 nis multis cinerula dicitur. deinde cernisa, cad-  
 mia item vsta & probè lota. præterea plum-  
 bum vstum & lotum, sed & cimolea, samius  
 aster, & amyliū, omnia probe lota. In his tamē  
 nonnulla sunt, quæ non sunt prorsus ab om-  
 ni qualitate immunia, quia cadmia particeps  
 est aliquantulæ facultatis extersoriæ, pompho-  
 lyx verò, spodium & plumbum vstum, quæ  
 vis probè lota nullam mordacitatem retine-  
 ant, retinent tamen aliquam astringionem, sed  
 illam admodum exiguam. Quatenus autem  
 ad vsum horum duplicitium generum istorum  
 emplasticorum medicamentorum, atque ad  
 eorum munus, & hoc consideratione dignū  
 est, quod alterum quidem genus, eorum nem-  
 pe, quæ glutinosa quoquo modo sunt, maxi-  
 mē vtile congruensq; illis est, in quibus exp-  
 dit pus mouere. Primum autem illis, vt 4. de  
 compositione medicamentorum secundum  
 locos, videtur Gal. insinuare, aptius & vtilius  
 est, in quibus siccare sit opus. citra vllum mor-  
 sum, vacuareque, quo in primis egent doloro-  
 sa vlcera, dum curantur. Quia tamen non solū

id genus medicamēta, quorum hæctenus meminimus, sunt vlceribus & alijs prauis oculorum affectibus necessaria, sed interdum & detergentibus opus est, imò quandoque & erodentibus, quanuis hæc alioquin sint oculis inimicissima, abstergunt verò atque repurgant vlcera validè ex mineralibus, quæ itē in ocularibus medicamentis recipiuntur, squama æris, flos item æris, chalcitis vsta, misy, sory, stibiumque, quod à iunioribus dicitur antimonium. erodunt autem auripigmentum, sandaracha flosque asizæ petræ. huius autem facultatis non nihil etiam particeps est misy.

Præterea verò cum duplex sit medicamentorum astringentium genus. nam quædam modicè admodum astringunt, in quibus sunt rosarum flores, folia & succus, & ericæ fructus, spica nardi, foliū malabathri, crocus, lycium & hypocistis. alia verò vehementem vim astringendi habent, vt acacia, omphacium, balaustium, cytini, mali punici, gallæ omphacitides. Sed his explanatis, hoc præterea est addendum, quòd ad omnes oculorum affectus imprimis vtilia atque tuta sine vlla particulæ offensa sunt ea medicamenta, quæ emplastica sunt, & in primo emplasticorum genere, quæ sicca & terrea sunt, vt pote quæ moderatè, & citra vllam noxam desiccant & subinde vacuant, atque obsistant fluxioni. Et si hæc præterea

alicu-

alicuius alterius facultatis non sint expertia, ut pompholyx, quæ aliquantum astringit, illam tamen adeo modicam habent, ut nequeant exasperando dolorem aliquem ciere, neque retinere, siquid defluxit ad affectum locum, ne diffluat, sed potius ea ratione utilis est, quod robur particulæ seruat, & fluxionibus resistit. Et hac ratione cætera quoque, quæ modicè astringunt, in oculorum affectibus sunt in frequenti usu. Quæ verò vehementius id agunt dolorem afferunt, exasperata parte, vnde rarò etiam admittuntur in ocularibus medicamentis, & quando admittuntur ex parte id fit, & non nisi cum illis mixta, à quibus deliniatur & mitigetur asperitas. Vnde rarò, nisi in compositione veniunt in usum, immò & ea composita, quæ hæc accipiunt, plerunque dum illis utimur, cum alijs commiscemus, quæ possint reprimere eorum vehementiam. quod bifariam seruari solet, vel admisto multo liquore quo diluendum est medicamentum, ut est oui album, vel aqua rosacea vel lac, vel decoctum fœnugræci, vel addito alio composito medicamento, in quo sit valida vis retundendi vehementiâ illius medicamenti, & quod de his diximus, illis etiam commune est, quæ vehementer detergunt, quæque vim etiam habent erodendi. Sed quædam etiam de concoquentibus dicemus, ac statim ad composita

P P



medicamenta particulatim explicanda accedimus. Concoquentia ergo medicamenta, ex multis quidem selecta, utpote quæ præsertim congruentia sunt, quando concoctione opus est: sicut etiâ sæpe opus est, sunt hæc. myrrha, crocus, thus, castoræ, succus fœnigræci. quavis multa ex his, ut mirrha, vim etiam discutienti habeant: sed alia calidiora sunt, alia minus calida, sicuti diuersa est etiâ affectuum ratio. Medicamenta itaq; composita reperiuntur ab antiquis descripta ferè innumera. quæ volumus nos in præsentia explanare. nimis enim longa esset hæc oratio, sed ea tantum prosequemur quæ in præsentia in vñ sunt frequentiora, & plerisque in locis reperiuntur, nam istis probè perceptis alia etiam quorum hic non est facta mentio, si cum istis quæ hoc loco fuere explanata differant, facile poterunt percipi. Primū ergo agamus de collyrio quod diximus si es album avari fuisse nuncupatum, cuius ipse meminit præsertim ad curandas inflammationes oculorum, & eius etiam facta est priori capite aliqua mentio. Nam in vlcere oculorum quando sunt cum vehemēti dolore, neq; omnino sunt experta inflammationis, suntq; à calida & acri fluxione excitata, præsertim verò inter initia à commo dari vtiliter potest hoc collyrium, utpote quod potest desiccare sine aliquo morfu, quod maximè vlcibus necessarium, refrigeratq; & aliquam ha

bet astringentem, & tum his facultatibus, tum  
 uero quia emplasticum est medicamentum,  
 repellit & resistit fluentib. succis acrioribus,  
 & leuem aliquem facilemq; digestionem ha-  
 bet, unde his ferè omnib. nominibus, dolori-  
 bus remedio esse potest, & longè etiam magis  
 ex admixto opio. Hæc uero omnia facile, si ea  
 ex quibus componitur extimare uoluerimus,  
 percipere poterimus, nam cerusa lota, & em-  
 plastica est, & aliquam non admodum obscu-  
 ram habet vim astringedi, neq; tamen exaspe-  
 rat & desiccatur molestè, refrigeratq; sarcocol-  
 la uero & ipsa est in emplasticis medicamētis,  
 & longè magis si maceretur in lacte sit cuius-  
 cunque mordacitatis expers, & non desiccatur,  
 non caret præterea digerendi facultate. Cum  
 enim alicuius amaritudinis sit particeps, ha-  
 bet aliquas partes calidas: unde etiam aliquid  
 concoctorij habet, tragacantha uero & ipsa ali-  
 quantisper siccatur emplasticaq; est, & adeo ci-  
 tra morsum agit, ut possit ea quæ exasperata  
 sunt leuigare, & acrimoniam obtundere, &  
 quanuis in impressis Rasis exemplaribus nõ  
 adsit amyllum, Mesue tamen de ophthalmia  
 agens, referens hoc medicamentum, ac illud  
 Rasi ascribens, meminit & amyli: quod & ip-  
 sum emplasticum est, & citra ullũ morsum sic-  
 cat. De opio aut non est quod multa dicã, nul-  
 li enim non est notũ, quod stuporẽ inducit, & ad

existendū dolori admittitur in medicamētis.  
 Quo loco & illud aduertendū est, quod quan-  
 uis opium facultatib. tum ferè omnibus, tum  
 vel maximè sensib. contrariū sit, vtpote quod  
 stuporem afferat iillarum facultatum instru-  
 mētis, si tamen diligenter obseruare volueri-  
 mus ocularia medicamēta, quę à celebriorib.  
 medicis descripta hætenus seruantur, videbi-  
 mus in illis esse frequentissimum vsum opij.  
 Hoc aut̄ fuisse institutum puto propter eximi-  
 um istius particulę sensum, & vehementes do-  
 lores, quibus, cū male afficitur, solet cruciari.  
 Sed & hoc nō viderur prætermittendū, quod  
 plurima, vt diximus reperiuntur alba collyria  
 in libris Gal. Pauli & Aetij, quæ ab illis cygni  
 dicuntur, item & apud Arabes, hoc tamen ali-  
 quātulum est simplicius, & in itijs primis ma-  
 gis accommodatum. nā multis illorum addi-  
 tur cadmia, & gūmi, quod vulgò Arabicū ap-  
 pellat. cadmia aut̄ vsta quidem, et lota nonni-  
 hil deterioriæ facultatis habet, & ideo potius  
 illis congruens erit, cum iam præterierit prin-  
 cipium, deseritq; inflammatio, atq; remissior  
 sit factus dolor. Postea aut̄ describemus colly-  
 rium ex thure confectum, quod idem Ras. sief  
 de thure appellat, vimq; & ipsum desiccandi  
 citra vllum morsum habet. sed maiorē conco-  
 quendi & aliquam præterea, leuem tamen a-  
 stringendi, & tantillū digerendi. eius cōfectio  
 in hunc

in hunc modum se habet. Accipit ammoniaci, sarcocollæ singul. partes 5, thuris partes 10, croci partes 2. omnia ex muscilagine fœnigræci assumpta in collyriorum formam rediguntur. Thus itaq; vt ab eo incipiamus, quod alia superat copia, quodq; medicamento nomen dedit, in primis vim concoquendi habet, aliquam etiã non tamen multã astringendi, aliquantulum etiam desiccet. non nihil præterea digerit & detergit, sarcocolla verò & ipsa medicamentũ concoctorium & discussorium est quod præterea, & citra morsum desiccare possit, & cū empiastica substantia constet, potest & fluxionib. obsistere, ammoniacum aut molli insigniter, & digerit, ad vicera etiã maligna vile est medicamentum. hæc omnia docuit Gal. crocum verò concoquendi facultate est præditũ cum aliqua tamẽ astrictione. consimilis quoq; facultatis est decoctum, vel muscila go fœnigræci. Quare omnia in vnã summam colligendo, medicamentũ hoc in primis quidẽ concoquere potest crudos & superuacuos humores in oculis, eosq; digerendo & desiccando absumere, atq; influentib. aliquantulũ obsistere roburq; particulæ addere. Commodum ergo erit, inclinantib. dolore & inflammatione in vlcerato oculo, magis quàm inter initia. Tertium medicamentum vlceribus commodum, quod & ipsum his temporib. in vsu est,



multis in locis paratum reperitur, est ab eodē Rasi depromptum, quo etiam sæpius & foelicitèr vsus sum, appellatur de plumbo, efficaciq; medicamentū ad siccanda & detergenda vlcera etiam difficilia, & ea carne replenda & consolidanda. vtile aut non ita in principio neq; incremēto, dū dolor, & fluxio vrget. & in hūc modum conficitur. Accipit plumbi vsti & loti. ita. n. medici vtuntur præsertim in oculorū affectibus. nā dum vritur ex igne aliquē contrahit calorem, vnde mordere potest, sed in vniuersū ex lotionē detrahitur. sicut bij, vel vt nūc dici solet, antimonij. & si Gal. fides sit adhibēda, & hoc medicamentum commodius erit, si vratur & lauetur. nam illorū forteira. ait ille, astrictiōnem ostendit, quæ per loturā adeo exoluitur, vt ferè ad ordinē eorum accedat, quæ citra mordacitatē agunt. desiccant tamen, & sic etiā non est astrictiōnis expers. pompholygis vel vt vulgò solet appellari, thutæ iridē lotæ, nam & ipsa hoc modo absq; vllō morfu siccant, habet præterea vim emplasticā cum aliquantula astrictiōne, & hæc omnia vlcereb. vel etiā malignis optima sunt. eris vsti, vehementē ait idem Gal. absterforiā vim habet hoc medicamentū, & mordax est insigniter, quod & ipsū si lauetur, multū et mordacitatis & absterforiōis detrahitur. non tamen tollitur, quin adhuc & detergat, & aliquantisper mordeat. gum. mitra  
gacanti

gacanti hæc ad deliniendam & mitigandam  
 mordacitatem aliorum præsertim verò vft: e-  
 ris, adijciuntur, quæ quanuis plurimū ex locu-  
 ra remittatur, adeo tamen facilis est oculi, ex  
 quacunq; leui occasione irritatio, vt nunq̄ sa-  
 tis esse factū videatur, singulorum aut horum  
 accipiuntur partes 8. quibus additur opij me-  
 dia pars, atq; omnia simul mixta optimè terū-  
 tur, tenuissimōq; cribro excussa, a persa aqua  
 pluvia assumuntur, & inde conficitur collyri-  
 um. Medicamentum hoc reuocat vlcera deter-  
 gitq; satis insigniter cū oculis collatū, aliquid  
 etiam habet astringentis, vnde ad replenda vl-  
 cera & consolidanda, licet difficilia, & non ex-  
 pertia alicuius malignitatis sint, admodū effi-  
 cax est. Postremo autem Ras. dum docet cura  
 re vlcera oculorū, eius etiā collyrij meminit,  
 quod ipse elisir vocat, et valens admodū medi-  
 camentum ad ea vlcera curanda, quæ profun-  
 da adeo sunt, vt vel iā prociderit extra interi-  
 or tunica, quā rhagoïda Græci, iuniores nucā  
 appellant, vel saltem periculum est, ne proci-  
 dat. in his autem præter alias, hæc etiam indi-  
 catio vim multā habet, vt aut resistatur, ne-  
 rumpat illa tunica, aut si iam ex parte procide-  
 rit, procuramus, ne vlcus magis dilatetur, sed  
 potius astringatur, vt interius hoc modo reuo-  
 cetur, hoc autem præsertim astringitione fie-  
 ri potest, vnde fortiora in eo accipiuntur a-

astringentia, quam in alijs. Componitur autem acceptis stibij seu antimonij loti & prius vsti, lapidis hæmatitis, singulorum ʒ. x. acaciæ ʒ. iij. aloes ʒ. j. ex his exquisitè tritis & leuigatis fit collyrium, perinde vt superius, nullū horum ex quibus conficitur non astringit, de stibio enim satis diximus. acaciam aut & aloem astringere nemini non est notum. hæmatites autem lapis adeo resiccat, vt vel solus possit vti cetera ad cicatricem, præsertim verò oculorum perducere. vt hac etiam ratione contrahere quoquomodo laxiores partes possit. est tamē & ipse non expers alstrictionis. eam tamen nō habet insignem. quare hoc medicamentum, si Galeni doctrinam scilicet traditam nobis 4. de com. med. secund. loc. sequamur, aptissimum erit illis oculorum vlcibus, in quibus interior tunica, erosa cornea, solet se exercere. & quia de his quatenus posse satis esse nostro huic instituto arbitror hactenus egimus, opportunū erit vt ad alia transeamus.

*De medicamentis quibus macule in oculis ex arte tolluntur, ac de eorum usu.*

Cap. X.

**V**ariæ sunt maculæ quæ in oculis appa-  
rētes partium aspectu turpes sunt, par-  
tim verò oculo in videndo officiant. è  
quarum

quarum numero est quæ à Græcis *ἀλβύμα*  
 dicitur, albugo autem à Latinis, ab aliquibus  
 verò nebula. Est autem cicatrix ex ulcere cor-  
 neæ ad consolidationem perducto, sicut enim  
 cicatrices aliorum ulcerum in alijs locis den-  
 siores & duriores evadunt, & ferè callosæ: ita  
 etiam ulceribus corneæ accidit, & quemad-  
 modum omnia corpora diaphana, cum den-  
 sata terminantur, alba fiunt: ita ob cicatricem  
 accidit corneæ ut ex cicatrice, veluti obducto  
 callo condensata, ac quasi terminata eius per-  
 spicuitate, locus albescat. Nō ab similibus etiam  
 interdum macula oculos obtenebrat. nam &  
 ipsa fit censeore reddita cornea, sed alia ratio-  
 ne, nam hæc non ex crassitudine & densitate  
 ob cicatricem ortum habet: sed potius ex in-  
 farctu crassiorum humorum in ipsam tunicā.  
 Solet autem macula hæc, & veluti albugo vel  
 nebula sequi fluxiones ad oculum calidiorū  
 quidem & tenuiorum humorum à principio  
 ex quibus fiunt ophthalmiæ, & oculorum cō-  
 turbationes, qui affectus *τάραξις* Græcè dici-  
 tur. est autem quando rubent oculi, præcipuè  
 verò adnata & alba eius tunica venæque ma-  
 nifestiores & rubicundiores apparent. qui af-  
 fectus levis est ophthalmia, vel potius initium  
 quoddam ophthalmiæ. Solent autem in ocu-  
 li inflammationib. perinde, sicut in alijs quo-  
 que inflammationibus euenire, quæ per dige

tionē terminatur: prius enim calidiores quæ influxerunt partes digestæ euanescent, crassiores verò, quæ & frigidiores, & quasi feculentæ sunt, remanent, vt quæ difficiliores sint ad digestionem, vnde post digestas inflammationes, reliquæ quædam remanent duræ & solidiores. Et proinde omnes antiqui medici docent, quod curatio inflammationis circa finem eadem est quæ & scirrhi: ita etiã in oculis fit sæpe, vt ex reliquijs his cornea crassescat & albeſcat, acies quæ oculi obtenebretur & ofuscetur. Tertia verò macula, quæ in oculis oriri interdum solet, fit ex aliqua contusione, perinde vt in alijs partibus dum contunduntur, nam dilaceratis præ contusione minutis, & inconspicuis venulis, sanguis quasi expressus exit in circūstantes partes, qui paulò post in grumum versus, nigrescit, ita enim sunt vibices & sugillationes. Hæ itaque maculæ aliquando curationis sunt capaces: interdum verò nequaquam. cicatrices enim aliquando ferè delentur, vt pote quando non admodum crassæ sint, quales illæ quæ sequuntur curata vlcera, quæ non admodum profunda fuerint, sed tantū in summa membrana, & in puerili ætate. alioquin enim in adultis quæque crassiores sunt, curationis non sunt capaces. Sed & albugines, quæ sunt reliquię præcedentis inflammationis, si crassæ admodum & indu-

Indurate inueterateque sint, non curantur, aut ægrè admodum curationem admittunt, tertie verò macule frequentius curari solent. Quatenus ergo ad indicationes pertinet, que nobis rationem & methodum curationis demonstrant: illæ eodem in vniuersum sunt, que in similibus affectionibus in alijs partibus contingere solent. nã cicatrices quia densiores & crassiores iusto sunt, detergentibus, & quoquo modo attenuantibus quasi atterendæ sunt. aliæ verò macule, que ab infarctâ materia, digerentibus & attenuantibus & illis etiam quæ detergent quæque molliunt. In eligenda autem materia medicinali, vnde sint componenda medicamenta, quibus hæc sunt peragenda, semper eadem in memoriam reuocanda, que & in superioribus capitibus fuere proposita, nepe spectandam esse naturâ affectæ particulæ, que facilimè à validis medicamentis irritatur, & ad inflammationem perducitur. ideoq; si acriorib. oporteat vti, sicuti sæpe acriora sunt necessaria, illis modestè vti oportet: & mistis cum alijs, quorum mistura possit acrimonia deliniri: cæteræ verò macule, que ex infarctis humoribus & crassis habere ortum, digerentibus & attenuantibus egent medicamentis, & quandoque, qui ex alto attrahunt: Sed magis particulatim de his agamus, primūq; de illis, que vim habet attenuã-

di & digerendi materiam tunicis oculorum impactam, aliquantulum etiam detergendi, & à facilioribus lenioribusque exordium sumemus. Facillimum quidem medicamentum & quod in tenuioribus corporibus, ut sunt puerorum, plurimum profuisse sæpius animaduerti, est zacharum quod candum, vel candidum vulgo adpellant, præsertim rosaceum, tritum adeo, ut in pollinem transeat, oculisque specillo inspersum. Hoc etiam mihi visum est facile medicamentum, non parum tamen efficax, sicut & viridia germina fœniculi, aut eius semen, quo ita uti solemus. Procuramus, ut aliquis puer aut adolescens, siue masculus sit seu fœmella, mastice prius fœniculum, & semen sanè vires maiores habet, deinde verò per aliquos dies exufflet in oculum. vapor enim ex fœniculo cum aere ad oculum insufflando allitus, ipsum feriens penetrat interius, atque ita magis afficit, vim autem habet attenuandi & discutiendi, deinde verò efficacius erit medicamentum, si post mansum fœniculum oculus delingatur summa lingua, ad quod munus aptior erit puer, ut diximus, aut adolescens, quàm senex. nam præter fœniculi vires in madendo, contrahitur aliquanrula vis coctoria, ut enim medici testantur, triticum masticatum magis maturat tubercula quàm contusum. præterea & saliuæ quæ inter mandendum

dendum immiscetur, vim aliquam attenuandi habet digerendique & detergendi. est enim alicuius saliedinis particeps. potest etiam hoc idem fieri manfis alijs quæ oculis familiaria sunt, & digerendi attenuandique facultatem habet, vt ruta, chelidonia, verbena, vel aliqua id genus alia, & hæc etiam vtilia sunt ad attendas albas cicatrices: præsertim in mollioribus corporibus, vt puerorum. nam in alijs magis detergentibus sæpe est opus. Valentius medicamentis omnibus his est id, quod à Iohanne Mesue literis commissam est capite de albugine oculorum. maiorem enim vim detergendi habet, attenuandique & digerendi &, si opus etiam fuerit, è profundo infarctas materias attrahendi. Cuius confectio est, acceptis zacharo, alcyonio, quod spumam maris ipse appellat, sarcocolla pari singulorū pondere. ex quibus optime tritis & leuigatis, fit puluis subtilissimus, qui sæpius oculis inspergendus est. eo sæpe vsus sum, & felici sanè successu, si medicamentum existimare voluerimus vim habet detergendi & digerendi, & materiam impactam vel etiam ex profundo extrahendi. nam zacharum detergit, & nos zacharo solemus vti, quod candum vulgo appellatur, præsertim verò rosaceo, nam rosa oculum roborat, illique familiare medicamentum est. alcyonium verò acre aliquantisper est te-



nuium partium, vnde attenuat, digerit, detegitque præterea, & è profundo attrahit, de faccocolla autem non est cur amplius dicamus, cum superius sit de illa habitus sermo. sæpe vero pulueres. hos succo fœniculi assumptos in collyriorum formam, & compagem deducimus, aut ex aqua ex dẽstillatione mellis, possemus & aliorum multorum in præsentia meminisse, quæ pertinere huic instituto possent, quæque & valentiora essent, vt illa sunt, quæ ex felibus cõficiuntur, & quæcunque alia ab auctõribus describuntur ad discutien- das suffusiones saltem incipientes. Nos tamen in hære his faciliõribus cõtenti esse nouimus, nam illa passim descripta reperiuntur, quæ poterit nunc quisque methodum à nobis expositam insequens, examinare, & in suum ordinem redigere. Ne ergo nimis in longum nostra prouehatur oratio, hic finem huic capiti imponamus, hoc tantum præfati, quod de medicamentis, quæ priores medici ad curandas suffusiones laudarunt, nolamus magis particulatim aliquem alioquin sermonem habere: quia vt videtur etiam Gal. 4. de comp. medicamen. secundum loca inuuisse ea multa quidem in inscriptionibus pollicentur: sed cum ad opus deinde accedimus & ad ipsam experientiam, vel parum admodum, vel potius nihil præstant. neque enim meminisse me vnquam vi-

disse aliquem, qui cum iam discerni in oculis  
cœpit, medicorum ope curari potuerit. quare  
iam aliud caput aggrediamur.

*De ratione componendorum medicamentorum  
quorum usu curanda sunt affectiones partium  
circumstantium oculis, primumq; palpe-  
brarum & angulorum.*

Caput XI.

**A**ffectus partium, quæ oculos circumdant  
& continēt, nempe palpebrarū cū his  
quæ ad ipsas pertinent, cilijs & superci-  
lijs, atq; earum angulis, quos *καυτῆς* appellant  
Græci: hirquos verò Latini, varij & diuersi  
sunt, pro ratione qua multipliciter harū par-  
tium actiones lædi possunt. nam palpebræ pri-  
mum, quæ à natura donatæ sunt, vt arbitrario  
motu moueantur, vt ad animalis libitū aperi-  
ri & claudi possint ministerio neruorum, &  
museulorum, & hac ratione resolutioni & cō-  
uulsioni possunt esse obnoxie, & si resoluantur,  
cadunt, præsertim verò superior, vt neq;  
alioquin attolli possit, vnde semper oculus  
clausus est: sin autem conuellatur, ea ad supe-  
riora attracta, oculus nequit claudi, & is affe-  
ctus *καγός* & *σαλωσ* à Græcis quasi leporis oculus  
dicitur, quamuis & id cōtingere possit ex  
aliqua duriori & maiori cicatrice q̄ in palpe-

bra collocauerit, sed cum resolutione vel conuulsione palpebræ laborant, hi affectus sub communi ratione conuulsionis & resolutionis continentur. vnde eorum etiam curatio sub communi resolutionis & conuulsionis curatione continetur, & proinde de medicamentis componendis, quæ huc spectant, atq; subinde de eorum vsu, nullû alioquin sermonem particulatim hoc loco, ne nimis longi simus, habituri sumus. Sed propria quadam & peculiari alia præterea ratione possunt se malè habere palpebræ: vnde ministerium, quod oculis debent, vitari potest. nimirum enim ex interna parte, quæ oculos respicit & attingit, quæque & leuis & mollis est, interdum possunt fieri asperiores, atque ita dum frequenter & velociter mouentur, asperitate hanc exitiam oculi tunicam super qua mouentur, abradendo & exasperando irritant, illique non parum molestiæ facessunt, & sæpe dolores & inflammationes concitant. Græcè autem dicitur is affectus *ασπρημα*, Latine asperitudo palpebrarum, cuius tres reperiuntur differentie, quarum facta est ab antiquis mentio. quæ tamen solum magnitudine videtur differre, in prima enim palpebræ inuertuntur densiores omnino factæ, & inæquales, & hæc *δυσκίνητος* hoc est densitas, vt Aetius tradit, appellari à medicis consuevit. Aliquando verò crescit, maior-

maiorque & deterior fit is affectus, vt non modo inuerfa palpebra densior & asperior fit red dita, verum & eius planities videatur quibusdam quasi incisuris intersecta. & hæc proprie *παρότης*, hoc est aspredo vel asperitas palpebrarum nuncupatur. huius verò est & alter modus. nam in interna palpebræ planitie sub crescunt quandoque papulæ quædam similes ferè granis milij. & hæc quidem omnes differentię ortum habent à fluxione humorum acrimoniæ expertium. alioquin enim eroderent palpebras & oculum. Postrema autem aspritudinum differentia dicitur Græce *σύνωσις* quasi ficosum affectum dicas. in ea enim succrescunt papulæ etiam sed apertæ, & quasi incisæ, vt similes videantur hianti ficui, è quibus incisuris humor quidam emanat, vnde oculi semper sunt humecti. Sed si eiusmodi affectiones inueterascunt, callum contrahunt, atque tunc *τύλωσις* dicitur, hoc est, vt ita dicam, callositas vel callosus affectus. sed & interdum inuertuntur palpebræ ita, vt earum eatenus vitiatur figura. Græcè verò *ἐκπέσις* à palpebrarum inuersione dicitur, cuius duplex potest esse causa, nam vel caro subcrescens ex earum vlcere, vel crassior & durior et carix vlceri inducta atque illam quasi attrahens, est inuersionis causa. Ex fluxione etiam acrium & mordacium humorum vlcerantur,

Palpebræ interdum: præsertim circa angulos intumescuntque, & rubent non sine insigni pruritu, quem affectum *ψωροφαλμα* dicunt. Latini verò scabrosas palpebras. à nitrosa salsaq; fluxione fit hæc affectio, vnde & oculi illacrymantur. Sunt etiã palpebræ varijs obnoxie tumorã differentijs, & præter communia illa genera, quæ alias particulas apprehendere solent, has etiam peculiare & proprias habent. & primus quidem tumor qui frequens in palpebris solet oriri, Græcè *χρῖβη*, hoc est, hordeum à similitudine grani hordei dictus est, qui vulgo etiam hordeolum dicitur, cum enim suppuratur, imitatur colore & figura hordeaceum granum. Est & alter tumor, qui in palpebris successit, *εμψόσημα* à Græcis dicitur, quasi inflatio, & est œdema proprie palpebrarum eiusdem omnino generis cum œdematibus aliarum partium, & eodem modo cum illis curandus, & proinde neque de illo longiorem sermonem habebimus. Tertius verò tumor est, qui *χαράζιον* dicitur, in interiori palpebra extuberans, qui dum illa inuertitur, apparet albus & transparentis admodum grani grandinis, à cuius etiam similitudine nomé sortitus est: *χαράζα* enim grando dicitur. fit autem ab humore pituitoso eo fluente, & ibi concrecente. emanat autem ex eo, si incidatur liquor quidam lentus similis albo

albo oui. postremus dicitur *λιθιασις* à lapide, cui substantia similis est. Oriuntur tumores quidam tophosi in palpebra interna, qui illâ asperiorē reddunt. Sunt præterea obnoxia palpebræ tumorib. illis qui melicerides, athe romata, & steatomata à Græcis appellantur, ab Arabib. autem & nostris iuniorib. vna communi nuncupatione omnes nodi dicuntur, qui que cum & cōmunes sint affectus, alijs etiam partib. & eandē cum illis curationem habeant, de qua priori libro abunde locuti sumus, ideo ab eorum tractatione in præsentia nos continebimus. Obnoxia præterea peculiarib. quibuscūq; affectib. sunt palpebræ ratione ciliorum, quæ instituto naturæ, non sine multa eius prouidentia in illis ortū habent. interdum enim ab illis destituuntur, quod bifariam fieri potest, nā aut perinde, vt in arcis, confluentib. vitiosis humorib. ad palpebras, ciliorum radices viriantur, eroduntur, atque ita decidunt, & is affectus *μαδύρωσις* à Græcis fuit nuncupatus. Interdum verò huic accedit callosa in palpebris duricies, & densitas cum earum rubore, quæ affectio *πιλωσις* dicitur. Sed interdum aliquis ciliorum pilus, mutato ordine à naturæ instituto, conuertitur vel inflectitur interius versus oculum, atque illum lacesens & pungens irritat & illi plurimum molestus est. quam affectionē *περλασίωσις*

appellarunt Græci. Demum autem potest & alter exurgere in palpebris affectus, qui nunquam potest ex se ortum habere, verum semper sequitur alterum affectum, nempe vlcera: plerunque autem ex incuria medici, aut ministrorum habet occasionem. vlceratę etenim palpebrę, si quando diutius clausę detineantur, vel per somnũ vel quia oculum, diu deligatum teneamus, aut illę mutuõ inter se, aut cũ subiectis particulis coalescunt, nempe cum oculorum membranis vel tunicis, vt non facile postea diduci & separari possint: vt nunc & id prætereamus, in præsentia, quod cilia interdum perinde vt capilli obnoxij sunt *φθκε.ά* *οφθ.*, hoc est, pediculari morbo, annascentibus illis animalculis radicibus ciliorum. Hirqui etiam seu anguli oculorum, suos habent proprios affectus à quibus infestantur. Nam cum à natura sit genita quędam in illis caruncula propter multas commoditates, quas anatomici referunt, ab hac primum solent lacrymę effluere. vnde has præsertim factas fuisse aiunt, vt quasi operculum sint illis foraminibus, qui in angulis percipiuntur, quibus etiam pertusum est os narium vsque ad internum meatum quod à natura factum est, vt multorum excrementorum, quę generantur ab oculis, fiat excretio per eas partes, & caruncula illa illi foramini quasi operculum as-  
sudet.

fidet, quæ interdum adeò excrefcit, vt & tur-  
 pitudinem oculo afferat, & non parvâ etiam  
 incommoditatem: crefcit verò perinde, vt in  
 vlceribus folet fupervacua caro, ex nimia hu-  
 miditate, confluyente enim nimio humore ad  
 oculum, fit hæc accretio iftius carunculæ, &  
 affectus is: *πτερυγίς* à Græcis dicitur. interdum  
 verò & contrâ fit: vt pote quoniam decrefcit  
 & abfumitur hæc eadem caruncula, qua defi-  
 ciente, in ea parte ex congefco multo excre-  
 mentofo humore lacrymæ continenter ferè  
 fluunt, quod turpe, & incommodum non pa-  
 rum eft. atque *πίσας* Græce dicitur is affectus,  
 qui ortum habet quandoque ex immodico  
 & importuno vſumedicameorum detergen-  
 tium & digerentium, quorum tamen vſus ne-  
 ceſſarius eft in curatione affectuum aliquorū  
 tum oculi, tum aliarum partium oculis atti-  
 nentium. Quandoque verò ex aliqua chirur-  
 gia incommoda, quam moliantur incircum-  
 ſpecti chirurgi, cum pterygium, quod folet in  
 his partibus excrefcere, reſcindere tentant.  
 Eft autem pterygium id, quod Arabes vngu-  
 lam, ſecus quàm Græci conſueverunt appel-  
 lare. & eft quædâ veluti membranofa vel ner-  
 uoſa ſubſtantia, quæ tunicæ vel membranæ,  
 quæ agnata dicitur, aggeneratur accreſcitque  
 quaſi quidam eius exceſſus. Incipit autè eius  
 ortus ab angulis oculorū, præfertim verò &



sæpius à maiori angulo, interdum tamen & à  
 minori. rarò sub ipsis palpebris, sæpe adeo ex-  
 crescit, vt itidem oculi occupet quandoq; pu-  
 pillam eo vsque vt hominem obcæcet At se-  
 quitur is affectus scabritiem palpebrarum,  
 quæ *Ψωροδερμια* nūct pari Græcè diximus,  
 nonnunquam autem fluxionem continuam  
 ad oculos. Demum ex his oculorum angulis  
 concitatur sanguinis immodicum profluuiū,  
 qui tamen affectus in pueris frequentior, ob  
 nimium eam & frequentiore fletum mul-  
 ta earum partium distentione facta, sanguis  
 erumpit. Hi ergo sunt aut omnes aut pleriq;  
 affectus, quibus externæ oculos continentes  
 partes obnoxie esse possunt, de quibus curan-  
 dis per propria medicamenta sermonem in  
 præsentia sumus habituri. Vt tamen in his id  
 ipsum moneamus, quod in alijs monuimus,  
 nempe quod cum omnes propemodum ha-  
 beant ortum ab humorum fluxione, tum hac  
 de causa, tum etiam, quia multorum horū cu-  
 rationem aggredi oportet remedijs & medi-  
 camentis acrioribus & sæpe dolorosis, quæ si  
 corpus & caput quoquomodo plenum re-  
 perierint, possunt fluxiones & inflammatio-  
 nes concitare: necesse est vt plerunque corpo-  
 ris vniuersi, ac deinde capitis vacuatio purga-  
 tiouè præcedat, de qua tamen re particulatim  
 agere non pertinet ad præsens institutum  
 sed

sed tantum de externis & localibus medicamentis, & de eorū compositione & usu, quib, istiusmodi affectus curari à medicis solent, quando curationis sunt capaces. nam aliquādo tales sunt, vt curationē admittere nequeāt. Aliquando verò vniuersam momentum, aut saltem maior curationis pars, potius in manuali opere consistit, quàm in medicamento- rum usu, de quo tamen medico instrumēto agere in præsentī cōmentario ad nos non attinet. Sed vt rem hāc quatenus ad curationem horū affectuū pertinet, non excedēdo tamen instituti nostri fines tandē expediamus, & id quàm breuius poterit fieri, hoc in primis est considerandum vt facile possimus eos scopos inuenire, qui maximè in medicamentorū his malis curandis accommodatorum compositione, usuq; sunt spectandi, quòd horum affectuum alij sunt, quorum vniuersa fere ratio in additione consistit, alij verò in defectu vel detractiōe, vel imminutione partis alicuius quæ ad particulæ integritatem necessaria vel plurimum utilis est. alijs præterea in transmutato naturali temperamento istarum particularum, & id vel cum materia, vel citra materiam, & pro horum diuersa ratione diuersæ etiam insurgunt, & indicatiōes, & scopi. In additione consistunt trachomata vel aspritudines, crux seu hordeolum, chalazia,

item & lithiasis, tephaceus nêpe tumor, præterea qui ab Arabibus iunioribusque nostris nodi dicuntur, & encanthis, pterygiumque, & euerfiones palpebrarû quæ ectropia à Græcis dicuntur. In defectu verò rationem suam habent, madarosis & ptillofis, & quæ à fluentibus continenter ferè lachrymis rheas à Græcis dicitur. in mutatione temperamenti consistunt inflammationes, conuulsiones, & id genus alia. Quæ in additione alicuius rei præter particulæ naturam consistunt, nobis indicant id quod superuacaneum est, detrahendû esse. vnde statim is scopus insurgit absumendâ & detrahendû quicquid superuacui additû est. sed hoc fieri duplici ratione potest, nam aut manuum operatione, aut ope medicamentorum. & si hæc à nobis rectè sunt estimanda, hoc aduertendum, quòd cum affectus hi recentiores & molliores sunt, possunt medicamentis quidem satis etiam moderatis non multo etiam negotio tolli. At verò cum inueterascunt & indurantur, difficilior est eorum curatio, & interdum etiam nullam curationem admittunt: immo ex illis nonnulla sunt, quæ à curatione irritentur, & adeò naturæ malignæ sunt, vt in prauos affectus & longè deteriores transeant. plerique verò non nisi aut per chirurgiam, aut acrib. & exedètib. medicamentis. His aut & id accedit cõsiderandum

dum quod quamuis hi affectus tam ex propria eorum natura, quàm ratione particularū quæ primū affecte sunt, non videantur multum esse momenti: si cum illis conferantur, qui primum oculis attinent, cum neque tantæ dignitatis, neque ita exquisiti sint sensus, sicut oculi, paulò tamen minorem cautionem, & respectum requirunt quàm ipsimet oculi si non propter se, saltē propter oculos, utpote quoniam vix fieri potest, imo fieri nequit, ut si sit opus uti acriorib. medicamentis ut quod superuacuum tollatur in his particulis, quin & oculi ab illis irritentur, cum nemo possit vlla ratione cauere, quin in oculum affusa, vel adhibita medicamenta non illabantur. & proinde medicorum multi & illi quidem præstantes eo deuenerē, ut varijs potius instrumentis chirurgicam potius quàm medicamentariam medicinæ partem spectantia vterentur, ut detraherent, siquid his particulis accrescens emineat. Nam, ut ab asperitudinibus palpebrarum incipiamus, antiquorum aliqui solebant inuersis palpebris, quod summis digitis faciebant, concauo specilli deradere eminentes asperitates, mox verò humorem qui inde emanabat, molli spongia exceptum exiccare, atq; in hunc modum nitebantur particulam ad leuitatem & æqualitatem reducere. nonnulli autem quodam marinorum piscium corio v-

tantur, squiritæ credo, quod asperius est in summa cuticula perinde ferè vt lima. illa. n. de tergant & fricant in uersas palpebras, atq; ita asperitates detrahunt & æquant. Fuère quidam ex præceptoribus. Gal. qui quoddam aridum collyrium confecere, quo vtebantur ad palpebrarum aspritudines, & erat cōmodum & satis generosum medicamentum. conficiebant aut ex pumice exquisitissime attrita et leuigata, vt omnino puluis euaderet expers cuiuscunq; asperitatis, & vt lenior redderetur, addebant aliquid aut gummi, aut tragacathæ. sed quia hoc iam ad medicamenta pertinet, hoc est in primis aduertendum, quod in his effectib; quia fluxione ortum habet, & ea quidem acri, primus & princeps scopus, vt sepe diximus, est, fluxionem antea sistere: id aut vacuatione reuulsioneq; vt superius fuit expostum. Itemq; collyrijs huic officio aptis, de quibus satis abunde in præcedentibus fuit actū. Deinde & illud considerandum, quod cū simplices sunt hi affectus, non admodum difficile est rationem inire eos curandi, quia simplex est etiam curatio. postq̄ enim fluxio constitit, incipiet medicus, vel quando etiam consistere incipit, ex illis vti collyrijs quorum talis sit facultas, qualem nobis scopus demonstrat, quare indicatio deprōpta à natura illius affectus obtulit, donec integrè sit sanitas parti affectæ

fectæ restituta. Sin autē sit aliquis plurimum affectuum complexus, non est ita facile, cum sepe dum alterum volumus accommodatis curare remedijs, alterum magis irritamus, exacerbamusq̄. Quod vt exemplis clarius reddamus, ponamus, quod simul sint aspritudo palpebrarū, & ophthalmia. difficile admodum erit instituere eam curandi rationem, qua vtriusq; præsertim inter initia inflammationis conferre possumus, cum diuersa admodum & pene contraria remedia exigāt, ita etiam si sit complexus aspritudinis, & vlcis in tunicis oculorum. nam aspritudo detergentib. & digerentibus curanda esset statim à principio. Quæ verò detergent si vim aliquam vel etiam mediocrem habeant, & vlcera aurent & dolore in ipsis concitant, inflammationes etiam inter initia exacerbant, quæ repellentia potius requirunt, neq; etiam quæcunq; sed quæ tum refrigerant, tū verò quæ, vt superius diximus, emplastica sunt, quibus detergentia aduersaria sunt. Sed quia nimis esset longum, & tedio afficiemus lectores, si omnes complexus vellelemus exponere, hi qui propositi sunt tanquam exempla sunt accipienda, & descripta communi methodo, quia tractandi sunt in his complicationib diuersi hi affectus: particulim de ratioe curandi vnūquemq; proposito rum affectuū agemus. Cōmunis itaq; metho-

dus, quantum in lib. meth. Galenus in vniuersum, tum verò magis particulatim, nèpe quatenus ad curandos hos istius particulæ affectus pertinet, in quarto de compositione medicament. secundum locos explicauit: ista est vt expendamus primũ, quis eorum affectuũ, qui in vnum conuenere, maioris negotij & momenti sit, illique prius, & magis incumbamus; ita tamẽ vt quanto minus fieri poterit, alteri officiamus. Vt causa exempli, in his iam propositis, longe magis vrget tam inflammatio, quàm vlcus, quam vrgeat asperitas palpebrarum, quia si inflammatio minoris fieret, posset in abscessum desinere, quo deinde rupto, si aliquanto esset insignis, non modò efflueret pus, sed humores quoque proprii, ex quibus coagmentata est substantia oculi, & id ipsum etiam euenire posset, si neglectum vlcus profundius, per insigniter detergentia fieret. Vnde longe præstaret, vt vlceris, vel inflammationis curationem statim aggredere-mur, aut omnino postposita curatione aspre-dinis, aut maxima ex parte, statim inter ini-tia, nisi interdum si in vniuersis leniter palpe-bris, velimus aliquo collyrio, non quidem flu-ido, illas fricare, sed potius solidiori, vt illud est, quod ex tritis leuigatisque pumice, osseque sepiæ addito tragacantho vel gummi aqua dis-solutis conficitur, cuius paulò supra mentio-nem

nem fecimus. Cum verò inflammatio cœperit inclinare, vel itidem vlcus, possunt ea quæ vim detergendi, interdum etiam insignem habent immisceri collyrijs, cæterisque medicamentis, quibus ad inflammationes, vel vlcera vteretur medicus. Galen. illis vtebatur, quæ ab aliquibus dicuntur collyria ex vino, à non nullis ex croco, quorûq; paulò post institurû confectionis descriptionisq; exponemus.

Sed tandem ad princeps nostrum institutum redeamus, & generales rationes horum omnium affectuum illis, quæ hæctenus explicata sunt, apponamus : incipiamus autem ab illis, quæ in adiectione vel accretione alicuius substantiæ, præter tamen rationem naturæ consistunt. hæc, vt paulò antè diximus, hunc scopum nobis offerunt absumendum, aut detrahendum quod accreuit, aut adiectû est: id verò vel medicamentis, si id quidem cōmodè, & sine periculo possit, erit agendum, vel instrumentis ad manualis operationis rationem pertinentibus : sed de his tanquam quæ ad præsens institutum non pertineant, non agemus in præsentia. Medicamenta autem, quæ in his affectibus curandis in usu esse solent, & in reliquis oculorum morbis collyria ab antiquis, præsertim Græcis, dicuntur, quæ varia admodum sunt tum natura, & facultatibus, tum verò consistentia & compo-



sitionis ratione. Sed si ad propositum scopum respiciamus, oportet, ut ea quæ accommodari horum curationi debent, omnia vim extergendi manifestam habeant, & interdum pro ratione difficultatis affectus etiam extendendi ea quæ accrevere, plus autem minusve pro ratione magis minusve & qualitate inueterati & indurati morbi, hoc namque confectio eorum collyriorum, quæ à celebrioribus medicis literis mandata reperiuntur, pollicetur ea verò ascribemus, & postea adiecta censura examinabimus. Et quia si indicationes & scopos in affectibus propositos respicere voluerimus, nemo sit qui non possit facile aspicere, quod vel omnia, vel pleraque illorum, quæ priori capite literis tradita sunt, ad tollendas oculorum maculas, possunt & presentibus affectibus, de quibus in presentia sermonem instituimus, aptari, quæ cum & leuiores sint, erunt etiam aptiores illis curandis, qui faciliores curatu sunt, aut quia tenuiores recentioresque sint, aut quia corpora male affecta molliora tenerioraque sint, vel ob ætatem, ut pueri, vel ob sexum, ut mulieres, vel ob modum & rationem vitæ, eiusque instituta, ut nobiles, ociosi, & qui vitam sedentariam & umbratilem degunt. Quæ autem modo sumus exposituri, ea aliquanto sunt valentiora, atque ita difficilioribus, & durioribus erunt accommodanda. In  
cipie-

epiemus autem ab eo, cuius paulò ante meminimus, quod conficitur ex pumice trita, & optime leuigata, vt ferè pollini fiat similis. præceptores Gal. hoc medicamento ita arido utebantur, eo fricantes inuerfas palpebras molliq; spongia excipientes : si quis humor ex illis artritibus exhibat, deinde verò alij formam collyrii rotundi redigere, addita tragachanta resoluta ex aliquo liquore, vt liquore albi oui, vel decocto fœnigræci, quod si mulla etiam id ipsum fieret, magis detergeret, aut addito gūmi eodem modo. posteriores verò, & os sepiæ addidere itidem trito exquisitissimè pari pondere cum pumice atq; ita sicari permittunt. moxq; hoc collyrio arterunt palpebras inuerfas. Hoc enim pacto seruat magis oculus citra ferè noxam. Prisci verò medici fortioribus vsi sunt medicamentis & longè magis detergentibus & penè erodentibus, illisque interdum in oculum instillantes utebantur. dilutis nempe ex liquore aliquo fluido præsertim, vbi erat necesse simul aliquem, sicut diximus, oculi proprium affectū curare, vt inflammationē vel vlcus. vnde consulebāt omnes, præcipuè verò Gale. vt horū pauxillū illis medicamentis inderemus, quæ alijs affectibus curadis quib. maior erat diligētia adhibēda, erant accommodata, quippe vt experiremur quantū horum citra noxā posset oculus ferre,

In primis autem antiqui omnes, Gale. Paul. Aetius in multo usu habuisse videntur collyrium ex vino, cuius tamen non est vnus tantum compositionis modus, sed differentis efficaciz. Istius modi verò collyria interdum ex vino dicuntur à medicis diacroca vel crocea, nos verò non omnes sed aliquos describimus. Paulus itaque vltimo libro collyrium ex vino in hunc modum conficit. & primum ab eo descriptum, quod malabarrinum & isotheum nuncupat. Accipit cadmiæ ʒ. 8. æris vsti & loti ʒ. vij. opij. lycij indici, folij nardi ni, croci, aloes, singulorum ʒ. vnam, castorei ʒ. quatuor, & mirrhæ drachmas duas, acaciæ, stibij singulorum drachm. xv. miscenda sunt omnia trita, & vt ipse ait aqua excipienda, vsus verò sit ex ouo. Hoc quidem & si propriè, ex vino dici nequeat, velimus tamen huic loco ascribere, quia alioquin illis admodum simile est tam viribus, quam modo compositionis. subdit verò alterum longe his acrius & fortius, cuius hæc est descriptio. Cadmiæ, lapidis hæmatitis, & schisti singulorum drach. quatuor, æris vsti drach. tres, chalcitidis drachmas iij, s. seminis papaueris drach. j. s. coquantur semina papaueris ex aqua, deinde succus ex illis tritis expressus cæteris iniicitur, ac omnia deinde vino aminæo leuigentur. Addit & tertium quod ita conficitur. Ac-

cipit

cipit æris vsti, cadmiæ singulorum drach. iij.  
 lapidis hæmatitis loti drach. ij. croci, myrrhæ,  
 aloes, ammoniaci singulorum drach. j. lycij  
 indici, spicæ nardi singulorum drachm. qua-  
 tuor, piperis albi grana. 50. acaciæ drach. tres.  
 gummi drachm. j. leuigentur ex falerno vel  
 aminæo vino . Addemus nos & quartum,  
 quod ex Alexandro Tralliano descripsimus,  
 quod istis satis simile est facultatibus, attamé  
 nec ipsa est alicuius acrimoniæ expers. Cō-  
 ficitur autem acceptis æris vsti drach. vj. cad-  
 miæ, 3. quatuor, opij, croci, zingiberis, gum-  
 mi singulorum 3. duab. assumuntur vino aut  
 medesio vnguento. Sed post hæc aliqua ex  
 Galeno etiam desumamus libro. i. de compo-  
 sitione medicamentorum secundum locos,  
 & ex Arabibus postremo aliquibus decerptis  
 si commoda hūc negotio videbuntur, illa mu-  
 tuò collata examinabimus, digeremusque in  
 suos ordines, vt hoc modo deinde, de eorum  
 vsu ex methodo agere valeamus, & quia vbi  
 agit de ratione curandi palpebrarum aspritu-  
 dines, meminit collyrij trachomatici ex vino  
 vel crocodis seu croci quod Paccianum ap-  
 pellat, vtpote quod illi fuerit in frequentiori  
 vsu (inuenimus autem inscriptionem colly-  
 rij ita se habentem, collyrium Asclepiadeum  
 Pacis) hoc alijs superius descriptis ascribe-  
 mus. eius ergo confectio in hunc modum se

habet. Accipiuntur cadmiæ, æris vsti, croci, squamæ æris, sing. ʒ. vj. myrrhæ, spicæ nardi, rosarum aridarum, opij, lapidis hæmatitis sing. drachm. quatuor, piperis albi gr. xij. gummi ʒ. sex, vini Chij quantum sit satis, fiat collyriū. eius autem vsus postea sit ex ovo, nempe eius albo. describit paulò post aliud crocode, vel croceū collyriū, quod Leontinum appellat, quodque minorem morsum, & acrimoniam videtur afferre, describitur verò ita à Galeno. Spodij cyprij ʒ sex, croci ʒ. iij. mirrhæ ʒ. j. s. lapidis hæmat. drachm. j. opij drach. j. s. piperis albi gr. quatuor, gummi ʒ. vj. omnia leuigata excipienda sunt vino falerno. apud Arabes duo erant collyria in multo vsu à Rasi 9. ad Almanf. descripta, quorū alterum, quod rubeum ab illo à calore appellatum est, tanquam facilius propositum est, cuius vsus laudatur quando non sunt admodum induratæ & inueteratæ hæ affectiones. alterum verò quod viride ab illis dicitur, tanquam acrius valde est, & in vsu erat in difficilioribus & magis inueteratis, vt pote quod priori sit acrius, & fortius. Horum meminere Mes. & Auicen. Rubrum ergo accipit lapidis hæmatitis, atramenti sutorij seu chalcanti vsti, sing. ʒ. iij. æris vsti ʒ. ij. myrrhæ, croci sing. ʒ. j. piperis longi ʒ. s. ex omnibus leuigatis, & veteri viño aspersis fiat collyriū. Viride verò accipit æruginis drach.

drach. iij. atramenti futorij vsti ʒ. vj. sandaracæ, quam arsenicum rubrum appellant, nitri, alcyonij sin. ʒ. j. salis armoniaci ʒ. v. ammoniaci quod thymiana græci vocant ʒ. ij. modus compositionis est, vt ammoniacum dissoluatur ex succo ruthæ, quod deinde inspergatur cæteris prius leuigatis, ac subinde conficiantur collyria. Si verò hæc rectè volumus in examen deducere, primum quod ex pumice additis tragacantha vel gummi, cum nihil acris habeat medicamenti nisi pumicem, qui si vratur tenuitatè partium maiore sibi comparat. si Gal. ii. de fac. med. simp. credere volumus, & aliquid acrimoniæ, quâ tamen lotus deponit, semper tamen detergit & id duplici ratione, tū propria sua facultate, tum etiâ suę substantiæ asperitate: nō est tamen adeo acre, quin eo optimè leuigato non consueuerint vt prisca medici citra etiã misturam alicuius alterius quo leniatur eius asperitas, quia aut nullum, aut exiguū morsum habeat, sed lenius medicamentum erit si tragacantho vel gūmi dissolutis assumatur ad compagem collyrij, additō aut offe sepia, quod & ipsum & vri potest, & eandem rationem cū pumice habebit; & nullo modo expertum ignem potest venire in vsum, cum sit tenuiū partium, vt facilius in profundum possit se indere, valentius erit medicamentum. nam ait Galenus eodem ii. addito

fossili sale detrahere potest id quod pterygiū  
 Græci, vngulam verò Arabes appellant, neq̃  
 tamen adhuc collyrium hoc erit insigniter a-  
 cre & mordax. Sed Pauli collyria atque alia  
 subsequētia longe vehēmentiora acrioraq̃  
 sunt, utpote quæ ea accipiunt, quæ vehēmen-  
 tiora sunt, imò vehēmentissima medicamen-  
 ta, quæq̃ non modò detrahendi, verum dera-  
 dendi ac excedendi vim habent, & ea præterea  
 quæ potenter possunt attenuare digerereque  
 & à profundo attrahere, & etiam quæ valen-  
 ter astringunt. Quæ omnia non carent insigni  
 morfu, & proinde habita ratione naturæ par-  
 ticulæ requirunt insignem apparatus, ut ob-  
 tundatur mordacitas, à qua vehēmenter exci-  
 rantur dolores, qui occasione deinde sunt, ut,  
 fluxiones, & inflammationes concitentur.  
 Vnde si omnes has istorum collyriorum con-  
 fectiones diligenter velimus extimare, earum  
 omnium fundamenta, vel, ut iuniores loquū-  
 tur, bases sunt mineralia ea medicamēta, quæ  
 acerrima sunt, & nullis alijs in detergēdo sunt  
 secunda, atque non modò detergunt: verum  
 deradunt & exedunt, & quasi vrunt, ut atra-  
 mentū sutorium, chalcitis, misy, sory, sandara-  
 cha, quam arsenicum citrinum vocant vel ru-  
 beū, æs vstum, squama æris, ærugo, & si quid  
 præterea istiusmodi generis sit. secundum ve-  
 rò locum tenent, quæ validè attenuant & di-  
 gerunt,

gerunt, & suarum partium tenuitate & caliditate in profundum se possunt indere, atque inde immerfas infarctasque materias extrahere. Sed multis deinde opus est, quæ demulceant, & quoquomodo temperent tantum horum acrimoniam & fluxionem, quæ inde posset concitari, doloresque arceant, acrimoniam demulcent, quæ, ut superius exposuimus, emplastica appellantur, ut sunt tragacanthum, gummi, & sarcocolla, cædemia lota, lapis hæmatites, & schistus, cerusa lota, pompholyx lota, & multa alia, ut album oui, decoctum fœnigræci, sed quæ concoctoriam vim habent pro sunt ad mitigandam acrimoniam, ut thus, crocus, & aliquantum etiam myrrha & multæ aliarum arborum lachrymæ, arcent verò inflammationes, quæ astringunt, in oculis autem modestè id faciunt & utilia sunt, sicuti rosæ, & earum flores & fructus, mastix crocusque, lycium indicum, cytini, acacia, omphacium, & alia multa id genus. Dolor verò bifariam sedari potest, quia, aut illis, quæ propriè anodina, quasi dolorem remouentia dicuntur, quæque parumper calida sunt, & modestè molliunt, & ea de causa etiam concoquunt, nam tum omnibus alijs affectibus concoctio est commoda, tum etiam dolentibus maximè utilis: præterea quæ obtundunt acrimoniam humorum, qui dolores concitant. Alio vero modo dolorè



leuamus, sed non propriè, quando stuporem afferimus dolenti particulæ, obtundimusq; sensum, vt dolorem: licet adsit doloris causa, & ingens, non tamen sensus factus obrusior & quasi obtenebratus, illum percipere potest. quod præstant, quæ narcotica, quasi stuporè vel torporem inducentia, à Græcis dicuntur, vt papauer, opium, mandragoræ radix, hyoscyami semen, & si quodpiam aliud est id genus. In his ergo descriptis collyrijs accipiuntur ex omnibus his generibus medicamenta, nempe vt omnium propositorum scoporum habeatur ratio. quæ deinde varia sunt secundum efficaciam, & vires, sed de hoc existimandum iudicandumq; est primum examinato eorum vnoquoq; seorsum, deinde verò illis etiam mutuo inter se collatis, vt possimus perpendere quantum de vnoquoq; per eam detrahatur, quantumq; etiam interdù additur, quantumq; per apparatus, aut aciora, aut mitiora euadunt. Paul. ergo in malabatrino suo collyrio, quod isotheum, hoc est deo æquale appellari dixit, componit cum drach. aris vsti, & loti, octo, cadmix, quæ aliquantis perdetur, & siccat, tamen ferè citra morsum, adeo vt Galen. 4. de fac. simp. med. cap. 5. dixerit, eam, si exquisitè fuerit lota numerari posse in emplasticis medicamentis, eius mistura potest non parum leniri & temperari mordacitas &

tas & acrimonia æris viti, cuius operatione maximè egent hi affectus, cum sicut idem dixit quarto de compos. medic. secundum locos capite v. sit vehementis abiterforiæ facultatis, & mordax etiam medicamentum, quanuis dum postea lauatur, plurimum mordacitatis deponit. quare cum illi cadmia copiosa additur longe & magis mitescit, vt iam facis mite fiat medicamētum, folium vero, lycium, crocus, aloes præter myrrham, cum ære vsto astringendi vires habent: myrrha vero item, & crocus lycium, indicum folium, nardus & castorium concoquunt & digerunt, vt è profundo euocare etiam aliqua ipforum possint, vt castorium, & attenuare, detergit ergo hoc medicamentum, digerit, repellit influentes succos, præterea verò concoquit etiam & digerit, vt omni ratione citra dolorem possit administrari, additū est opium, est ergo satis facile medicamentū, & tanta cautione cōpositum propter oculum, cum quo plurimū exteriore hæ partes consentiunt. Alteram vero longe acrius est, & quod durioribus corporibus & vetustioribus affectionibus magisque cautè est administrandum, accipit. n. duo admodum acria medicamenta: nempe es vitū & chalcitim, neq; tamen addit quòd sit lotum, neq; quòd chalcitis vsta neque lota sit. vnde secundum vniuersas vires & integras voluit

hæc in vsum venire, vt tamen aliquo modo eorum acrimonia remittatur. addunt cadmiam, quam neq; lauari præcipit, illota enim magis detergit & acrimoniæ non est expert. hæmatites autem et schistus lapis, qui omnino emplastici sunt, aliquanto plus obtundunt vehementiam morfus, & quoquomodo repellunt. sed dum præterea à chalcitide & vitò ære in hoc munere adiuuantur, propter eorum insignè astringentem, maior sequitur reuulsio. His præterea addendum, quod in primo collyrio, medicamenta erant aqua pluuiali assumenda, nam hæc est in frequentiori vfu in conficiendis eiusmodi collyrijs, quæ & ipsa potest aliquantulum acrimoniæ detrudere, in hoc altero autem vtitur vino falerno vel arnyneo. quæ calidiora & potentiora sunt, & potius addunt quàm detrahunt vires medicamento, quibus, & id accedit, quòd in priori accipitur opium, quod longe vires habet maiores, quàm succus seminum papaueris post decoctionem expressus quo in hoc vtitur. nihil autem in hoc accipitur quod concoquat vel emolliat. Tertium verò longe minus acre, & efficax est secundo. forsitan autem, si ita exquisitè conficiatur, vt descriptum reperitur, non est admodum viribus & efficacia differens à primo. nam in hoc differunt duo hæc, quod hoc de quo loquimur in præsentia aliquanto primo

primo acrius, & magis detergens: nam pri-  
 mum accipiebat æs vstum & lotum: in hoc ve-  
 rò nulla fit loturæ mentio, quod aliquantulū  
 refert, in illo inijcitur castorium, quod digerit  
 attenuat, & concoquit, in hoc verò piperis  
 gran. quinquaginta. sed additur ammoniacū,  
 quod in signem vim habet emolliendi & miti-  
 gandi vt ait Galenus decimo de compositio-  
 ne medicam, secundum loc. cui & gummi ad-  
 ditur vt contemperetur aliquanto eius calor.  
 vnde erit satis accommodatum medicamen-  
 tum ficosis & cœliosus affectibus, vbi fit ali-  
 qua emollitione opus. Quartum verò quod  
 ex libris Alexandri descriptum fuit, tertio sa-  
 tis simile viribus esse videtur, mihi tamen nō  
 nihil acrius illa videtur. Nam cum æs vstum  
 pondere superet ipsam cadmiam, non potest  
 ita temperari eius acris & vehemēs deterfio.  
 deest præterea in hoc lapis hæmatites, qui &  
 ipse potest acrimoniam æris delinire. sed ne-  
 que eas vires concoquendi & digerendi ha-  
 bet, quas prius, neque etiam molliendi, neque  
 etiam repellendi. Nam in hoc non conco-  
 quit nisi crocus, non astringit præter æs vstū  
 nisi crocus, nō digerit nisi zingiber & aliquan-  
 tulum crocus: vnde in quibus præsertim fit de-  
 terfio necessaria, vtile erit medicamentum.  
 Quatenus ad Paccianū collyrium, quod Ga-  
 leno videtur in multo fuisse vsu: mihi vide-

tur medicamentum viribus quidem efficacissimum sed adeo temperatum, ut neque possit plurimum mordere, & irritare affectas particulas: nam quæ sunt veluti bases istius collyrii, sunt æs vstum & æris squamma, quæ si conferantur cum reliquis, sunt simul accepta quanta fortius compositionis pars. horum medicamentorum vim demulcent cadmiæ drachmæ vj. & totidem lapidis hæmatitis, itemq; & gummi quæ in pondere illa in sesquialtera proportionem: in sesquitertia verò exceditur ferè à tota. sed & adiuuantur etiã à concoquentibus, ea quæ mitigant, nêpe à croco & myrrha, quæ præterea ad digestionem & attenuationem faciunt vnã cum albo pipere, quod item è profundo materiam potest attrahere. vnde potest quidè satis validè detergere citra tamen mortuum, qui possit admodum irritare affectas particulas, repellit etiã modeste. nam astringunt mineralia, rosæ & crocus, nihil tamen accipit quod possit mollire: vnde ad callosas induratasq; affectiões nō videtur posse esse plurimum vtile medicamentum: quamuis aut̃ ad componendum collyrium velit omnia assumi, vel leuigari affuso vino, eo tamen esse vtendum ex ður albo, ut ita etiam lenius & mitius reddatur. Alteram verò ex descriptis à Gal. desumptam, quod Leontanum fuisse nuncupatum ait, mihi facillimum videtur, in quo est leuis admo-

admodū vis deterforia ratione myrrhæ, quæ aliorum comparatione admodum modicā est, aliquid etiam digerentis facultatis ex pipere albo, quamuis fortasse potius appositum est, vt adiuuet alia ad penetrationem in profundum; crocus verò concoquit. Vnde mihi videtur, quod mite sit medicamentum, per quod ad aspritudines, & cæteras affectiones, quæ detractiōe & detersione insigni egeant, sit parum efficax, & illud quod possit accommodari recentibus teneris nuperq; incipientibus affectibus, magisque illis aptum sit, quibus exiccatione & digestionem cum aliqua repulsione sit opus, vt sunt vlcera & quæ *posidēt* ob continentem lacrymarum copiam, exuberantemque dicantur. Et Galenus quidem inter hoc & prius, aliud descripsit, cui nomen Nectarij inditum erat. Cuius quidem compositio similis est cum Pacciano, nisi quod aliquanto fortius esse videtur. nā addit æri vsto, & squāmæ æris misyalsi. verū si ita conficiatur vtrumq; vt præcisè scriptum reperimus, non intercedit multa differētia inter illa. quia in hoc nectario accipiuntur æs, & squamma vsta, & lota. in pacciano nulla loturæ fit mentio, cum autem non lota accipiuntur, acriora & efficaciora sunt. In misy verò nulla fit lotionis mentio, & cum ex pacciano, si cum nectario conferatur, possit facile nectarium

in examen & iudicium reuocari, ideo parentes tempori & prolixitati nullum præterea volumus de eo habere sermonem. Sed transibimus ad collyria, quæ ab Arabibus multa facta sunt. primumque collyrium, quod mihi omnibus alijs prioribus acrius videtur, cuique non possit esse locus congruens, nisi in pertinacibus admodum & inueteratis affectibus. Nam accipit, aliorum comparatione, magnû atramenti sutorij pondus, est enim ferè quarta totius compositionis, quod acerrimum est omnium metallicorum, medicamentorum, cui sextam ferè totius medicamenti partem addit æris vsti, neque addit aliquid, quod possit horum morsum obrundere & mitigare vel emplastica natura, nec alia ratione nisi hematitem lapidem, quem pari pondere cum atramento commiscet, & crocum, & myrrham, quæ nisi quatenus concoquunt, possunt quoquomodo dolorem lenire & morsum: nam & opium dimittit. Vnde raro eo auderem vti nisi in rusticis & duris admodum corporibus. vel eis factis fluidis & liquidissimis, ex aliquo liquore lenissimo dilutis, vt lacte vel albo oui vel alijs id genus de quibus facta est mentio superius. Sed postremum, quod viride dicitur & à colore, quo ab ærugine afficitur nuncupationem sortitum est, acerrimum omnium priorum mihi omnino videtur, accipit æruginem

nem & atramētum vſtum quidem copioſum  
vt parum à medietate totius compositionis  
deficiat, quæ ambo ad detergendum, vel po-  
tius ad exedendum efficaciffima medica-  
ta ſunt: nam ærugo fortior eſt ære vſto, qui-  
bus paulò inferior eſt ſandaracha, de qua non  
multa dicemus, cum illius parum admifceat,  
& hæc omnia nihil habēt, quod emollire poſ-  
ſit acrimoniam, & vt ita dicam, violentiam eo-  
rum, niſi duas drachmas ammoniaci, nam &  
nitrum & ſal ammoniacum, & alcyoniū non  
parum habent acrimonix, vt ſuperius fuit à  
nobis expoſitum, neque ea minus in oculorū  
vel palpebrarum affectibus egēt alijs, quibus  
leniantur, quàm quæ ipſa poſſunt hæc corri-  
gere, & quaſi hæc minus quàm par eſſet vide-  
rentur acria. præcipit vt ex ſucco rutæ diſſol-  
uatur ammoniacum, noluit etiam addere ali-  
quid opij aut alterius medicamenti iſtius ge-  
neris: vnde affectionibus plurimum in vetera-  
tis & induratis, in corporibus etiam duriori-  
bus poterit admitti eius vſus: in detergendo  
enim efficax admodum erit. Sed & digeren-  
di vim habet ſatis inſignem propter nitrum,  
alcyonium, & ſal ammoniacum & rutam: ali-  
quam etiam emolliendi induratos affectus ex  
ammoniaco. Addimus tamen, oportere medi-  
cum eſſe admodum oculatum & cautum in  
vſu eius, & ſi in quo alio, in hoc eſſe ſeruanda



antiquorum medicorum præcepta, primum  
 ut paulatim particulatim huic medicamento  
 assuefaciamus, & si eo sit affricandus locus af-  
 fectus, dum incipit: breui temporis spacio id  
 agat, ne nimis irritetur locus: deinde verò ut  
 locus aliquo liquore mulcenti & emollienti  
 foueatur, atque ita paretur, ut facilior fiat ope-  
 ratio pharmaci, postea vero, si qua facta sit irri-  
 tatio, et dolore excitatus, aliqua affligetur oculo  
 quæ dolore sedent, & inflammatione arceant  
 ut essent album oui exceptum bombice aut lin-  
 teo aut lana, vel cataplasma ex medulla panis  
 macerata lacte præsertim muliebri, vel simili  
 alia re, quorum facta est superius copiosa men-  
 tio. Et quatenus ad eorum affectuum curationem  
 quæ in quadam alicuius substantiæ additione,  
 vel incremento consistunt, quantum ad præ-  
 sens institutum pertinet, hæc mihi satis esse vi-  
 dentur. De illis verò quæ in detractione & de-  
 fectu vniuersam suam rationem habent, non est  
 opus longo admodum sermone, nam ut à rhæa  
 de incipiamus, quæ nihil aliud est nisi abla-  
 tio aut absumptio carunculæ in angulo oculi  
 ad nares, qua ablata effluunt continenter la-  
 crymæ, quæ & molestiam & turpitudinem af-  
 ferunt, non exiguam. is affectus si penitus ab-  
 lata, aut delata sit ea caruncula, nullam potest  
 admittere curationem, quia illa medici arte in-  
 fraurari nequit. si autem ex aliqua tantum parte sit  
 confusa.

colupta, aliquod auxilium medico ope fuz  
artis potest accipere, & id medicamentis mul  
tis, quorum facta est mentio in prioribus ca  
pitibus: nempe collyrijs, in quib. sit vis strin  
gendi & exsiccandi, & subinde carne gignen  
di, qualia sunt collyria alba, quæ diacroca, &  
quæ diarrhoda ab antiquis fuere appellata, an  
tiqui medicamentum ex glaucio & aloe con  
ficiabant. Sed aloë sola alligata in tenui linteo  
atque aqua rosacea vel succo rosarum macera  
ta & loco affecto instillata utilis erit, item &  
popholyx, vel ut nunc vulgo loquuntur, tu  
tia optime aqua rosacea parata, & lora, itidem  
illigata tenui linteo & instillata poterit pluri  
mum prodesse. item & vstum plumbum & lo  
tum. Madarosis verò quæ est casus ciliarum  
ex vitiosis humoribus eo confluentibus, ac ei  
liorum radices erodentibus, post corporis ca  
pitisque generalem procurationem, eisdem  
medicamentis curari poterit, quibus curatur  
psorophthalmia, vel scabricies palpebrarum,  
his nempe, quæ possint digerere, discutereq;  
vitiosos eos humores, tum etiam astringen  
do repellere cui officio multa ex his quæ pau  
lo ante fuere descripta, possunt esse apta. pti  
losis verò, præter ciliarum casum adiunctum  
haber, quòd callosæ sunt palpebræ, vnde com  
positus est morbus, & compositam requirit  
curationem, ex ea quæ madarosi conuenit.

& præterea quæ callofis harum partium affectibus. quæ ergo præter id quod detergunt & digerunt, item & emolliunt, poterunt illi aptari. horum autem multa superius à nobis exposita fuere. Vnde finem iam huic capiti imponamus, & ad alias faciei affectiones conuertamus nostram orationem.

*De ratione curandi alios faciei affectus per  
apta & localia medicamenta, & de eorum  
compositione & usu.*

Caput XII.

**P**roximè his particulis, de quibus nuper egimus, illæ sunt, de quorū morbis per accommodata remedia curandis in presenti capite sumus habituri sermonem. nam inflammatio quam Græci ægilopen appellat, Arabes algarab. iuniores lacrymalem fistulā dicunt, nec ab his admodum discessisse videtur Celsus, qui & ipse ægilopa oculi fistulam appellauit. Verū si rem hanc velimus rectè extimare: & si ægilops frequenter in fistulam tandem desinat, propriè tamen non est fistula, neque semper in fistulam transit. Sed vt Galenus quinto de compositione medicam. secundum loca docuit, tuberculum primum est, quod suboritur iuxta angulum ad radices nasi, quod plerunq; suppuratū in abscessum conuert.

conuertitur ac tandem erumpente pure in vlcus moxque in fistulam tranfit, ita vt & fubiectum os vitietur, ac deinde curationem nequeat admittere, nisi squarama ofsis, eo vel ferro abrafo vel perforato terebello, aut ignito aliquo inftrumento abeat. quare neceffe est, vt à calidiorum humorum fluxione ortū habeat, & tandem ad inflammationis genus pertineat, quamuis difficilis ab omnib. fit habita eius curatio talis, vt non in fistulam abeat, non est tamen ita difficilis, quin aliqui interdū fuerint curati, si res diligenter inter initia fuerit tractata. in quibus neque in abscessum, neque in fistulam tranferit. Cur autem facile primū in abscessum mox in fistulam transeat hoc tuberculum, in causa est natura illius particulæ quæ ex tenuibus partibus exanguibusque coagmentata est, quæ ob inopiam natiui caloris nequeunt facile administrare ac digerere influentes succos excrementitios. Sed & fubiectum os quod & exile est molleque & rarum, facile corrupitur ab excrementis & pure, quæ proxime illi incumbunt. Curandī verò ratio non est admodū difsimilis à curatione affectuū oculorum qui à calida fluxione excitari solent, & parum minorem cautelam requirit, quàm illi, quia neque fieri ferè potest ob vicinitatē, quin & medicamēta loco affecto adhibita nō confluant

in oculum, & cum in abscessum conuertitur semper in angulū & oculū pus confluit, quod illum non probe afficit. Vnde quæ superius de illis dicta, quantū ad curationem pertinet, hîc in memoriâ reuocanda sunt: nimirū quòd statim inter fluxionis initia illi tenuiori victu sit occurrendum, item quæ reuulsionibus, deriuationibus quæ, tum per manifestam vacuationem, tum verò citra illam. Quatenus verò ad localia medicamenta, nemini obscurum esse potest, accommodata esse statim inter initia illa quæ vim habent refrigerandi & astringendi, vt fiat repulsio ab affecto loco continuentium succorum. dum modo ea talia sint, vt nequeant irritare & exasperare oculos. vnde illa aptari poterunt, quorū in oculorum affectibus ad repellendas fluxiones facta est mentio, quæ eligenda erunt pro ratione magnitudinis morbi & impetus fluxionis. postea verò in crescente tuberculo, his aliqua erunt miscenda quæ tum digerere, tum concoquere possunt: potremò verò validis discussorijs incumbendum: modo citra morsum id facere possint ne exacerbetur oculi. Sed vt hæc exemplis exponantur, quædam, quæ mihi fuere in maiori vsu, in præsentia describam. accipio ergo collyrij albi, quod superius fuit descriptum ℞. s. rosarū aridarum, aloes, thuris, corallorum rubeorum paratorū vt p̄ssim parari solēt, singulorum

gulum ꝑ. s. teratur omnia exquisitissime, ac albo oui assumatur, atq; linteo panniculo excepta apponantur, mutetur autem medicamentum mane & sero. At ubi res ulterius versus vigorem progrediatur, de repellentib. detrahendum ac digerentib. addendum & decoquentibus erit illis aliquid, utpote ꝑ. collyrij, seu ut Arabes aiunt, sic ff. de thure illis addo, eius semper aucta copia, quanto magis ad vigorem res accedit. ut mox ubi aut omnino, aut ex maiori parte videtur constitisse fluxio, & solis discutientibus ac ex parte concoquentibus res est tractanda, parare solitus sum cataplasma ex myrrha, aloë & thure, acceptis singulorum parib. portionibus, & illis assumptis decocto seminaum fenigræci. Antiquiores vero medici quemadmodum Aetius lib. 7. c. 74 ex sententia Seueri testatus est, ad discutendas induratas & difficiles ægilopas, utebatur magis illis emplastris, quæ eo tempore erant in multo honore & nomine, ut erat emplastrum barbarum descriptum à Gal. secundo de compositione medicament. secun. gen. cap. 22 cuius nos etiam in priori nostro commentario meminimus, item & illo quod Athena nuncupabatur, eodẽ item secundo relatũ, & quod de salicibus, cuius confectio quinto eiusdem operis libro capite tertio in fine exponitur, & alijs plurimis quæ efficacissima sunt, præfer-

timque in eo lib. de comp. med. secund. gen. referuntur. Inter simplicia autē medicamenta quæ summopere laudantur ad digestionē ægilopis, est succus herbæ eiusdem cum affectu nominis. ita dicta vel propter similitudinem quam cum eius semine habet is affectus vel propterea quia vires habeat discutiēdi ægilopas. Plerunque verò ad integram huic particulæ sanitatem restituendam, necessaria est manualis operatio: nimirum vt aperto loco vsque ad os, quod solet sæpius vitiari & malè affici à purè & vitiosis ichoribus illi insistentibus, adeo vt nequeat consolidari locus ita vt stabilis diu sit consolidatio, nisi abscedat ab osse quasi desquamato pars male affecta. vt autem illa abscedat, aut scalpello deraditur, aut terebello perforatur, aut ferro candenti iniuritur. Sed de his agere non pertinet ad præsens institutum, vnde ad alia transeamus. Non longe ab hac parte solent, præsertim ex contusione sub oculis, statimque sub ipsis inferiori palpebra in ea molliori, & laxiori parte excitari liuor primum: deinde atra quædam macula, quam Græci, quod sub oculis oriatur, *ἰσώπιον* appellauere: Latini verò sugillationem: quæ quia turpitudinem videatur asferre ipsi faciei ideo per quandam translationem, suggillari eos dicimus, quibus aliqua sit illata ignominia. sicut item dicimus, illis esse iniustam notā.

est

est autem hypopium, vel suggillatio in genere *ἐκχυμώματος*, vel vt Latini dicunt, vibicis: nisi quod suggillatio tunc dicitur, cum in eo loco sub oculis fuerit illata. alibi verò, vibex vel *ἐκχύμωμα*. fit autem cõtusa præsertim carne à duriori aliqua re, ex qua contusione exiles venæ per illam dispartitæ dilacerantur, ac inde sanguis in spatia circumstantia illis venis effunditur. Et sicut semper accidit, sanguini cum extra vasa effusus in aliquo loco comprehenditur, grumescit, vnde locus contusus liuore primum : deinde nigro suffunditur colore, ob sanguinis transmutationem. Cum ergo vniuersa ratio suggillationis consistat in plenitudine illius particulæ, plenitudine inquam concreti sanguinis, indicatio erit primum ab ea depromenda, nempe illam esse euacuandam detracto sanguine. neq; alioquin alia potest esse opportuna vacuatio, nisi perea quæ digerunt, & discutunt. vnde cum futura sit facilior eius digestio, quanto recentior fuerit suggillatio, & principio magis propinqua (nam quo diutius ibi inculcatus manet sanguis, eo magis crassescit & indurescit euanescentibus & qualis expressis spiritibus, & tenuioribus partibus, vt consenserunt Galenus & antiquiores omnes medici) digerentibus & laxantibus erit opus medicamentis: vt tamen & hoc considerandum sit, quòd inter in-



itia anteaquam dilaceratæ venæ consolidatæ ad pristinum statum redeant, aperte adhuc sunt, & proinde medicamenta quæ laxant & digerunt, si illis solis utamur statim inter initia, possunt esse in causa cur laxioribus illis partibus redditis, maior fiat sanguinis effusio. ideo ut huic consulatur incommodo, monuere illidem à principio cum his esse commiscenda illa quæ astringendo possunt repellere sanguinem ne effluat. Sed ut particulatim res hæc exponatur, exponemus modum medicamentorum, quæ semper fuerunt in usu Galeno in curandis suggillatis. suggillatum locum fovebat prius decocto scængræci, quod molit, laxat, & concoquit digeritque, & meliloti, quod & ipsum concoquit & digerit, sed præterea non nihil astringit, ratione cuius perest aliquid facere ad hoc postremum consilium, potest accipere collyrium diarrhedon, cuius omnes antiqui medici meminere. Galenus, Aetius, Paulus, Celsus, Scriboniusque, habet autem mixtas facultates ex astringentibus repellentibusque, & ex concoquentibus & digerentibus, & ex aqua dissolutum illinebat loco suggillato, deir de ex prædicto decocto in oculari core dissolutum illinebat, mox ex decocto solius scængræci diluebat. postea solo soto scængræci utebatur. at si postremo viderentur aliquæ reliquæ superesse ad digestionem

stionem difficiliore, illas valentioribus ag-  
 grediebatur discutiēibus, vt sunt collyria ex  
 myrrha, quæ diasmyrna nuncupata sunt. so-  
 lent autem mulieres cerusa ex oleo rosaceo il-  
 linire sugillata, quod tamen remedium in itijs  
 esset accommodatum, refrigerant & astringūt  
 quamuis ex rosaceo oleo, præsertim si id  
 quod completum appellant, sit particeps ali-  
 cuius digestionis, salua autem humana sum-  
 mopere à Galeno laudatur decimo de faculta-  
 tibus simplicium medicamentor. ieiuni ho-  
 minis. Nam digerit & concoquit, itaque valē-  
 tius præstare poterit, si fuerit præmasticata  
 radícula, & plurima eorum quæ manduntur,  
 vt panis, triticum, & id genus alia. quæ si præ-  
 terea & ipsa vim aliquam habuerint laxandi &  
 digerendi, vt esset absinthium, vel raphanus,  
 aut hyssopum, ita & passa exacinata, quamuis  
 in principio quando requiritur aliquid astring-  
 gentis, non essent inutiles passæ vix cum aci-  
 nis. Sed de his satis. Nunc ad medicamenta  
 aliorum affectuum accedamus, qui sunt circa  
 alias faciei partes: præsertim verò nasum &  
 mentum. Sunt verò in genere tumorum præ-  
 ter loci naturam, vel tuberculorum, duplici  
 verò ratione, tam viris quàm mulieribus mo-  
 lesti sunt. nam faciem quoquo modo detur-  
 pant, & præterea, vel pruritu, vel dolore ali-  
 quo importuni sunt, neque omnes eiusdem

naturæ, sed diuersæ, quatenus ex humorum diuersorum confluxu ad externas faciei partes, vt quinto de compositione medicamentorum secundum locos docuit Galenus, ortum habent. Sed rem breuiter expediamus, si ad extremam faciem, atque adeo etiam ad cutem confluat humor crassus caloris, & acrimoniæ expers, qui multus non sit, cum in tumorem parum attolit durum tamen, ex humoris siquidem crassitie durus euadit: paruus vero, quia non potest fieri magnus, nisi multus fluxerit humor. hos tumores Græci *ἰόνδεις* appellant, nostrivaros, nostrum vulgus *collos* nuncupat. Sed si non solus crassus humor confluat, sed sit præterea participes alicuius tenuis serosi, & ichorosi, nisi cito curatio adhibeatur, fit vt tandem vlceretur tamen. Tenuis enim & serosa illa particula infarcta & intus intrusa, cum perspirare nequeat, incalescens aliquam contrahit acridinem, vt deinde abrasa cute, vlcus afferat, atque hi tumores à Græcis *συκώδεις* appellantur, à Latinis *ficosi*: & hi plerunq; in mento expullulant. de quibus ita ait Oribasius. Ficus expullulationes subduræ, rotundæ, rubicundæ, vlcerosæ, quarum plerunque est comes dolor. Oriuntur autem plerunque circa capitis partes, quamuis interdum erumpant in reliquo corpore. Quandoq; etiã confluunt  
succii

succi similiter mixti ex crassis & tenuibus serosisq; acrioribus, tamen & magis mordacibus, qui occupato mento *λεηχλωδεις* concitant tumores à Græcis dictos, quasi referentes naturam lichenes, hoc est, impetiginis, & pruriginosus est is affectus, & qui, si negligatur, ut tradidit Galenus, tandem in eas scabiæ species degenerat, quæ lepra & psora Græcè dicuntur. Efflorescunt præterea & aliæ papulæ itidem in mento asperæ & ulcerosæ, pariter ex acrioribus serosisque excrementis à capite defluentibus spontaneum ferè ortum habentes, quæ neque pruritus, neque alicuius doloris sunt expertes. Aetius verò lib. 8. capite 16. affectum hunc menti asperitatem vocavit, quem sequi solet *πυελιασις*, quam Latini porriginem, iuniores furfurationem transulere, nonnunquam autem ad collum serpit interdum, & aurium meatus tentat. solet autem in eiuimodi affectu esse distenta cutis. Reliquæ præterea sunt etiam duæ tuberculorum differentia, quæ in facie solent extuberare, tum natura, tum nominibus differentium, quæ Græcè *σφιδίλωσις*, & *φύματα* dicuntur, priorem differentiam Celsus furunculos, alteram propriè tubercula nuncupavit. Differunt verò inter se, ut ait Galen. duritie & figura, quia tuberculum est tumor rotundus & planus, qui citò crescit & citò suppuratur. Furuncu-

lus verò durior est & acutior, qui & ipse tan-  
 dem suppuratus in abscessum transit, non ta-  
 men equè facillè & citò. Sed farunculi frequè-  
 tius prouentus circa faciem & mentum, quan-  
 tis & in reliquo corpore interdum oriantur.  
 eorum item duæ sunt differentiaë, alij durio-  
 res, qui proinde magis sunt varis similes, sicut  
 & non ita facile maturantur aut suppurantur,  
 & id quia fiunt ex crassiori materia, quæ refert  
 naturam pituitosi vel melancholici humoris:  
 vnde neque dolorosi sunt, in quo etiam varis  
 assimilantur: sunt tamen illis maiores. Altera  
 verò horum species eorum sunt, qui magis ac-  
 cedunt ad naturam inflammationis: suntque  
 maiores, rubicundiores & calidiores, subinde  
 magis dolorosi, à quibus sæpe febres accen-  
 duntur, atque vt proprium est calidiorum tu-  
 berculorum facilius ad suppurationem pro-  
 perant. Similis autem est horum omnium ge-  
 nerationis occasio, vtpote qui omnes exciten-  
 tur ab excrementitio & vitioso humore, quæ  
 natura ad cutem protrudit, vt sanguinem qui  
 futurus est alimentum internis visceribus ex-  
 piet, & sincerum quantum potest conseruet.  
 vnde quemadmodum horum omnium aut ea-  
 dem, aut similis generationis ratio in vniuer-  
 sum: ita etiam oportet vnã esse communem  
 in curandi methodo indicationem. ea verò  
 demonstrat materiam illam excrementosam  
 in pri-

in primis esse vacuandam. Sed id aduertendu n, num copiosa ad cutem horum malorum humorum & frequens fiat propulsio, frequētesq; & maiores expulsiōes, ita vt vno digesto subinde alij & plures succedant: quia id argumento esse posset, quod multa esset cacochymia in corpore congesta, aut vniuerso si ad alias etiā partes serperent, aut in capite si tantū circa faciem orirētur, à qua mala hæc fouerentur, nā ratio vniuersa suaderet prius, aut corpus vniuersum, aut caput expurgari oportere vt fomentum subtraheretur, prout illa videretur requirere: nēpe aut sectione venę aut purgatiōe: præterea & victus probi, nullo aut modo excrementosi esse instituendā rationē, quā ad præsens institutū particulatim tractare nō pertinet, Quare ad eos scopos exponendos accedamus, qui nobis possint ostendere vel aperire rationē eorum medicamentorum quibus priuatim & particulatim sint curandi hi affectus. Sed si ex methodo hoc sit agendū, oportebit eorū naturā considerare, quia illa nobis scopos indicabit, quos spectantes omnia reperiemus. nam quicumq; horum tumorū duriores sunt, & citra vlcus, vt sunt propriè vari, & prior furunculorum, qui aliquatenus ad varorum naturā accedunt, hi egent digerentib; in primis remedijs, vtpote quę plenitudinem loci possint vacuare: verūm, cum præterea ad-

adfit & durities, egent item & emollientibus. nam ita facilius & citius fiet digestio, qui vero excitati sunt à tenui & seroso humore, præstantius per exiccantia curabuntur, quam per digerentia: quia hæc cum sint calidiora, facile serosos eos & tenues succos acriores & magis erodentes reddent, vnde lichenosi vel impetiginosi tumores antequam in pforam degenerent, & qui ficosi dicti sunt, etsi requirant aliquem digerentium vsum, longe tamen exiccantium maiorem, & id propter multam mixturam serosorum humorum, qui quo fuerint acriores mordacioresque, eo etiam egent magis exiccantibus. & proinde impeiginosi, quam ficosi magis desiccantia desiderant: antequam in aliquam scabiei speciem transeant. quia tunc aliquibus præterea detergentibus esset opus. At verò eruptiones vel efflorescentes papulæ in mento: cum sint vlcerosi affectus, eandem cum cæteris vlceribus in vniuersum indicant rationem curationis: nempe per exiccantia. & hæc est generalis methodus curandorum horum omnium affectuum. Sed & particulatim quoque rationes horum omnium exponamus. quo loco & id reuocandum est in memoriam, quod sæpius à nobis & repetitum & repetendum est, nempe, quod horum, vt exempli gratia, neruorum non est omnium eadem ratio, alij enim duriores vt prope

prope ad naturam calli accedant. alij verò minus duri: quod illis potest euenire aut ratione materię vnde ortum habent, aut ratione temporis. cum enim inueterascunt, magis indurescunt. aut ratione corporis in quo oritur quod habet aut duriores cutem & subiectā carnem, aut molliorem vel ob ætatem, vel ob sexum, vel ob artem & modum tractatę vitę. Qui duriores sunt, vt difficiliore sunt ad digestionem, ita & valentioribus egent, tum digerentibus, tum emollientibus. Vnde sicut in his affectibus durities & mollietis varia, ita & vt recte curentur necessarij sunt varij & diuersi medicamentorum ordines, & proinde prisci medici hoc insinuare volentes, interdum dū medicamenta describunt, ea aiunt esse vtilia ad varos emendandos, nullo præterea addito quasi voluerint, ea esse accommoda moderatis varis, non autem callosis, interdum verò addunt quod valent ad varos inueteratos vel callofos, quia communes & recentiores leuioribus & facilioribus medicamentis tolluntur. Vidi siquidem sæpe sola illitione salinę & ea repetita frequentius deletos fuisse varos præsertim ieiuni hominis. valentius negotium hoc expediret gallinaceus adeps & adhuc citius anserinus. vim præterea maiorem haberent amygdala amara mansa & apposita vel confecto cataplasmata ex ea trita & cum



aliquo ex his adipe commixta. Inter medica-  
 menta autem, quæ antiquis fuisse in vſu ad-  
 modum aptum & vtile videtur illud cuius  
 meminere Galenus 5. de compos. medicamen.  
 secundum loca ex sententia Critonis. cuius  
 hæc est confectio. Accipiantur lithargyri seu  
 spumæ argenti drachmas iij. resinæ terebin-  
 thinæ quantum æquet fabam Ægyptiam, pu-  
 ta 3. vnam, olei clari & albi parum omnia pro-  
 bè miscantur. quantum ad vſum verò perti-  
 net, primùm facies detergenda. mox verò im-  
 merso digito in medicamento, palmæ manus  
 illud imponendum, & vtraque manu confric-  
 care conterendum, illoq; utrinde sunt vari.  
 medicamentum lenè & leuè, quod potest esse  
 apertissimum teneris, mollibusque corporibus  
 in quo vis est mediocris molliendi & digeren-  
 di. nam terebinthina, vt octauo. de composi-  
 tione medicamentorum secundum locos tra-  
 didit Galenus, vim habet molliendi, conco-  
 quendi, & modestè digerendi quibus facul-  
 tatibus & oleum clarum aliquantulum præ-  
 ditum est lithargyrum verò mediæ materiæ  
 est, aliquantulum tamen desiccatur. vnde est  
 quasi materia istius medicamenti. videtur au-  
 tem istud medicamentum esse mulieribus  
 nobilibus & delicatis, quàm maxime accom-  
 modatum: vt pote quod præter id quod vti-  
 le est aff. Ati huic curando, potest etiam con-  
 ciliare

efficiare medico gratiam & fauorem apud ip-  
fas: cum aliquid facere possit ad ornamentū  
& decorem faciei, quia si diligenter sit para-  
tum illustriorem illam reddit & planiorem,  
quia efficit vt cutis magis distenta fiat, ap-  
planatis rugis, si quæ adiant. & propterea in  
componendo hoc medicamento, procuret,  
vt habeat oleum clarum, itemque & terebin-  
thinam vt melius hoc præstare possit. Addit  
præterea & alterum, quod acrius valentiusq;  
medicamentum, & proinde quod congru-  
entius fit varis magis inueteratis & in corpo-  
ribus solidioribus durioribusque, conficitur  
verò in hunc modum. Amigdalæ amaræ ex-  
quisitè sunt conterendæ, atque deinde aceto  
diluendæ, quibus postea illinire varos oport-  
ret. nullus autem non videt, quod amaræ a-  
migdalæ attenuandi, detergendi que & dige-  
rendi vires satis conspicuas habent. de aceto  
præterea sæpius sermonem habuimus: vnde  
in his quidem robore locum priori superius  
est. sed non tantum potest mollire & conce-  
quere, quantum prius. quamuis aliquis di-  
cet fortasse, quod in amigdala sint aliquæ par-  
tes oleoginosæ. nam ex ipsis exprimitur o-  
leum satis copiosum, hac etiam ratione mol-  
lire poterit quantum huic rei sit futurum sa-  
tis: vnde & si fortius sit hoc medicamentum,  
non tamen adhuc illius est generis, vt pesti-

naces varos, & illos, qui eò deuenerint, vt iam callosi dicendi sint, possit discutere, atterere. que: vt ea medicamenta, quæ ibidem à Gale-  
no ex eodem Critone descripta referuntur. quale illud est, quod conficitur acceptis dra-  
chmis quatuor saponis, ammoniaci verò, & thuris singulorum drachma. hæc verò omnia miscenda, dissoluta tamen ex aqua catenus, vt cerati compagem habeât. confecto deinde medicamêto, hunc esse ad modû seruandum. quantum ad rationem vsus pertinet, vt id va-  
ro apponatur, ibique dimittatur per horæ spacium, statimque detrahatur, moxque fa-  
cies detergatur abluaturq; aqua tepida. Quod optimè considerandum, quia id non modò in his affectibus, sed in multis præterea alijs poterit esse vtile, quando fuerit opus aciori-  
bus vri medicamentis. maximè verò in cor-  
poribus, vel particulis, quæ molliores tenerio-  
resque sunt, vt facile abradi & erodi possint. vnde & subinde vlcera excitentur quæ vi-  
deri deinde possent, maiora & turpiora mala. cui rei consulere docuit. Crito hac ratione: nempe ne permittatur morari medicamen-  
tum hærens faciei vltra horam, ne longior mora maiorem quàm par sit faciat impressio-  
nem, postea lauandam faciem consulit aqua tepida, vt si quid acrimoniæ sit derelictum in loco, vel aliqua particula ablati medicamenti  
vel

vel si morfus aliquis reliquus sit tepido illo calore, atq; humiditate aquæ morfus & acrimonia demulceatur & deliniatur, deterganturq; oēs reliquæ medicamēti, quo factò locus erit inspiciendus, & considerandū, an adhuc, vari maior pars sit superstes, quæ egeat repetito medicamento, atque reponendum erit idem medicamentum: si adhuc morbus pertmax videatur, vel si nimis acre videatur, aut aliud tenuius apponendum, aut idem quidem, sed alio aliquo addito & intermixto quo remitti, & deliniri possit eius acrimonia, medicamentum verò hoc calidum quidem, quod habet et vim detergendi insignem ex sapone, ut consentiunt omnes medici, & proinde partium constat tenuitate, qua laxare, & discutere, attenuareq; crassam & duram materiam potest, ex ammoniaco verò habet vim imprimis emolliendi concoquendiq; & digerendi: à thure verò adiuuatur vis concoquendi, & aliquā tulum molliendi, & digerendi vis. additur autem aliqua astringendi, qua possit tantillum repellere alios, qui adhuc in eum locum consistunt humores. Hæc à nobis hoc loco descripta sunt. non quin & alia multa & ea quidem utilia describi potuissent, sed nimis prorogaretur in longum tractatio hæc. quare ista visa sunt posse esse satis: si tanquam exempla accipiantur à iuuenibus medicis, quibus in his

rudimentis scribimus. Sed vt tandem possimus huic capiti finem imponere: de reliquis commemoratis affectibus sermonem aliquē breuem tamen habeamus, & de illis quidem qui naturam inflammationi similem habent, cum eadem, aut similem curationi inflammationis requirant, de qua aliàs copiosè sumus loquuti, superuacaneum videtur vltius de ea agere. Quare ad vlcerosos faciei affectus sermonem conuertamus. Hi duplici vel cōplicita ratione consistāt. cum & à præsente materia in loco sint concitati, & præterea adsit, & vlcus, & cum princeps curationis ratio à natura morbi depromenda sit: ideo necesse est etiam, vt curandi methodus duplici innitatur indicationi, quæ duplicem quoq; scopum spectandum ostendat, nam & materia præsens detrahenda, digerendum esse nobis indicat, & cum omnia vlcera præsertim exiccatione curentur, ideo & siccandū esse nobis ostendunt. & proinde, si Gal. imò rationem ipsam sequamur, medicamentis opus est in his curandis concoquētib; quidem digerentibusq; & detergentibus, & attenuantib; sicut in varis, sed longe etiam magis desiccantibus, quorū exemplatidē ex Critone deprōpta voluit proponere, omnia quidem acria & valentia. Sed nos illis volumus esse contenti quę hactenus fuere conscripta, cū omnia legi possunt apud Gal.

Gal. 5. de compos. med. secundum locos. & vt tandem absoluamus hoc caput, nonnulla de lichenosis seu impetiginosis faciei expululationibus dicamus, qui affectus, quanuis interdū lenis, & facilis esse videatur, nonnunquam præter turpitudinem, maximum suo pruritu negotium facessit, & sepe in scabiem transit, quandoq; malam & ferinam, & serpendo, per tingensq; ad oculos. Vnde imprimis habenda ratio multa naturæ vel modi istius affectus quasi videatur ferinam quãdam & malignam præ se ferre naturã, non debet acribus admodum medicamentis irritari exacerbariq;, quia hoc pacto malignior euadet, sed potius vt cætera maligniora vlcera, delinientib. & demulcētibus eius mollire feritatem. Sed si malignitate careat, tractandus est medicamentis ex proportione respondentibus, magnitudini et facilitati. Sed quatenus ad indicationes communes atq; etiã scopos pertinet, qui in constitutione methodi, qua curandus est affectus, cum ille ortū habeat à mixtura variorum excrementorum, quorū alia tenuia sunt ichorosa ferosaq; & acria, alia verò crassiora, eget in primis & ipse exiccantib. attenuantibus, & si cōcoquentia fuerint addita, non erunt præter rē vt tamē postea si factus fuerit transitus in scabiē, sint etiam necessaria detergentia. & quia hi lichenosi affectus diuersos habēt ordines:

ita etiam diuersorum ordinum medicamenta reperiuntur, quæ illis possunt aptari. aliqui enim adeo faciles & lenes sunt, vt sola saluæ frequenti quidem illinitione superari, & vt Gal. ait 10. de fac. simp. med. tolli possint; facillimum item remedium erit succus tritici ex eo vt docuit Crito exceptus hoc pacto. voluit multa eius grana incendi imponi, illisq; mox candentem & ignitam laminam apponi, ac eo liquore qui ignis vi è granis elicitur inungi lichenas. in eodem ferè ordine erit etiam syluestris malnæ fructus, si quando est tener mûdatur teratur, ex succo ex eo expresso illinatur impetigo, dum tamen frequens & fere continens fiat illitio. Præterea perdicium herba, quæ & parietaria dicitur, si illa affricetur loco impetiginoso, & liquor q; vi ignis ab oliuæ lignis vel à brasicarum caulibus dum comburuntur, destillat, huic rei utilis est, porrulaca etiã ab omnibus summopere laudatur, illo loco illinito eius succo, & lichene herba, quæ à quibusdam iunioribus hepatica solet nuncupari: dicta aut lichene à Græcis, quia lichenis sanandis maximè utilis est. Secundi verò ordinis sunt aphodeli, vel vt Latini appellant, albuci radix ex aceto cocta, ac deinde trita illita quæ, item viticis, vel vt iuniores dicunt, agnicasti folia trita ex aceto atq; apposita, eodem modo & capparidis folia ex aceto trita & in modum

dum cataplasmatibus redacta. cortices etiam radicem runcicis hortensis leuigati ex aceto, & eodem modo appositi, sicut chamæleontis radix parata eodem modo. & hæc quidem ualentiora sunt, quæ utilia sunt difficilioribus, uel uisustioribusq; , aut alia ratione eiusmodi affectibus. Sed adhuc uehementiora sunt quæ sequuntur, nempe sulphur ex aceto, item ammoniacum, & thus dissoluta ex aceto, præterea & pix liquida, & utrumq; alcyoniorum genus, utrumq; etiam veratrum & caprinum sterus. Longè uerò acrioribus uti consueuere antiqui medici cum callosi fuerint hi affectus, componunt enim medicamentum ex illis quæ ualde acria sunt, nam sæpe istis addunt misy, atramentum sutorium, squamam æris, & id genus reliqua. Sed nos iam receptui canamus. satis enim hæcenus sumus vagati, & de similibus medicamentis adeo copiosè, tum hæc tum supra in 3. li. horum rudimentorum loquuti sumus, ut illis perceptis facile quisq; possit medicamenta in medicorum tam antiquorum quàm recentiorum libris descripta rectè perpensa iudicare.

*De ratione compositionis eorum medicamentorum quibus aptè curari possunt narium affectus.*

Cap. XIII.

T t 3



**N**Vlla mihi particula esse videtur circa caput, quæ magis propinqua sit illis de quorum affectib. curandis hæctenus egimus, & cum illis maiori connexionе consuncta quæ nares sint, intra quas odoratus organum continetur: vnde meritò etiam & non absq; ratione quanuis alij alium ordinem seruauerint sequentes nostrum institutum possumus post illorum tractationem hanc de curandis narium affectib. per localia medicamenta subinde subiungere: & quia triplex officium habent triplicemq; afferunt animantib. utilitatem: ideo triplici etiã ratione lædi possunt, & proinde varijs & multiplicib. morbis sunt obnoxie. Sunt enim ipsæ, vel saltè continent odoratus proprium instrumentum: vnde proficiuntur actiones illi sensui primum attinentes. Et hoc illis est princeps munus, propter quod è natura sunt fabricatæ. sunt præterea via & quasi canalis introeunti & exeunti aeri qui per inspirationem & respirationem attrahitur & expellitur à pulmonibus. naturaliter siquidem fit inspiratio, & respiratione per nares quæ per os etiam fieri potest, sed non nisi quando nares obstructæ sunt, & id quidem non nisi propter aliquo accidens præter ipsius naturæ ordinem. Tertio est veluti cloaca, per quæ excernuntur excrementa quæ multa in capite & cerebro congeri solent. & quauis alia na-

rium munia sint digniora, præsertim verò quæ ad odoratus sensum pertinent, hæc tamen actio, qua excrementa cerebri, per hos quasi canales expurgantur ad sanitatem tuédam, præsertim capitis, magis videtur necessaria. Sed anteaquam ea aggrediamur quæ particulatim presenti huic nostro instituto magis attinent, hoc considerandum quòd narium, sicut & aliorum sensuum instrumenta duplices habent partes, ex quibus coagmentata sunt, aliæ quidem sunt exteriores, quæ & visui expositæ, aliæ verò internæ, quæ digniores, vtiliores & magis necessariae. exterior est ipsa cutis & os, quæ quidem, cum nullos habeant priuatos peculiareq; morbos, præter illos, quos communes habent cù alijs faciei partibus, præsertim verò cum reliqua illius cute: ideo neq; de illis opus erit eundem iterum sermonem repetere. Sed & internæ etiam aliquos habent morbos alijs ferè omnibus, quæ sunt eiusdem generis communes, de quibus nolumus etiam alioquin agere, cum aut parum, aut nihil eorù curatio in naribus euariet, nisi fortasse hac ratione, quòd cum sicciior sit natura téperaturaque narium, quàm oculorum, & eorum quæ tanquam instrumenta gustui inseruiunt: minus aut sicca quàm illa quæ aud' tui: nempe quam auris, ideo sicciiora requirit medicamenta, & illa quoq; si acriora sint facilius ferre quam o-

culus & os. in hoc tamen vt omnes ferè medi-  
 ci afferant, ab aure superatur. Quatenus autè  
 ad eos affectus pertinet, qui familiari, & priua-  
 ta quadam ratione in internis istius particulę  
 meatib. oriri solent, alij quidem illi magis at-  
 tribui possunt, vt sunt quasi vię vel cloacę per  
 quas capitis excrementa solent expurgari, &  
 per quas fit expiratio; in alijs verò, quatenus  
 ad sensum odoratus pertinet. Tres autem sunt  
 affectus, quibus secundum priorem rationem  
 nares obnoxie sunt, primus in genere solutę  
 vnitatis comprehenditur. est enim vlcus satis  
 malignum, & curatu difficile; quod ortum ha-  
 bet ab acris excrementis, quę à capite per  
 hos meatus defluunt. appellantur autem id  
 genus vlcera à Gręcis ozene, quia præter ma-  
 lam naturam vnde difficilime curationem ad-  
 mittunt, male etiam oleant, à quo foetore oze-  
 ne dictę sunt. & vlcera huiusmodi ex his sunt  
 quę spontè oriuntur, nempe influxu humo-  
 rum, non ex alia externa occasione. vnde ne-  
 cesse sit vt ab acris, vt nuper dictum est, hu-  
 moribus vel ichoribus, vt 3. de comp. med. se-  
 cundum locos scripsit Gale. progignantur. a-  
 lioquin enim non abraderent. præterea cum  
 male oleant, id fieri nequit, nisi putredinem  
 contrahant. & quannis ab hoc tetro odore nū-  
 cupatione habuerint, attamē non semper ma-  
 le oleant; sed semper cū corrosione sunt, egre-  
 que cu-

que curantur. alter verò affectus est, qui polypus dicitur, ob id quod constat substantia quãdã simili carni polypi marini piscis è genere mollium appellatorum piscium. est enim tumor quidam intra nares exoriens rotundus ab vna radice plerunquẽ tenui pendens, & interdum adeo excrescens, vt nõ modo repleat meatum, sed & pendulus extra exeat. vidi interdum æquantem magnitudine nucem auelanam maiorem, & carneus videtur esse is tumor & mollis, cuius caro cartilaginea similis carni polypi vel sepiz. Similem verò ortum habent communi quidem ratione hi duo affectus, sed particulatim postea differunt, nam vterque excitatur à succis vitiosis à cerebro primum, & proximè destillantibus, sed à suppositis partibus, vt à ventriculo, iecinore, & ab vnũuerso corpore similibus excrementis referto potest aliquod habere fomẽtum. particulatim tamen fluxiones differunt natura eorum quæ defluunt, quia ozena ortum habet à tenuiori & acriori fluxione, & sæpe sapiente aliquam putredinem. polypus autem generatur à crassa lentaquẽ pituita, ex qua ibi concrecente callescit mollis hæc & inutilis caro, aliquando tamen confluit aliqua maligna materia referens naturam atræ bilis: vnde polypus etiam gignitur sapiens naturã maligni & cancrosi tumoris. Et solet polypus fi-

enti & aliæ similes carunculæ molles, & inutilis, sequi aliqua ulcera, & ea præsertim quæ nimio scatent humore, & eo plerumque inutili. sed similis huic in alijs quibusdam meatibus aliarum partium, vt in meatu vrinario, tum virili tum muliebri, in meatu etiam auris, neque alioquin gigni potest nisi vlcus præcesserit aut abrasio, siue ex erosione sit factum vlcus, siue ex rupto aliquo tuberculo, vel aliqua inflammatione ibi ruptis. Est & tertium symptomata quod huic particulæ est quàmmaximè familiare, nempe immodica eruptio & profusio sanguinis. Sed de hoc paulò post sermò & particulatim proprio capite agemus ne nimis hunc sermonem confundamus. Redeam ergo ad ozenam, & polypum, vt methodum curationis instituere possimus. Hi ergo affectus sicuti vnâ in vniuersum sui ortus communem rationem habent, ita oportet vt in vniuersum communem habeant curationis methodum. Vnde cum sint affectus proprii narium, qui tamen originem & fomentum à fluxione à capite, & interdum etiam, & si non proxime, saltem per caput, à subiectis partibus fouentur. ideo statim duæ insurgunt primæ & communes indicationes. altera quidem à fluxione, quæ est causa morbi, ipsum efficiens & augens: altera verò ab ipso morbo iam aliqua saltem ex parte facta, & tempore quidem prior

prior quidem est, & quæ in initio vim maiore  
habet, est ea, quæ à fluxione fuit deprompta,  
statim ergo fluxionē reprimere interciperetq;  
oportet. Sed id nequit fieri, nisi remota cau-  
sa fluxionis, quæ vel à capite in primis peten-  
da est, vel ab alijs etiam, si quæ sint, quæ in  
hoc conspirauerint, utpote quia vitiosis vapo-  
ribus, & tandem humoribus caput repleant.  
Quare eò primum curatio conuertenda erit:  
nempe bene considerando quid in causa sit,  
quòd tāta & adeo vitiosa materia sit & in dies  
generatur, nā inueniemus esse aliquod vitiū  
intemperaturæ in eo contractum, aut aliqua  
obstructio in vjs quibus cerebrum expiari so-  
let à multis, quæ in eo continenter genera-  
tur excrementis. vnde his primum erit consu-  
lendū, nam & detrahenda primum per eua-  
cuationem præsens congesta materia, & quia  
prior sit inter initia hæc indicatio, ita tamen  
est eius habenda ratio, vt non omnino, & alte-  
ra negligatur. vnde si agendum est cum vacua-  
tione, eam tamen vacuationem molliri oportet,  
quæ non ducat materiam versus male affe-  
ctas nares, sed potius reuellat: talis verò fiat e-  
uacuatio, qualem nobis ostēdit natura excre-  
mentorū, vt ea, iuxta Hippocratis decreta,  
& talia purgentur, quæ & qualia purgari oportet,  
vt talis vacuatio conferre possit. Deinde  
corrīgenda est intemperies capitis, ac si qua

fit obstructio, illa erit referenda, mox verò sic-  
candum, roborandumque caput. Verùm cum  
hæc sint communia multis, immo verò omni-  
bus affectibus de quib. hætenus habitus fuit  
fermo: ideo superuacaneum videri possit de  
his particulatim magis agere velle, nisi fortè  
voluerimus hic quoddam cataplasma descri-  
bere, excerptum ex libello de facile parabilib.  
quod ibi refert tanquam id, quod vim habeat  
intercipiendi istiusmodi fluxiones. Confi-  
tur autem hoc modo. accipiuntur limaciæ duo  
integræ, nempe cū sua testa, thuris, sin. drac. j.  
myrrhæ drach. quatuor. his omnibus tritis ad-  
datur album duorum ouorū, & aliquid axun-  
giæ vt fiat commodum cataplasma, quod lin-  
teo excerptum apponatur. In hoc medicamen-  
to album oui, & limaciarum caro sua empla-  
stica & glutinosa substantia possunt sistere  
fluxionem. voluit autem cum testis teri lima-  
cias, vt præterea exiccarent. thus coquit ali-  
quantisper, exiccat et moderatè astringit. myr-  
rha verò concoquit aliquantisper, magis au-  
tem siccat, & digerit & discutit. & quamuis  
præterea Galenus multorum emplastrorum  
meminit, cuius confectiones descriptæ sunt  
in libris de compositione medicamentorum  
secundum genus, nos tamen in præsentia sub  
silentiò pertransibimus, tanquam illa quæ po-  
tius præter nostrum institutum esse videntur  
Cum.

Cum verò his rectè peractis, erit curatio conuertenda ad locum affectum & morbum, nõ erit amplius particulatim eadem in vtrisque curationis ratio seruanda, sed varia pro ratione diuersæ horum affectuum naturæ. cum enim ozena fiat ab acri mordaci, & sæpius putrescente succo, ideo primum spectâdi ijdem scopi, qui & in alijs vlcibus spectari solent quando facta sunt, & fouentur à fluxione vitiosorum humorum. in his enim primus qui nobis offertur scopus ratione vlcis est, exiccandum esse, cum communis vlcis ratio exiccatione in primis constet: cum verò locus hic sit maxime, & si quis alius, obnoxius fluxioni vitiosorū humorum, cum subiectus sit particulæ: quæ plurimum est excrementosa, sitque ex morbo factus imbecillior, & proinde facilis, & aptus ad recipiendum, mox indicatur repellendum esse. tertio etiam quia vlcus fouetur à multa materia iam absorpta in affectu, nobis ostenditur illam esse evacuatione detrahendam. & propterea Galenus tertio de compositione medicamentorum secundum loca rectè collegisse videtur, quod materia medicamentorum, quæ his vlcibus curandis idonea sit, oportet vt desiccandi facultatem habeant: præterea verò repellendi, & digerendi, & hoc quidem quatenus ad communē eorum rationem pertinet. Sed hæc magis parti-



culatim disquirenda sunt, quia quæ siccant, quæque repellunt, vei digerunt, non eas facultates æquales habent: sed varij sunt illis ordinis, sicut & istius generis vlceribus omnibus non est par ratio, sed in illis sunt varij ordines in facilitate & difficultate, cum alia recentiora sint, alia quæ iam inueterata sint, vt ferè sit iam habitus particulæ immutatus. Vnde faciliora curatu, præterea alia maligniora, quæ acriora & fortiora desiderant remedia, alia minus maligna, quæ poterant facilioribus leuioribusque superari. Quia semper remedia debent morbis accommodari, vt in aphorism. docuit Hippocrates, vt præterea nunquam sit prætermittenda illa indicatio quæ à natura laborantis corporis, quia molliora & iuniora senioribus & minus vehementibus: solidiora verò ac seniora acrioribus & validioribus sunt tractanda. & si quæ particula nostri corporis desiderat in vlceribus cautè tractari, maxime ræres istud requirunt, quia facile vlcera in ipsis si nimis exasperentur & irritentur malignitatem contrahunt, & cancerosa sũnt. Sed iam hoc negotium magis particulatim tractemus. Varios itaque ordines in hac medicamento- rum classe reperiri diximus, vt possent facillè omnibus differentijs horum vlcerum aptari. nam alia sunt faciliora, & leuiora, alia verò verò vehementiora & acriora. Rasis quidem in-  
ter ist.

ter initia, & anteaquam adhuc sit factum vl-  
cus, sed efflorescunt vesiculæ intra nares, quæ  
paulò post ruptæ in vlcus desinunt, ad ex-  
iccandum tenuem illum humorem in illis  
contentum, ne succedat vlcus vitur lina-  
mento acri aceto immerfo, cui fit aliquid salis  
additum. excicat enim satis validè & repellit  
digeritque. Excitato autem vlcere plerique  
medici, si crustosum fuerit id in primis procu-  
rant, vt crusta cadat. non quidem ea vnguib.  
aut alio simili instrumento vi detracta, quia  
id sine dolore fieri nequit, vnde & irritantur  
vlcera, & magis concitatur fluxio. Sed his me-  
dicamentis quæ molliant. aliqui enim foru a-  
quæ aliquantulum calidæ, alij vaporibus cali-  
dæ aquæ ea in vase stricti orificij imposita, at-  
que naribus illo supposito. ablatis verò crustis  
tunc curâda vlcera, & si aliquantisper videan-  
tur sordida, lauanda erunt aliquo liquore in  
quo sit vis detergendi, & desiccandi, maior ve-  
rò vel minor, pro ratione qualitatis tum vlce-  
ris, tum etiam vt sæpe diximus, corporis ma-  
le affecti. Sunt autem huic officio maximè a-  
pta mulsæ aqua, vel vinum mulsæ, de quib.  
fuit in priori libro sermo habitus. hic autem  
satis erit dixisse, quod desiccet magis, itemq;  
detergit, & aliquantisper magis mordax est:  
vnde accommodatum erit deterioribus vlce-  
ribus, nisi tamen ea fuerint dolorosa, & acris

sensus, ut ægrè possint ferre hoc medicamentum, quia nimis mordax est. multa vero lenior est & minus mordax. aliqui etiam dicunt utilem in his esse usum urinae, & hoc Galeno attribuunt, quod voluerit uti urina asinina, ad ulceratas nares, præsertim in malis ulceribus. Sed usus in his urinae pueri fortasse tolerari posset, abhorret Galen. horum sordidorum medicamentorum usum decimo de facultat. simplicium medicamentorum, eosque medicos, qui illis utuntur, sordidos appellat, sed itidemque neque ægroti eos admittunt, præsertim ut affectibus capitis, faciei que & tandem superiorum partium, cum non desint alia medicamenta, quæ possint honestis & civilibus viris administrari, & maxime cum aut ore assumenda aut vehementer attrahenda per nares, laudat tamen chryfocollam, quæ fit ex urina pueri ad curanda difficilia ulcera sordida & putrida. Quatenus verò ad carnem generandam in his ulceribus siquidè recentia sint & nondum rebellia, pertinaciaque, multa communia appellata unguenta, possunt esse satis, ut quod ex cerusa fit, immo cerusa præsertim lota ac ex oleo rosaceo assumpta potest præcipue tenellis corporibus satisfacere, si interiores nares illinantur, aut his delibutum linamentum imponatur, seu trita & in pollinem redacta insuffletur, ita etiam pompholyx, vel  
 turia

tutia parata & lora, vt in præsentia vbique parã reperitur, vel arida insufflata, vel eius vnguentum illinatur, vel ex linamento exceptũ imponatur. itemque ex plumbo vsto & loto confectum medicamentum. quæ omnia non solum in his non admodum malis & difficilibus vlceribus sunt vtilia : verum & illis quæ adeo maligna sunt, vt à vel modice acris exacerbentur. Sed & diachalciteos, quod à multis diapalma nuncupatur. Galenus ait se multoties vlcera narium maligna etiam & in tennellis corporibus, solis aridis rosis & tritis, & vlceri inspersis ea curasse. Quod si maligna & erodentia iam vlcera euaserint, & putredinis non expertia, tunc acrioribus esset opus medicamentis, nempe quæ maiorem vim exiccandi & detergendi habent, vt esset vnguentum illud, quod Apostolicum appellant, descriptũ ab Auicena & Ihsa Galeno, & Ægyptiacum ab Arabibus, de quibus priori commentario exactius egimus. Sunt & multa alia quæ ab antiquis medicis descripta reperiuntur, quæque possunt in eorum libris legi: neque enim volumus omnium meminisse, ne equo simus longiores. Sed de polypo sermonem instituemus & breuem quidem, quia parum differt ratio curandi hunc & illum affectum, imo plerunque authores eisdẽ medicamentis vtrumque curant, & de eisdem eodem capite agere

consueuere, & præsertim de illis agemus me-  
 dicamentis, quæ in familiari usu fuere Galeno  
 & multa experientia ab eo probata, hoc pri-  
 mum constituto, quòd cum polypus sit inui-  
 lis, & mala caro, quæ præter naturam huius  
 particulæ excreuerit, infurgit indicatio illam  
 detrahendi, si in proprium & naturalem statum  
 illa sit reditura. detrahi verò potest, aut ope  
 manuum & chirurgicis instrumentis, nempe  
 aut abscissione, aut vitione, vel vi medicamen-  
 torum valide detergentium, aut desiccantium  
 & discutientium: ut tamen prius considere-  
 mus, an id cõmode & tuto fieri possit. quod  
 cognoscemus cõsiderata natura affectus. sunt  
 enim polypi nonnulli malignæ cuiusdam na-  
 turæ, utpote qui fuerint geniti ex humore ac-  
 cedente ad naturam exulti humoris & melan-  
 cholici, qui exasperati facile transeunt in carci-  
 noma, atque incurabiles euadunt, & proinde  
 neque tractandi sunt: nisi blandis admodum,  
 & lenibus medicamentis, in quibus satis fue-  
 rit, si contineantur ne serpent, & maligniores  
 reddantur. cognosci verò & discerni possunt  
 duricie, colore & adhesionem, nam qui mali-  
 gnioris sunt naturæ, duriores sunt iuxta natu-  
 ram humoris, à quo sunt progeniti, suntque  
 colore liuido aut subatro, cum alteri sint vel  
 albi, vel ad rubrum vergant, & molliores sint,  
 & præte-

& præterea magis soluti, & quasi ab vna tenuique radice pendent, cum alteri maligni hæreant, & quasi affixi sint ipsi narium meatui, suntque aliquantulum dolorosi. Hi itaque cum nondum vlcerati sunt, ita dimittendi neque irritandi, aut vlla ratione tentandum ut detrahantur, & si ad vlcus aliqua occasione deuenierint, ut similia vlcera in alijs partibus blandiendo regenda sunt. Qui verò curationis sunt capaces, si iam, ut aiunt, sint confirmati medicamentis paulatim sunt absumendi & discutendi, quia hæc curandi ratio minus molesta erit, quamuis longior, aut acerbis & exedentibus auferendi vel abscindendi ferro, vel causticis appellatis medicamentis, aut igne, candentibusque instrumentis vrendi, sed de ferro vel igne loqui, ad præsens institutum non pertinet: de medicamentis quæ vim habent exedendi, & quasi exurendi non est cur multa dicamus. nam huic officio omnia illa possunt accommodari, quæ in alijs locis reprimere & absumere possunt superexerescentem carnem. Ut semper tamen nitamur hoc illis perficere, quæ minus dolorosa sunt & minus exasperantia, facilius verò id assequemur, si rationem habuerimus naturæ ipsius affectus, quia recentiores & inter initia facilius & minori labore, minusque acerbis & vehementibus negotiû conficiemus. cû vero inu-

terascunt & indurescunt, remittuntur magis & non cedunt, nisi illis remedijs, quæ vim maiorem habent. itidem si ad naturam corporis respexerimus, nempe consideremus an tenuellum sit corpus, vt pueri, muliercularum, & eunuchorum. ita verò eius qui solidiores & duriores carnes plerunque habent, vt rustici milites & tandem qui in multis laboribus præsertim sub sole & in puluere exercentur. Nam priores fortiora & acriora medicamenta, ferre nequeunt, vt magis ab illis lædantur exacerbenturque, facilius autem leuioribus & moderatioribus cedunt; ita enim nos docuit Galenus exemplo cuiusdam eunuchi, qui polypo laborabat cum defluxu multi humoris per nares, neque alia medicamenta fortiora tolerare poterat. illum tandem curauit solis folijs aridis rosarum tritis & in tenuem puluisculum redactis polypoque inspersis. Sed ni fallor, in similibus vtiliter salubriterque vti possemus myrobalanis istis, quibus in presentia ad purganda corpora vti solemus, cuiuscunque generis illa fuerint, siue cirrinæ, siue aliæ, nam omnes astringunt satis efficaciter, & non parum siccant. ita & cytini malorum, pumicorum, & malicorium. Galenus verò eodem loco, nempe tertio de compositione medicamentorum secundum locos capite tertio in fine docuit conficere medicamentum, quod

quod s̄pissime & felicis. expertus est. nam  
citra vllum morsum desiccatur, astringit, & ex-  
crementosam humiditatem absument, vnde o-  
ptimum semper illi visum est medicamentum,  
tam ad polypos tollendos quàm ad vlcera vel  
etiam mala in naribus curanda. cuius confe-  
ctio in hunc modum se habet, vt tria accipia-  
m̄s mala punica, nempe trium illarum diffe-  
rentiarum, nempe dulcis, austeri & acetosi.  
sint autem magnitudine paria, & matura &  
recentia: simul autem omnia in mortario pro-  
be terantur tota, vt ex illis succus possit expri-  
mi, qui expressus aliquantulum coquendus  
est, vt consumatur superuacanea si qua sit eius  
humiditas, vt imputris seruari possit. nam in  
stanneo vase illum seruari voluit. quod verò  
crassius ab expresso succo remanet, iterum at-  
terendum in mortario erit, vt leuigatum po-  
stea possit formari in collyria quæ aptari pos-  
sint meatui narium, quando eruat imponen-  
da, consumit enim tandem polypum, quam-  
uis non admodum cito, sicut acriora medica-  
menta: sed citra vllum morsum aut dolorem  
alicuius partis, quod nō præstant acriora me-  
dicamenta. attamen quia plerunque accidit,  
vt eiusmodi solidiora medicamenta nequeât  
intra nares contineri tum propter illorū mo-  
lestiam & incommodū, tum verò quia abluū-  
tur à perpetuo ferè defluxu humorum à capi-



te à quibus diluitur medicamentorū vis, cum auferenda sunt collyria. succus ille seruatus loco affecto illiniri poterit insigni utilitate. hoc ita parato, vti consuevit Galenus. alij tamen præfertim verò iuniores & alia addere voluerunt, vt myrobalanos, gallas interdum & alumen, quæ alijs medicamentis accommodatis affectibus istis addidere antiqui. Gal. tan. 600 ita simpliciori se esse vsu cum felicitatâ successu testatus est. Quod si adeo difficilis & renitens videretur is morbus, vt istis non cederet, vel ægrotus visus esses impatiens, se transire solitum fuisse ad pattillos seu trochiscos ab antiquis descriptos ad similes vsus, nempe ad corrigendam vlcera malignitatem, & absumendam carnem succrescentem in vlcerebus, vt sunt Andronis, Polyidæ & Passionis, de quibus quantum videbatur. posse esse satis in priorilibro fuit habitus sermo. In præsentia autem in quamplurimo est vsu puluis ille qui præcipitatum dicitur, & conficitur ex hydrargyro more alchimistarum appellato, destillato in vasis vitreis, repetita destillatione donec tabescat. infusa tamen prius aqua, qua aurum ab argento separatur ipsi hydrargyro in sesquialtera proportione de quo alias Sicut aut fuit inuentum alchymistarum, ita etiam nomen habet ab illis. nam potenter detergit, desiccet & digerit, sed etiam astrin-

genda

gendo fluxionem repellit, optimum quidem est medicamentum, & validum quoque: citra tamen dolorem vel morsum insignem. verum longe etiam lenius redditur si perinde lauetur, vt alia mineralia post eorum vstionem Galenus lauare docuit. Hic autem exemplo, & consilio Galeni moniti considerare debemus quantum melius agatur cum medico, si potius sibi veram methodum compareret medendi, & rationem, qua recte componuntur medicamenta, quam si habeat multa composita medicamēta in aliquem commentarium descripta, aut à suis præceptoribus, & alijs medicis, & illud tanquã secretorum thesaurum secum ferat. neque postea calleat methodum illis vtendi opportunè. nam qui rationem potius didicisse voluerit, ille vbicunque fuerit medicamentis non carebit, & optime opportunissimeque vtetur tam illis quæ fuere ab alijs inuenta, quam quæ ipse composuerit, seque facile accommodabit non solum naturis, sed moribus etiam quorumcunque hominum, vt ipse Gal. loco citato se accommodauit cuidam diuiti & delicato, qui non poterat sufferre ingratos odores aliorum medicamētōrū, de quib. antea mētio facta est. excogitauit vti odorato quod medicamēto, sed in quo illæ oēs vires reperirētur, quas præscripti scopi requirunt, vsus est medicamēto cuius memi-

nere omnes qui de conficienda Theriaca scri-  
 psere, quia vnum ex illis est, vnde antidotus il-  
 la cōficiatur, appellatur aut Græce dichroos,  
 Possimus præterea & cyphi vti, si ad ea ex qui-  
 bus confectum est, respiciamus. quod medi-  
 camentum accipitur in Mirridatica antidoto:  
 Quatenus verò ad modum vsus pertinet, quia  
 trochisci istiusmodi egēt aliquo liquore quo  
 assumantur vbi triti fuerint, vt in collyrij for-  
 mam conformari possint: ideo idem Galen.  
 docuit accipiendum esse acetum vel vinum,  
 & vinum aut vetustius aut minus vetus, item  
 acetum, aut acrius aut etiam minus, prout res  
 videtur maiorem aut minorem requirere de-  
 ficcationem. nam vinum vetus nouo magis  
 deficcet. vino acetum magis deficcet. illud au-  
 tem magis quod acrius fuerit. Sed tandem vt  
 huic capiti finem imponamus, ad aliud sym-  
 ptoma proprium huic particulæ sermonem  
 conuertamus, nempe de eruptione, & im-  
 dico sanguinis profluuio ex naribus. de quo  
 cum non admodum multa, quatenus tamen  
 ad præsens institutū pertinere potest, occur-  
 rant dicenda, ea hoc eodem capite cōprehen-  
 damus. Hæc itaq; sanguinis multa profusio  
 symptoma est, quod ad exeuntiū excretionē  
 pertinet, quæ præter rationem fieri solet (nā  
 vt sæpe testatus est Galen, omnis excretio san-  
 guinis est à toto genere præter naturam ex-  
 cepta

cepta muliebri menstruorum purgatione) & hac ratione quatenus symptomata sunt, nullam habet vim indicandi: nisi si quando adeo copiosa fiat vacuatio, ut viribus subeat periculum, ne labefactatæ concidant, quo casu vim indicandi assumit, adeo ut sæpe occasionem alijs omnibus præripiat: sed tunc non habet amplius rationem symptomatis, sed causæ, alioquin enim affectus, qui istius symptomatis sunt causæ, ipsi sibi indicandi rationem vendicant. causæ verò sunt multiplices, de quibus nonnulla dicemus summatim, hoc primum posito, quod locus proprius in quo naturæ instituto sanguis servatur sunt venæ & arteriæ: unde confertim & copiosè sanguis effluere nequit, nisi aperta vena aut arteria, quæ nequeunt aperiri, nisi aut ab externa causa, & procatarctica, si incidantur, vel frangantur & dilacerentur, vel si erodantur vlcerenturque ex aliquo acri & erodente medicamento, vel ab interna antecedente, ut ab acri & erodente excremento destillante præsertim à capite. vel aperiuntur ora illarum, quæ ad nares terminantur, aperiuntur autem, aut ob nimiam earum plenitudinem aggrauantem naturam, quæ deinde excitat expultricem facultatem, vel ex acri pungente & mordente, vel ex nimis calido sanguine, vel ex infirmitate venarum, & concentricis facultatis, quæ in

eis sunt, ex mala aliqua intemperatura, à qua fit correpta hæc particula. Quandoque ab ipsa natura sponte sua agente non vi alterius morbi: quippe quæ morbum aliquem, præsertim acutum hac ratione indicatura est, vel ex nimia sanguinis tenuitate, vnde vel nequeunt vel ægre queunt ipsum continere. De resudatione autem, quæ fit tum ex tenuitate sanguinis, tum ex raritate vasorum, non est cur multa dicamus, dum rarissimè hac de causa, & in multa copia possit sanguis effluere. His verò positis, aut omnis, aut princeps indicatio est petenda ab ipsis causis, nempe, vt primum remoueantur, quia remotis illis, aut sponte sistetur sanguinis profluvium, aut paruo negotio. Sed si occasionem habet à nimia copia sanguinis, vel à natura indicante aliquem morbum, nulla ratione illi occurrendum est, neque sistendum, nisi tanto impetu concitata natura moueat vt iam vires illud timere incipiant, alioquin enim euacuata copia sanguinis, quam euacuari expediebat, desinit illa profusio ex se. De soluta autem continuitate ex vlcere vel vulnere, vel fractura in narib. paulò antea sermo à nobis habitus est. De infirmitate venarum, quæ earum intemperaturam sequitur, satis nobis fuerit quod contrarijs, tam in victus ratione, quàm in medicamentis sit corrigenda illa intemperatura. **Qui**  
bus

bus ita summatim expositis accedamus ad rationem claudendi ora venarum quocunque modo fuerint aperta. Verum si præceps fuerit impetus sanguinis irruentis ad nares: nisi prius impetus ille refrenetur, aut ægre admodum claudi poterunt, aut nequaquam, nullū efficacius impetum irruentium humorum refrenat & intercipit, quam reuulsio, tum cum vacuatione, tum sine vacuatione. quare nisi vires imbecillæ, vel ætas obstant, secunda est vena humeralis, vel cephalica, qua respicit nares unde exit sanguis. Sed si hæc obstant, illud idem agere conitendum est aut incisis cucurbitulis, vel sine præcisione etiam, circa aliam vacuationem, affixis illis infernis partibus, præcipuè verò præcordijs vel altero, vel utroque si ex utriusque, vel ex altera tantum nares fiat sanguinis excretio. mox verò externis remedijs agendum erit, quæ refrigerando imprimis & altringendo, partim repellere, & aliò conuertere possint motum sanguinis, præsertim verò deorsum, ut si aqua frigida in faciem frontemque irroretur, vel aspergatur, vel etiam posca, aqua nèpe frigida immixto aceto, vel si linteus his iridem frigidis, vel similib. alijs madefactis ceruici nudæ inuoluatur, postremo nari ea iniiciantur quæ possunt altringendo id præstare & aliqua præterea emplastica facultate claudere ora unde exit sanguis, et quæ

uis ab antiquis medicis multa descripta sunt huic officio apta medicamenta. ait tamen Galenus se aliud non inuenisse, quod præstantius id præstaret quam medicamentum id, quo, & in vulneribus, & in alijs omnibus affectibus, in quibus solet talis fieri sanguinis eruptio, uti consuevit, ut est illud, quod expositum fuit in priorilibro, ubi, & de alijs pulueribus egimus, quos ab effectu constrictiuos medici nuncupant, & quia superuacuum esset de illis hinciterum verba facere, ideo hic consistemus. Nam & si possemus aliquem fermonem habere de affectibus per apta medicamenta curandis, qui proprij sunt istius particulæ, ut est instrumentum sensus odoratus: quoniam tamen omnes vel in ipsum cerebrum, vel destillationem, vel polypum, vel inflammationem, vel scirrhum, vel id genus alium quæpiam meatus obstruentem tandem referuntur, de quibus seorsum & hætenus egimus, & suo loco agemus, ne in longum nimis nostra protrahatur oratio, eorum curatio nē consulto hinc prætermittimus, illud tantummodo monendo, quod quemadmodum omnium aliorum sensuum, ita odoratus actio læditur vel imminutè, cum obtusior est in ea sensus, vel ablatè, cum omnino tollitur, vel deprauatè, cum vitiatur corrumpiturue, ut cum foetorem ex interno aliquo initio percipi videtur

detur: id quod fieri non potest nisi ex putrescente aliqua interna humiditate, quæ deinde putredo præsertim intemperiem earum partium calidiorem sequi solet. Quando autem imminuitur, vel tollitur, vel est ex defectu facultatis in suo principio, nempe in cerebro, vel ex aliquo vitio contracto in instrumento quia sint viæ transitus odorabilium ad ipsum sensum obstructæ, obstructio fieri potest, vel à materia crassa destillante à capite & obstructe meatus ossis, quod à cribri similitudine ithmoides dicitur, vel ex aliquo rumore præter naturam orto in narium meatibus, vt polypus, inflammatio, scirrhus vel quid simile. igitur hoc tantum addito, quod ad aperiendas internas obstructions excitatas à crassa materia infarcta in naribus inde inspirationi & odoribus intercipitur transitus, solent medici vti suffitu decoctorum earum rerum quæ vim imprimis habent attenuandi & secandi, quorum non semel prius facta est mentio, & proinde non toties repetenda: quæ decocta si ex aceto, & illo etiam acri fiant, efficaciora erunt. finem ergo huic capiti imponamus, transeamusque tandem ad ea quæ auribus contingunt.



*De medicamentis, quibus utuntur medici in aurium affectibus ex ratione curandis.*

Cap. XIII.

**S**icut non admodum dispar est ratio eorum affectuum, quibus aures obnoxie sunt, ab illorum ratione qui nares corrumpere solent, ita neque admodum utrorumque dissimilis erit ratio curationis, si aliqua autem sit differentia erit ea quæ à differenti natura eorum depromenda est. Nam si compositionem auris consideramus, illamque naribus conferamus, aures sunt aliquanto (ut omnes præsertim anatomici testantur) quam nares sicciore: unde in morbis, qui in utraq; particula ad idem genus pertinent, sicciore medicamenta requirunt, & facilius ferunt aures quam nares. Sed exquisitiori sensu à natura donatæ sunt interiores aurium partes, quam nares. loquor autem de sensu tactus in præsentia, ratione cuius vehementioribus doloribus auris exposita est, quam nares. hoc autem habet, quia ad aures natura nervos insignes, & molles ex illis coniugationibus nervorum qui statim interiori à cerebro sunt deducti. atque ea membrana, quæ interno auris meatui undique prætensa est à membranis cerebri derivatur. Nimirum ergo ex his duobus capitibus occa-  
siones

tionem habet quæcunque est differentia, in compositione & usu medicamentorum attententium curationi affectuum harum particularum, sed antea quam particulatim rem agrediamur, hoc etiam consideremus, quod sicuti affectus qui externis partibus accidere possunt ut abscessus, tubercula, ulcera, & id genus alia, non habent diuersam aliquam rationem ab illa, quam habent similes in alijs partibus. ita eidem curandi rationi subiecti sunt. Quam ob rem, ne in superuacaneis laboremus, neque ubiq; eadem repetamus, de internis partibus sermonem instituemus. Internæ verò partes duplici modo considerandę sunt, altero qui secundum se, quatenus nempe ad propriam earum naturam pertinet. altero verò quatenus ex illis compositum est integrum instrumētum, organum sensus auditus. Quatenus ad primam rationem, obnoxia est auris omnibus intemperaturis tam simplicibus, quàm compositis citra materiam, & cum materia, in quo genere sunt inflammationes, & reliqua, quæ in genere tumorum præter naturam à medicis recenseri solent, sunt præterea obnoxie omnib; affectibus, qui in solutione unitatis consistunt, & eis tandem omnibus quorum comes potest esse dolor, sed & obstructionibus. Quatenus verò ad secundam rationem spectat, expositæ sunt omnib; illis affecti

bus à quibus primum potest lædi actio istius sensus. læditur verò tribus illis modis, quibus aliorum sensuum actiones lædi solent, quia aut omnino tollitur vt in surdis, aut hebetatur, vt in surdastris, aut viciatur ita vt perperam audiant, seu obaudiant, sicut in illis, qui sibi videntur exterius sonum audire earum rerum, quæ tamen tunc nullum strepitum exterius edunt, vt sibilos, vel catapanarum sonos, vel fluentium aquarum vel ventorum, & id genus alia multa. Sed de prioribus primum agemus, primumque de dolorosis aurium affectibus, posteaquam maximos, & vehementissimos maximeque molestos interdum dolores illas corripiunt, quorum in vniuersum, vt omnibus medicis in confesso est, duplex est causa, intemperatura, quando confertim & citò transmutatur, itemque solutio continui velox, dum ipsa etiam fit: non autem cum iam facta est. prima autem ratio pertinet ad frigidam vel calidam; si magnus sit dolor, humida nisi cum materia fuerit non efficit dolorem, & quando efficit, non ratione qualitatis & transmutationis, sed ratione materiae, quatenus aut aggrauando, aut replendo & distendendo, & subinde dilacerando continuū soluit. Siccitas verò, vt qualitas est, aliquem concitare dolorem potest. Sed non admodum magnum. Cum ergo insignis excitatur in  
aure

aure dolor, à nimio calore, vel externa causa, vt solis æstu, quo male fuerit affecta, aut ab igne, qui vicinus nimium illam calefecerit, aut feruentia aqua in aurem iniecta. Vel interna nempe à calida fluxione calidiorum humorum, quando calore potius afficiunt, quàm quod replentes distendant. interdum verò vtroque nempe, & quia calefaciendo transmutant, item quia replendo & nimis extendendo distrahunt & ferè dilacerant affectas partes, vt fit in inflammationibus. à frigore etiam vtroque modo gignitur dolor à causa nempe externa, vt à frigidiori aere: præsertim cum vento frigidiori, quia ventus cum impetu statim irrupit aurem, ideo antequam frigus remittatur, potest magis particulam afficere. Solus autem aer in ingressu illo flexuoso diutius moram trahens, antequam intimas partes pertingat à circumstantibus, sæpe fit, vt deinde nequeat plurimum lædere internas auris partes: sæpe ab aqua frigida se in meatum auris insinuantem possunt vehementes concitari dolores, sicut interdum accidit natantibus, & immergentibus se in aquis frigidis vel communibus vel medicatis & mineralibus. Sed ab interna & antecedente causa itidem potest dolor occasionem habere, vt ab aliqua cruda pituita, vel ab humore melancholico, si è capite, cerebroque deflexerint, præsertim verò vehe-

mentes afferunt dolores si rarefacti & non discussi à calore auris non admodum valido inflatum vertuntur, qui ibi intrusus & inclusus, dum exire nititur, indeq; erumpere partibus præ nimia distensione quasi dilaceratis, validos cit dolores. Ratio itaq; inueniendorum componendorumq; medicamentorum aptorum curationi horum affectuum duobus incutitur fundamentis præcipuis. nã oportet vt medico sit optimè perspecta materia medicinalis, nempe vt noscat naturas & vires simplicium medicamentorum, nec id in vniuersum, & cõfusa cognitione, sed particularim & distinctè, quantum ad eorum ordines spectat. Deinde verò vt probè etiam teneat, atque respiciat, & in rectum ordinem redigat scopos, quos offerunt indicationes, quæ fuere depromptæ, tum ab affectus curandi natura, tum verò à natura corporis mali affecti, ac itidem particulæ laborantis. atque ab alijs, quæ tandem in hæc referuntur. Et quantum ad intemperaturas simplices citra materiam, illæ quidem, vt pote quæ simplices sint, simplices etiam offerunt scopos: nimirum illas contrarijs remedijs quantum ad qualitates attinet, in quibus à naturali temperamento factus est excessus, oppugnandas esse, selectis tamen illis quæ naturæ illius particulæ accommodari ex ratione possunt. Sed si à materia pendent, & foueantur,

tunc

tunc multiplices exurgunt scopi, à pluribus indicationibus emanantes. nam indicatio à materia desumpta ostendit prius illam materiam quæ fecit & fouet illam intemperiem de trahendam esse, quare statim exurgit scopus euacuandum esse. instrumenta autem illa quibus probè euacuari potest ea materia, nobis ostendit naturam humoris fouentis, vt docuere Hippocrates & Galen. primo aph. euacuata autem materia, quæ bifariam potest euacuari. nam vel vt præcipuè reuellamus, quod maxime necessarium est, cum affluxione pendet vniuersa ferè occasio excitandi morbum illum, & hanc vacuationem statim ab initio oportet moliri cum morbo inchoant, vt procul à loco affecto conuertatur fluxio, vel vt tantummodo euacuemus, quod conuenit, cum vniuersa iam fluxit materia, aut ferè vniuersa, euacuatio autem necessaria est, quia fluxam & iam receptam materiam à loco affecto proximè detrahat oportet. loca verò per quæ opportunè possit ea fieri maturatio, ostendet situs ipsius malè affectæ particulæ, & coniectio vel communitas cum alijs. Quæ ita summam à nobis exponuntur, cum illa non pertineant propriè ad præsens institutum. hoc tamen, anteaquam magis particulatim conuertamus ad rationem medicamentorum, addendum putamus, quod cum auris particula sit,

quæ in capite sita est, & quasi pars eius, & maximam connexionem habeat cum cerebro, à quo multa suscipere potest excrementa, tum suapte natura, tum etiam ex alijs occasionibus, quæ sunt præter vtriusque naturam, opus est, vt medicus rationem habeat vniuersi corporis, si illud multis superuacaneis humoribus scateat, à quibus aurium affectus foueri possit. Sed mox, & capitis, vt & ipsum proprijs & consuetis instrumentis euacuetur, quibus recte peractis localibus remedijs res ipsa tractanda erit, quorum princeps ratio à supradictis indicationibus erit petenda. quia si dolor, vel alius quiuis affectus pendeat ab aliqua materia fluente in eum locum, si res in principio fuerit, sicuti si inflammationis esset initium, auertenda inde esset fluxio. auertunt autem ea, quæ refrigerant, vt sæpe aliàs dictum est. postea euacuanda est illa, quæ iam influxit materia, quod per digerentia fieri poterit, dum verò partim fluit adhuc, partim iam fluxa est, commixtis & repellentibus & digerentibus curandus erit affectus. Et quamuis communis hæc sit ratio omnium affectuum curandorum, quando sunt à fluxione: tamen maximè, & præ alijs attribuitur inflammationi, vt pote qui sit morbus magis præceps & acutus, qui que longe vehementiores affert dolores, & proinde difficilius

lius ferri potest, & celeriora, maioraque media requirit. Si itaque, vel inflammatio vel alia alioqui affectio dolorosa, à fluxione calidiori concitata erit, si quidem magna fuerit cum pulsu, vehementioribus erit remedijs locus. Ut tamen id imprimis consideretur an adeo urgeat doloris sænicia, ut iam sibi aliquam indicationem arroget, quæ etiam interdum tantam vim habeat, ut obscuret alias indicationes, quæ ortum habuere, vel à causa, vel ab ipso morbo: quia tunc opus esset incumbere vel omnino vel ex maxima parte sedando dolori, sed si alijs nequiremus auxilijs, saltem illis, quæ vim aliquam haberent stuporem inducendi, ea narcotica à Græcis dicuntur. Verùm nisi ita urgeat dolor & mediocris sit inflammatio, lenioribus erit agendum repellentibus ea commiscendo, quæ propriè anodyna dicta sunt, nempe quæ cum aliquo, modico tamen calore aliquantulum laxant & digerunt. Sed si importunior sit dolor, & iam limites pertransit, quibus perferri iam & tolerari à natura possit, necesse esset addere etiam illa, quæ stuporem, ut diximus, adducerent. At magis particulatim agamus, & ea medicamenta describamus, quæ magis præcipua, & in frequentiori & magis familiari usu & antiquitus & nostris temporibus esse solent. primum ergo, & præ



omnibus alijs, fit vbique mentio olei rosacei: addit ramentum Galenus, si optimum fuerit rosaceum. optimum verò est id, quod fit repetitis sæpius, & mutatis rosarum folijs, si que oleum optimum fuerit & immaturum. ita enim erit, & magis refrigerans & magis astringens. hoc ergo statim ab initio infundendum tepidum in auris meatum. Secundo verò loco à Galeno & alijs laudatur oxyrrhodinum, hoc est oleum itidem rosaceum immixto aceto, de qua mixtura, in primis istius quarti commentarij capitibus, quatenus opportunum huic instituto esse videbatur sermo fuit habitus. Verùm antiqui medici duplicis modi, quo parari hoc oxyrrhodinum possit meminere, primi quidem Galenus, nam cum vsurus illo erat, acetum, vt superius diximus, oleo infundebat, vt exquisita fieret mixtura agitabat & concutiebat, statimque auri infundebat. Mese verò accipiebat tantundem vtriusque, deinde ad ignem positum procurabat, vt ad consumptionem aceti deferuescerent, deinde tepescens medicamentum infundebat. mihi verò videtur, quòd primum magis refrigerare possit, quia si Galeno credimus, quæ diutius ab igne coquuntur, ab eo etiam aliquid ignei contrahunt. Quod si videretur feruor adeo ingens & fluxio vt & maiori esset opus refrigerata.

geratione, huic medicamento addebant aliquam portionem alicuius succi, qui refrigeraret, astringeret, & subinde repelleret. antiqui glaucium addebant, aut collyrium ex eo confectum, de quo egimus, ubi de affectibus oculorum fuit institutus sermo, meminit appellare hanc herbam ubique Arabes, quia ea caremus in presentia, sub silentio preteribimus. possemus pro eo alio uti succo refrigerante & astringente, ut esset succus polygoni, capreolorum vitis, caudæ eqninx, solani aut germinum rubi. Quod si dolor aliquod præterea videtur postulare, quod refrigerando quidem, sed magis deliniendo demulceret: accommodatissimum, ut in primis Galenus & cæteri Græci, deinde verò Mesue & Arabes consulunt, esset lac muliebri ita calidum in aurem multum, aut album ouiconquassatum & tepesfactum. verum tamen quando adhuc inualesceret magis dolor, tandem illis essent admoendæ manus, quæ stuporem sensui inducunt, nempe, quia aliquid opij accipiant. Vbi id considerandum, ut in superioribus etiam capitibus ex Galeni sententia monuimus, quod in dolore capitis omnino damnauit usum rerum, quæ soporem afferunt. in doloribus autem aurium, præsertim verò ex inflammatione eorum usum admittit, & hoc propterea, quia longe de

teriores, & validiores sunt aurium dolores, & magis in eo præceps est periculum, propter auditorium neruum qui statim à cerebro ortum suum habet, & illi etiam maximè vicinus est, & hac de causa facile cum illo cerebrū consentire potest. Sed particulatim de medicamentis agamus, de quæ eorum vsu, quæ huic officio sunt accommodata. Posteaquam ergo expedita fuerint, quæ generalia dici solent, quæque pertinent ad euacuationem vniuersi corporis & capitis pariter ad reuulsiones, atque cum administrata fuerint, quæ vim repellendi habent, vt oleum rosaceum, vel oxyrhodinum, vt paulo ante à expositum est, si dolor plurimum vrgeret tentassetque medicus illum, aut albo oui, aut muliebri lacte delinire, hocque parum contulisset & esset opus vehemētiore remedio, tandem ad vsum stupefacientium esset deueniendum. Quamuis autem multa reperiantur medicamenta ab antiquis medicis descripta, opium recipientia, optimè ab illis composita qualia sunt multa collyria, quæ relata sunt, vbi de curandis dolorosis oculorum affectibus egimus, sicut erat illud, quod diagraucium appellabant, nec non collyrium album cum opio, de quo superius fuit habitus sermo, & illa, quæ diarrhodon & diacrocu dicta sūt. solebat tamen Gal. nonnullis vti, quæ illi & apta magis tutioraque & faciliora paratu  
vide-

videbantur, duorū verò mentionē faciemus. Infiltrare solebat lac mulieris nuper multum in quo fuisset dissolutum parum opij, utpote si grana duo, vel etiam tria immiscerētur semina lactis. Vel hoc aliud, quod componitur ex opio, & castoreo & sapa musti. quippe quæ in sedandis doloribus vim maiorem habet. aliquando autem accipiebat par utriusque pondus. componebat autem hoc pacto, castoreum optimè tritum leuigabat, itidemque opium ex sapa, simulque commiscebat, tantum verò sapæ assumebat, quantum erat satis ad hæc ita diluenda, ut fluere possent. hoc verò compositionis modo utebatur, si vehemēs admodum videretur dolor: alioquin enim duplum accipiebat castorij ad opium. Quod si iam fluxio, aut omnino maiori ex parte fuisset intercepta, neque vehemens admodum vgeret dolor, illorum iam esset opportunus usus, quæ vim haberent tum concoquendi, tum digerendi. ita tamen ut non eadem esse opportuna credendum sit. quia si adhuc insignis in eo loco esset feruor, vel tempus esset æstiuum & insigniter calidum, accommodata essent oleum amygdalarum dulcium, adipēs etiam qui non plurimum calefaciant, qualis est gallinaceus, anserinus, anatinus, vulpinus, ut aut aliquis eorum seorsum imponatur, aut ut plures mixtim, illis tamen addatur rosaceum o-

leum: si vel adsint adhuc reliquæ caloris & inflammationis, præsertim quando in incrementum iam aduenerit, quo tempore curatione mixta ex repellentibus & digerentibus esse opus dicebamus. quod si omnino cesset fluxio & incrementum præterijisset, opportunum esset oleum chamæmelinum, utpote quod magis laxet & digerat. Duplex est autem modus administrationis, nam vel illis eliquatis vel mixtis ita fusa, & eliquata infundantur, vel adeps efformatus ad similitudinem collyrij demergatur prius in oleum tepidum, subinde verò meatui auris indatur. Galenus autem, qui volebat instruere medicos, non solum qui pauperum curationi præerant, verum & eos, qui principibus & delicatioribus, præcipue nobilioribus mulieribus mederentur, quæ medicamenta illa quæ non bene oleant detrectare solent. ideo ait illa unguenta præciosa, quæ in multo usu erant illa tempestate, quæ foliata vel nardina dicebantur, his quoque affectibus posse conuenire, de quibus quia temporibus istis in nullo sunt usu, nolumus in præsentia verba facere. In libro autem de medicamentis facile parabilibus, ait, quod tetrapharmacum unguentum, si illi addatur spicanardi, erit utile medicamentum his doloribus ex inflammatione, versus inclinationem, & nulli dubium est quod intelligunt veram spicanardi

nardi: quia tamen rarò habere possumus eam spicam veram, & recentem, itavt vires eius nò sint obsolete: ideo quamvis celtica spica sit aliquanto infirrior, non erit tamen inutilis illius mixtura, sed si colliquaretur tetrapharmacum hoc, quod etiam Basilicon nuncupâr, oleo nardino simplici quidem, tantundem, in eo quidem iudicio esset. In hac autem ratione curandi inflammationes & ea còtinetur, qua dolores tollendi sunt ex alijs calidis causis excitati, siue ex materia ortum habuerint, siue citra illam molestæ sint, quia illis eisdem refrigerantibus, quorum meminimus, curâtur nulla habita euacuationis ratione, quâdo nulla præsens fuerit materia. Quod si illa ad fuerit, eodem modo, & eisdem instrumentis vacuationem molliri oportebit, quibus & in inflammatione. Vnde vno tantum exposito, quatenus ad vsum istorum medicamentorum pertinet, quod à Galeno plurimi fit, ad dolores qui concitantur à causa vel affectione frigida nostrum conuertemus sermonem. Illud verò est, quando dolet insigni & valido dolore internus auris meatus, medicamenta sunt liquida & fluida infundenda vel instillanda. Itaque nulla re loca circûdolentia tangamus, vllò instrumento, neque etiam lana quantum licet molli, neque etiamsi aliquid videatur detergendum. Sed ex infusis sæpius fluidis me-

dicamentis eluatur. ná facillime loca illa, quæ exquisiti sensus sunt, propter neruum illum auditorium quolibet vel leni tactu exacerbantur. post infusa autem medicamenta contegatur meatus lana mollissima sine compressione aliqua. Hæc itaque ratio medicamentorum quibus calidi affectus aurium, præsertim vero dolorosi curari solent, atque eorum etiam usus. Quamuis autem non tanti momenti sint, neque adeo insignis periculi dolores qui à frigidiori causa ortum habent; attamen interdum & hi vehementissimi sunt, & sepe non parum curatu difficiles. ideo rationi consentaneum esse videtur, de his quoque aliquem habere sermonem, & quantumlibet perinde in his, ut in prioribus, & à frigore citra ullam materiam possit dolor concitari, & ab eodem cum materia, ne frustra tempus conteramus, sumemus initium ab eorum curatione cum materia, utpote quoniam percepta ratione eos curandi, statim & ea poterit esse perspecta qua cureretur & corrigatur sola intemperatura. & quia scopus quem nobis in hoc compendio proposui mus est, quoad per nos fieri potest, omnia ex methodo exponere: cuius potiora principia sunt indicationes, quas à natura affectus petendas esse, antiqui & rationales medici nos docuere: ideo de causis à quibus concitantur id genus dolores agere par erit. Cum autem  
proxima

proxima horum dolorum causa sit, aut crassus & lentus humor, aut spiritus flatuosus intra aurem in partibus nempe internis auris intrusus & inclusus, qui dum querit exitum illi interceptum ex obstructione, distentit & quasi dilacerat partes in quibus conclusus est, ut exire possit, atque ita soluto, continuo dolores vehementes affert. hinc fit ut princeps & primaria causa istius affectus sit obstructio, vel potius ipsemet affectus. quæ quidem licet possit à crassitie oriri ipsius humoris, plerunque tamen occasionem habet ab externo frigore ex aere, aut vento, aut aqua frigidiore. ex frigore enim solent condensari constiparique externæ partes, ipsaque nostri corporis substantia, atque ita eorum meatus concluditur, ut nequeant per os diffari & excerni multa, quæ alioquin excerni solent excrementa vaporosa, per excretionem & effluxum sensibus inconspicuum. his autem detentis ac in flatum conuersis, ac replentibus ac subinde distendentibus partes in quibus includuntur, sunt dolores. & quamuis ad præsens institutum non videtur pertinere de modis, quibus dignosci possit, quando & à flatu, & quando à crassa materia sit concitatus dolor: quia tamen Galen. 3. de comp. medicamentorum per loca capit. 1. horum quoque breuissime meminit, nos etiã eadem exponemus. Hoc ergo tribus argu-



mentis percipiemus, primum ex modo doloris, quia si dolor fuerit cū grauitate, necesse est, vt à materia lenta & crassa foueatur. Sin autem cum distentione, à flatu fomentum habebit. Deinde verò ex præcedentis victus ratione, vt si victus eiusmodi fuerit, quæ plurimum flatum generare potuerit, aut crassam lentamque materiam. Tertio si causæ præcesserint, de procararcticis loquor, quæ cōstipare aurium partes soleant, vt refrigerantes, ac illis constipatis esse occasione, vt congestus sit flatus spiritus. Sed redeamus vnde diuertamus, & rationem exponamus inueniendi, componendi que id genus medicamenta, quorum vsu curare oporteat hos aurium dolorosos affectus. Verum quia ad institutum præsens præsertim spectat, medicamenta illa quæ topica vel localia solent à medicis dici, quæque priuata sunt examinare, & ad vsum reuocare. sed hæc recte nequeunt administrari, nisi prius perspecto, quonâ pacto se habeat vniuersum corpus & viscera capiti subiecta, & quo etiam caput, à quo semper aliquid ad aures solet facile defluere, quod auris affectū fouere possit. semper verò hæc consideratio, vt pote quæ generalior sit & communior, his priuatis præmittenda est, & si aliquas obtulerit indicationes, quæ vim aliquam insignem habent. nempe quia aliqua partes illas occupauerit

pauerit plenitudo, aut cacochymia: illis prius per accommodatas vacuationes purgationes-  
ue erit inferuendum, prout euacuandi humo-  
ris ratio demonstrabit. quæ tamen omnia in  
præcedentibus, tñ capitibus, tum libris sunt  
particularim explanata: ideo illis prætermis-  
sis, in præsentia solis indicationibus & scopis  
insistemus, quæ nobis ostendere possunt ra-  
tionē medicamentorum, quæ tanquam topi-  
ca remedia possunt isti curationi apte accom-  
modari. Cum itaque vniuersum fere horum  
affectuum momentum consistat proxime in  
obstructione, quæ ortum habuit aut à crassis  
lentisque humoribus, aut à constipatione, sta-  
tim oritur indicatio, esse aperiendū, attenuan-  
dum, & incidendum ac detergendum tantum  
his, quæ id citra mordacitatem præstare pos-  
sint. secus enim loca affecta irritarēt, vnde do-  
lor magis recrudesceret. Has autem vires ea  
in primis habent, quæ constant ex partibus  
suapte natura tenuioribus. Eius generis sunt  
multa quorum à principio istius commenta-  
rij fuit facta mentio, vt thapsia, euphorbium,  
sinapi, adarce, alconium, & id genus multa, at-  
que in vniuersum omnia vt tradidit Galenus  
quibus ad comminuendos calculos medici  
vñ solent, quorum ampla sylua fuit à Galeno  
descripta in lib. de fac. simp. med. In 3. autem  
de comp. medicamentorum secundum locos

ea quæ magis præcipua sunt recensuit, quæ sunt spuma nitri, ipsumque nitrum. oleum præterea amygdalinum, præsertim verò expressum ex amaris amygdalis, vtrumque veratrû, tres aristolochiæ, iris illyrica, cinamomum, casia, radix sylvestris, cucumeris, bryoniæque & ari, item & dracunculi, & cætauræ, polium, & tandem quæcunq; amara sunt, utpote quæ meatus expurgent. Alij vero ut Mesue, multorum meminere, tum oleorum ut chamæmelini, anetini, laurini, rutacei, alborum liliorum, oleum ex matronali viola, quam cheiri Arabes nuncuparunt, maxime etiam laudat oleum expressum ex fructu quem Arabes Ben appellant, Græci myrobalanum, hoc est vnguentariam glandem. quo oleo præcipue vnguentarij vtuntur. & tandem quæcunque calefaciunt & discutiunt, quorum tylua amplissima. hæc autem sint tâquam exempla proposita. Iuniores verò ex sententia tamen quorundam Arabum præferunt omnibus ferè aliis in sedandis doloribus similibus, non modo auris, sed aliarum etiam particularum, oleum ex vitellis quorum expressum. Ex his mixtis simul possunt varia confici medicamenta composita, in quibus examinandis nō consumemus temporis plurimum. nemo enim est, qui perceptis simplicium naturis vnde componuntur, ac illis mutuo collatis sequentem normam, qua  
in prio-

in prioribus libris vfi fuimus, nō possit ex se facile ad examen reuocare. Sed neq; præterea hæc sunt prætermittenda, quorū à plerisq; fit mentio, quasi eorum quæ plurimam vim habent instillata in aurem, ad tollendos hos dolores, vt oleum, in quo efferbuerint aselli, qui & millepedę dicuntur. oriuntur verò sub hydriæ aquarum, itidemq; & lumbrici terrestres, siue ex oleo amygdalarū amararū coquantur, aut chamæmelino, aut anethino, aut alio ex suprâ relatis, siue ex cōmuni oleo, & vt efficacius esset medicamentū, aliqui in cæpe excauato oleum efferuere faciunt, quod postea ad hos vsus adhibent. vulgare aut ferè remedium est, vt vase eo olei quod guturnio simile est (habet enim angustum quoddā orificium, quo oleū effundunt, quando illud nolunt confertim effundere) concalesfacto, dū oleum nō continet atq; angusto orificio meatui auris applicato, vaporem calidum excipiant, quod si aliquod aliud ex prædictis oleis continuisset, validius esset medicamentū. Sed de his satis superq; egimus. transeamus in præsentia ad rationem medicamentorum, quib. curanda esse aurium vlcera docuere periti medici. summatim tamē prius aliqua dicamus de causis occasionib. q̄ vnde concitari solent vlcera in aurib. vt facilius deinde rationem inire possimus, ea ad curationem adducendi. Fiunt ergo vlcera in au-

ribus, tum ab aliqua externa, tum ab interna causa, sicut de vlcerib. aliarū partiū diximus, de quib. hactenus sermonē habuimus, & quæ ab externa causa occasionem habent, vt à gladio, sagitta, aut ab alijs id genus instrumentis vel à liquore aliquo medicamentoſo & erodente inſtillato in meatū auris, ea plerunq; ſolent eſſe ſimpliciora quantum ad ipſa pertinent. Nam ſi interdum aliquā contrahant malitiam, vel malignitatem, id potius illis accidit ratione male affecti corporis ob eius aliquam intemperaturam, vel alicuius alterius particulæ, cuius conſenſu male afficitur vlceratus locus. Quæ autem à cauſa interna, quam antecedentem vocant ortura habent, illa neceſſe eſt vt à confluxu vitioſorum humorū ad aurē, & plerunq; à capite foueatur. poſſunt tamen foueri à male affecto iecinore, vel liene, vel ventriculo, vel vniuerſo corpore, quæ ſane omnia oportet eſſe cognita medico recte curaturo vlcera hæc, vt pote quæ nequeant recte & exquiſite vtquam curari: niſi prius remoueatur cauſa. Sed ad remouendā cauſam à qua ſeruatur vlcus, & ad ſubtrahendū fomentum quod curationi vlcis obſiſtit, vt in alijs quoq; quæ ſuperius à nobis ſunt tractata, monuimus, vel vniuerſum corp⁹ curandū erit prius opportunis purgationibus, vacuationibus, reuulſionibus, quorū ſuperioribus capitibus. facta eſt frequens  
-mentio

mentio, atq; corrigendum si quod fuerit vitium in vniuerso corpore, vel si cum aliqua alia particula sit insignis consensus, cuius ratione vlceris curatio impediatur, turbeturq; ita tractanda ea particula est remedijs appositis, vt cōsensus ille tollatur. His autē recte peractis, simili ferè modo, quo& posse fieri in alijs similibus affectib. priorum particularū, diximus, tandē conuertenda erit vniuersa curatio ad vlcus particulatim: obseruatis omnib. tum scopis tum indicationib. quæ & a natura vlceris in vniuersum depromēdæ sunt, & ab illis quæ cum vlcere coniunctæ sunt, si aliquis sit aliarum aliquarum affectionum cōplexus. Solēt autē, aut semper aut plerunq; in vlcere duo illa excrementa reperiri, quæ vlcus ferè quatenus vlcus est sequi solent, nempe tenue illud & ferrosū vel ichorosū, quod virus nostri appellāt, & crassū illud & fœculentū, quod fordem dicunt, vnde duæ sunt vlcerum primæ ferè differentiæ, nempe virulentum, & fœdum: prout vel virus, vel fordes abundantius scatent in vlcere. sunt tamen & aliæ differentiæ quarum frequens est mentio dum de vlceribus in vniuersum sermo instituitur, nempe erosiuum & putridum, de quib. non profereamus orationem in longius, quia de illis antea sæpius locuti fuimus. Deinde verò cōuertenda erit consideratio ad naturā particulæ: nempe

pe auris, utpote cuius indicatio sit, omnē medicamentorum rationem moderatura. Ut autem sæpius itidem diximus communis curandorum aurium ratio, à primis illis duabus differentijs assumpta, duos nobis scopos proponit: qui sunt, exsiccandum & detergendum, quos ferè reliquæ omnes differentiæ tanquã fundamenta subiiciunt, omnia enim vlcera tũ exiccatione, tum deterfione curanda sunt, nõ non tamen eisdem aut æqualib. siccantibus detergentibusq; , quia alia magis siccantibus vel detergentibus curari requirant, alia verò minus. Huius verò diuersitatis ratio à duob. præsertim capitibus depromenda est. à conditione & modo, vel ratione vlceris, quatenus aut magis virulentum, aut sordidius est, aut erodens aut putridum est. Præterea verò à naturæ particula, nam inter sensuũ instrumenta nullum aures siccius est, utpote quod consistit cute, cartilagine, membranosa substantia, nervoq; & osse, quæ omnia admodum sicca sunt: & proinde, si ad naturã eiusmodi instrumenti respiciamus, siccioribus præ alijs ferè particulis eius vlcera curanda sunt. Præterea quia medicamenta accommodata curandis aurium vlcerib. si interior meatus vlcere tentatur, instillari plerũq; solent, & hac de causa ea fluida oportet reddere, vel ad eam compagem adduci, ut illiniri possint, quare necesse plerũque

que est vt liquore aliquo diluatur: præcipiunt antiqui medici fere omnes ea atterenda esse in medicinali cote, leuigandaq; ex acerrimo aceto, vt maiorem desiccandi vim sibi cõpleat Quia verò non omnino omnia vlcera eisdem medicamentis qualiacunq; sint, & in quocun que tẽpore curẽtur, tractari oportet. Sed quo simpliciora sunt & minus cõtumacia minusq; maligna, itemq; quo recẽtiora sunt leuioribus & minus detergentib. minusq; siccantibus, & minus acrib. medicamentis facillẽ cedunt: quo verò magis inueterata, & cõtumaciora sunt, eo etiã valẽtiora & acriora medicamenta requirunt, de recentib. prius sermonẽ instituamus vtpote quæ infirmiorib. auxilijs superari soleant. Si igitur ad methodum ab antiquis traditam literis respiciamus, quando vlcus sit nuper excitatum, si id ab antecedente & interna causa factum fuerit, necesse est vt à fluxione acris succi originẽ habuerit, & proinde conuertenda erit curationis ratio, tum ad vlcus, quod, vt sæpius dictũ est, siccari postulat, tũ verò ad fluxionem quæ fouere & seruare potest fluxionẽ, vt ob id indicet repulsionẽ esse opus, qua fluentes succi auertantur ab vlcerato loco. duas ergo has facultates exigit à medicamento auri vlceratẽ administrando si curadum sit vlcus. Quare Gal. cæteri q; prisca medici in illis curandis glaucio vtebantur, &



pastillis ex glaucio confectis, illisq; ex acri aceto leuigatis: itemq; pastillis quæ diarrhodō appellātur, quorum examinationē posuimus in superioribus capitib. vbi de medicaminib; aptis oculorum affectibus curandis egimus. Sed neq; glaucium in præsentia habemus, neque pastilli nuper nominati reperiuntur, & licet eorū aliqui possint parari, sæpe tamen cōtingit nos facere medicinam, vbi neq; apothecarij vlli sunt, vt ruri, sæpe in exercitu, in nauigationib. num ergo copia medicamentorum, quibus curari possunt hæc vlcera nos deficiet nequæquam. quoniam si velimus rationaliū medicorū vestigia sequi, consideratis illis facultatib. in his medicamentis, quas antiqui in illis requirebāt, nempe desiccatio & astrictio, multa nobis, quæ eisdem facultatib. prædita sunt, itidē trita & leuigata ex acri aceto illud idem nobis poterunt præstare, vt hypocistis, cytini, mali punici eorundem malicorium. ex herbis verò plātago, polygonum, hippuris, & sexcēta alia. Arabes verò in his vlcereb. & hoc tempore vtebantur mulsa, detergit siquidem modeste & desiccet, sed & vino mulso quoc magis item detergit & siccat, quod si videatur esse aliqua astrictione opus, vinū mulsum eo vino aliquantisper austero confectū magis opportunum erit. interdū verò & oxyinelite vti soliti sunt. Sed vbi magis exiccādum erat, inieciēban

ciebant medicamentum factum ex thure in vino dissoluto, aut altero confecto ex sarcocolla & thure assumptis vino & pauco melle, aut alio ex myrrha, aloe, & vino. hoc ex aloe satis astringit, ex myrrha non parum detergit: ex omnibus vero validè desiccatur. alterum autem magis concoquit, præsertim ex thure & sarcocolla modestè. siccatur etiam modestè citra vllū morsum. Primum verò cæteris imbecillius, modice. n. astringit ex thure & coquit. si tamè vinum sit aliquantulū austerum, magis astringet, quod si pro vino, vt antiqui agebant, aceto vterentur, longe efficaciora essent hæc medicamenta & magis siccantia. sed cum talia vlcera difficiliora non erāt, laudabant vsum collyriorum quæ diarrhoda dicebantur & diacroca, & illius quod Nili collyrium dicebatur, de quib. satis fuit à nobis actū. quæ aliquando ex vino, interdum ex aceto instillabat. Verùm vbi iam satis essent purulenta vlcera, citra tamen dolorem, quia vbi dolorosa sint ab omnibus, quæ detergendo mordent, ne locum exasperent & irritent abstinendum, nec validioribus detergentibus vtebantur, qualia sunt collyria, quæ antiquitus diasmyrna vocabantur. Similem autem viam & Arabes sunt secuti, vt ex his comprehendi potest quæ nuper fuere exposita. Postea verò cum peiora fiunt vlcera & valde purulenta, vt iam non sint exper-

tia putredinis & malignitatis, accurrendum sane erit ad acriora medicamenta, & quæ fortius detergât, & siccent, vt quasi erodendivim habeant, vt inter ea, quæ antiquis in vfu, est I. fis, dictum medicamentum, & quæ similem cum eo rationem habent, vt apostolorû. sed fortius est *Ægyptiacum* ab Arabib. appellatû medicamentum ab eis descriptum. Græci vero pastillis *Andronis* vel *Musæ* vel *Polyidæ* frequenter vtebantur, de quib. in tertio comment. diligens fuit à nobis sermo habitus. At tamen, tum *Galenus* tum etiam alij prisici medici ad curanda contumacia malignaq; auriû vlcera, cæteris ferè alijs medicamentis præferunt *scoriam ferri paratam* (vt parare docuere medici illi) nempe diligentissimè tritam, & in sole pluribus dieb. ex acerrimo aceto leuigatam. multa præterea à varijs auctorib. descripta, in huic locum possent transferri. Sed nimis postea excresceret hoc compendium, & ultra nostrum institutû progredieremur, quare huic capiti finem imponemus. nam si aliqua deesse illi visa fuerint, illa à tertio huius cõpendij libro, vbi de vlcereb. fuit institutus sermo, erunt petèda, quia & huic loco illa optime accommodari poterunt, habita semper, vt docuimus, aliqua ratione naturæ istius particulæ.

De me-

*De ratione medicamentorum, quibus consulere medici solent auditui laboranti quatenus ad propriam eius rationem pertinet.*

Caput XV.

**E**Adem omnino methodus, quæ ostendit modum & rationem curandi morbos, medico etiam rationem medicamentorum accommodatorum locis affectis demonstrat, & præterea modum etiam usus opportuni eorum, quia omnia hæc tandem, ut sæpius aliàs ex antiquorum omnium sententia ostendimus, ad iam sæpius expositas indicationes, & expositos scopos referenda sunt: unde in his explicandis non erimus alioquin multi-sicuti neque quam similem habeant, imò ferè eandem rationem affectus, qui ad sensus omnes pertinent, & à quibus actiones eorum propriè lædi possunt. utpote quia illam iam superius explanauerimus. Sicut ergo in alijs sensibus, ita & in auditu solet contingere, ut penitus interdum tollatur auditus, ut in surdis contingere solet, interdum grauior fit & obtusior, ut in surdastris, quandoque verò vitatur & peruertitur, ut in sibilo, & strepitu aurium. primus affectus ex proportionæ cæcitati in oculis responderet, alter luscis vel lusciosis: tertius illis, quibus variæ imagines præ oculis obseruari videntur. & sicut cæcitas fieri

potest, vel ob læsam facultatem in suo initio, nempe in cerebro, ex aliquo eius proprio affectu, aliquando verò ex aliqua labe in instrumento sensus, ira & surditas. labe autem contracta in instrumeto, est aut obstructio in nervis internis per quos defertur audiendi facultas ad aures, aut obstructio in meatu auris, per quem sonorum species feruntur interius ad primum sensus auditus organum. aut ex aliqua intemperatura insigni contracta in nervo auditorio. obstructions verò in nervis fieri possunt ex confluxu alicuius humoris præsertim crassi & lenti, atque plerumque à cerebro, aut ex aliquo tumore præter naturam velut, auris meatu, vel in locis illis proximis, ita ut ab illis premi possint. in meatu verò auris potest fieri obstructio vel exorto aliquo tumore, ex illis, qui præter naturam illius partis, ibi excrecere solent, sicut inflammationes, scirrhi, & varia tuberculorum genera, & verrucæ, vel interdum ab excremento illo luteæ ceræ simili, quod peculiariter in omnibus per meatum auris excerni à natura solet, cerebrum, aut partes huc pertinentes expurgante. grumus interdum puris ex aliquo interno ulcere cõgestus potest meatum obstruere. Sed & multa bilis confluens ad organum auditus potest esse impedimento actioni ipsius sensus: vnde Hippocrates in aphor. dixit, quod

quod interdum diarrhæa surditatem soluit. potest præterea & aliquis humor externus in aurem ingressus auditum lædere, vt interdum in natantibus, aqua, vel dum lauatur caput, lixiuum. His autem modis imminuitur, aut omnino auferitur. Interdum verò vitiatur corrumpiturque vt in sibilis & strepitibus qui in aëre audiri videntur. nullo tamen exterius sonante, aut obitrepente. fit autem is strepitus à flatulento spiritu concluso intra meatum, qui dum trouetur motu quodam inordinato percutiens & cōmouens internum, & quasi natium atris aerem, eos strepitus concitat. potest autem tum in aure gigni flatulentus is spiritus ab illius imbecilliore reddito calore, ob intemperiem in ea subortam, cum materia, vel citra illam, vt hoc postea sit referendum in proprium auris affectum. potest etiam alibi genitus in aurem se conferre. aure si quidem consentiente cum alia quapiam parte, vt cum cerebro sæpius, quandoque cum vniuerso corpore, quandoque cum ventriculo, & sicuti imagines quæ ob oculos obuersantur, nunciant suffusionem, & eandem cæcitatem, ita strepitus illi vel sibili surditatem prædicunt. nam quamuis sæpe hæc non ex primario auris affectu fieri contingat, quæ tamē ex consensu fiunt, nisi eorum ratio habeatur, cum consenserunt, transeunt in affectum pro

prium. Sicuti autem, vt ex his quæ hætenus fuere exposita quisque videre potest, non vnica, sed multiplex est modus ratioq; qua lædi potest auditus : ita multiplices necesse est, vt exurgant indicationes, multiplicesque scopi ab illis medico offerantur, qui ex methodo voluerit medicamenta scrutari quibus consulendum sit auditui male affecto, recteque ea componere, & eis congruenter vti. Sed de illis quidem quæ accommodata huic affectui esse possunt, quando auditus læsus est, aure cum cerebro vel vniuerso corpore consentiente, vel cum ventriculo, non est cur in præsentia agamus, quia omnis curatio est conuertenda ad illa cum quibus consentit auris, de qua agere non pertinet ad præsens institutū. rationem verò medicamentorum, quæ congruere possunt affectibus proprijs auris tollendis, atque facultates, quæ in illis exquiruntur, nobis exponet propria illorum affectuū natura. Quare nullum de illis sermonem habituri sumus qui respiciunt auditum consentiente aure cum cerebro vel aliqua alia particula. Quatenus autem spectare potest ab ablatum auditum, ob aliquem tumorem præternaturam in aure eius parte ad neruum pertinente excitatum: si is fuerit calidus dolorosus admodum erit, & eisdem remedijs curandus erit, quo tollendum dolorem ex inflammatio-  
ne di-

ne diximus in superiori capite: sin autem frigidus & scirrhus: si aliqua eius potest sperari curatio, post vniuersi corporis (si inde fomentum habent, procurationem, mox & capitis,) vt sæpe prius fuit expositum, curari illis medicamentis secundum communem rationem habet, quæ depromenda sunt à communibus indicationibus, quæ à natura scirrhi, & communi eius ratione petendæ sunt, de quibus in priori commentario, quantum visum est posse esse satis, sermo fuit habitus. neque ab hac dissimilis est curatio, quam requirit obstructio ipsius nerui, vel eius condensatio. Nam ea medicamenta erunt opportuna, cum à crasso solento pituitosoq; succo ortum habuerint, quæ attenuare, secare, detergere, digerereque possunt, siue de illis loquamur, quæ interius sumenda bibendaque vel deuoranda sunt, siue de illis quæ instillanda immittendaque in aures, de qua etiam materia ex parte in priori capite verba fecimus, vnde neque iterum in præsentia repetenda sunt. Si vnus itaque medicamenti meminero, cuius mentio ab empiricis fieri solet, quasi maximi arcani, quamuis nunc etiam multis vulgaribus sit notum, & plurimum ab illis laudatum, ad alia conuertemus orationem. medicamentum autem hoc est adeps qui destillat ex anguilla cum ex veru torretur, si in aures instilletur. potest autè



ex ratione esse utilis. nam ex assatione comparat sibi naturam ab igne attenuandi & digerendi, perinde, ut de oleo lucernę protulit Galenus, quod simile euadit oleo veteri. redditur siquidē calidius, & partium tenuiorum. Sed huic adipi, & id accedit, quod ex folijs lauri, quę ferē ab omnibus interfiguntur frustis anguillę dum ex veru torretur, maiorem contrahit vim attenuandi, digerendi, & calefaciendi. Quod si tabes in meatu auris sit contracta, facta nempe obstructione, exorta à multo illo excremento auri familiari ibi congesto & concreto, vel à grumo puris, auriscalpio hæc auferre oportet, vel si sit opus medicamentis, ea quę secant, detergunt quę accommodata erunt, nisi si quando nimis induruisse, nam & mollientibus aliquibus egerent. Quia verò verruca etiam subcrescens in meatu auditorio potest auditui esse impedimento, quę & ipsa subcrescens detractione esset curanda, de eius curatione non sum multa disturus, sed omnia comprehensurus sum in hac summa. nempe quod eadem ratione illam esse detrahendam dixere medici, sicut curandū esse diximus polypum, si in naribus subcrescat. Sed & quę sit curatio commoda inflammationi in hoc loco exorienti, & alijs præterea tumoribus in aure præter ipsius naturam, abunde exposuimus. Sed neque de sibilo, &

alijs

alijs vitiosis sonis, qui obstrepere sæpius in auribus percipiuntur, opus est sermonem longiorem habere, si quis eorum memor sit, quæ de auris dolore dicta fuere, præsertim si sit à flatu concitatus. nam & sonitus isti habent similem cum illo causam, nempe flatulentum spiritum, qui intra aurem inordinate mouetur, & mouet subinde aerem proprium, & internum. qui motus allidens instrumento auditus, excitat eiusmodi strepitus, quare & similibus remedijs tollentur, quibus flatibus medentur, & proinde neq; de istiusmodi strepitibus alioquin sumus magis particulatim aliquem sermonem habituri. Postremò ad hoc caput videntur pertinere & vermes, qui aliquando in aurium meatu solent viui reperiri, quod altero duorum modorum euenire posse videtur, aut enim exterius adueniunt. Memini enim me quendam vidisse, in quo vermis aurem ingressus, maximam illi, tum pungendo, tum etiam dum continenter mouebatur, molestiam afferebat: erat autem rinea qualis sæpe in tritico gigni solet. Ceciderat verò ex fissuris tabulati horrei, cui lectus subiacebat: aut verò ibi oriuntur ex putri aliquo excremento, in aure congesto, vel ex aliquo vlcere non experte putredinis. eius verò curatio facilis est quantum ad vermes pertinet, vt inde educantur. Duplex autem est eos

extrahendi ratio, aliquando si quidem viuē-  
 dūci possunt aliquo forcipe si in loco sint, v-  
 bi conspici possint. sin autem in penitiores  
 partes irrepserint, vt nequeant conspici, ali-  
 quis adeps insulsus, vt gallinaceus, anserinus,  
 vel suillus efformatus in collyrij, vel glandis  
 formam, vel vt nunc loquuntur chirurgi, ten-  
 tā, indatur auri, ibique tantisper maneat, do-  
 nec animal allectum eo cibo, quo plurimum  
 delectetur, illa affigatur, nam simul cum adi-  
 pe, si commode educatur, extrahitur & ver-  
 mis illi affixus. Aliqui etiam eorum benē pe-  
 xum, carminatum, aut lanæ vellus, auri impo-  
 nunt, vt animal illud, quodcunque sit nam  
 pulices & formicæ facilius hoc pacto educun-  
 tur, dum mouetur per meatus ibi inuoluatur,  
 & quasi irretitum extrahatur. alij etiam coto  
 aut vellere inuoluunt auriscalpium, ac alicui  
 glutinoso ac tenaci liquore imbuunt, vt esset  
 resina terebentina vel laricea, auriq̄ue indunt  
 vt animal quasi visco captum educatur. Inter  
 dum verò prius id genus animalia necantur  
 medicamento huic rei apto, postea extrahun-  
 tur. necantur verò quibuscunque amaris, vt  
 succo absinthij, marubij, chamaedrios, centau-  
 rij præsertim minoris, & cæteris, quæ illis si-  
 milia sunt. præcipuus verò, vt testatur Gale-  
 nus septimo de facultate simplicium medica-  
 mentorum, est succus vel decoctum calāmen-  
 ti. Sed

ti. Sed sæpe accidit vt aliquid durius & solidius in auris meatum incidat, aut iniiciatur vt est lapillus aliquis, vel granum semenue aliquod, quod non parum illi negotij interdū facessit, in qua re à medicis exquiritur auxilium: Verū quia id in hoc parum expectare à medicamentis possumus, nam horum extractio potius ad operam manuum & ad quædam instrumenta apta huic negotio pertinet, ideo in his non conteremus tempus, cum sint aliena à nostro instituto. Quare iam tempus opportunum esset ad oris affectus, & ad medicamenta illis curandis accommodata transire, nisi fortasse videantur aliqua esse dicenda de ratione eorum medicamentorum, & eorū apto vsu quibus parotides curantur. vt ferè cum res hæc interdum non exigui, sed potius maximi sit momenti, videatur priuatim & ipsa seorsum, propriumque caput desiderare. Sed quia parotides in genere sunt, vt testantur omnes, præsertim verò Galenus inflammationum, magna ex parte etiam eandem cū alijs inflammationibus expetunt curationē, eandemque medicamentorum rationem saltem quatenus ad eas indicationes spectare videtur, quæ à natura morbi solent depromi. alioquin enim indicationes istius loci in quo exurgere consuevere parotides cogunt medicum deflectere aliquantisper à communi me-

rhodo curationis inflammationis, & à communi eorum remediorum usu, & hoc quidè in principio. nam in alijs istius affectus temporibus in idem parotidis curatio cum aliorum curatione tandem còuenit, & ideo summarim hac tantum differentia vel diuersitate exposita finem huic capiti imponemus. In hoc loco secundum aures vbi oriuntur parotides, à quo etiam hoc nomen apud Græcos habuere, sunt à natura genitæ quædam carnes glandulosæ vel adenosæ, vt Græci loquuntur, quales etiam in alijs quibusdam locis quæ emunctoria ab Arabibus & à nostris iunioribus Latinis Arabum sequacibus vocantur sicuti sub alis & inguinibus, quæ sunt partes suapte natura imbecilles, atq; ita à natura dedita opera genitæ, vt possint ab internis & nobiliorib. particulis impulsa excrementa, quæ in illis retenta plurimum obesse possent, facilius admittere. vnde quotiescunq; aliqua fit supervacuorum humorum impulsio ad has adenas, in his locis consistentes, statim peculiaris quædam insurgit indicatio, quæ variat communem eam methodum, quæ morbos ex fluxionibus factos respicit: quatenus saltem ad eorum principia pertinet. in quo genere sunt & inflammationes reliquique tumores, qui præter naturam ipsius particulæ insurgunt. in hoc autem varia fit eorum ratio

in his

In his locis, quod reijcienda sunt oratione ea localia remedia, quæ vim habet repellendi in fluêtes humores, & id ea ratione, quia nõ exiguum ea repulsio periculum affert, ne retrocedentia vitiosa excrementa & internas precipuasque partes occupantia, aliquod facerent maximum malum; quod præterea seruandum esse, præcipiunt medici in omnibus illis affectibus, in quibus natura tentare videtur expulsionem noxiæ materiæ ab internis partibus versus cutem, vel à parte aliqua nobiliori & magis præcipua ad ignobiliorem. Nam vt Galenus in libro de constitutione artis medicæ nos docuit, sæpe morbus malignus, expulsa mala materia à membris nobilibus ad ignobilia fit non malignus: sicut contra translata materia, ab ignobilibus ad nobilia efficitur malignus, qui prius videbatur cuiuscunque malignitatis expertus. præsertim verò cauenda est in parotide repulsio, quando illa in febribus, siue critiche, vt aiunt, seu ratione symptomatica exoritur, & hoc quia eiusmodi inflammationes, quæ in his partibus, quas Arabes & iuniores emunctoria solent, vt diximus appellare, raro fieri solent nisi in malignis febribus & quæ pestilentis naturæ non sunt expertes. Fiant autem à natura quæ malignam materiam nititur ad has adenas expellere, vt mēbra magis prius

cipalia liberet & tueatur, quæ repelli reflecti-  
 ue interius minimè posset sine graui pericu-  
 lo. quare nunquam quomodocumque fiant,  
 debemus per repellentia prohibere exitum  
 vitiosæ illius materiæ, quæ ad glandulosas  
 carnes propellitur, & vel nihil eo tempore,  
 dum incipit, aut augetur tumor, agendū qua-  
 tenus ad eum tumorem pertinet, & soli na-  
 turæ vniuersum negotium relinquendum  
 est, aut si quod agendum est, attrahentibus, na-  
 tura, vt facilius expellat, erit adiuuanda; re-  
 medijs quæ vim habeant malam materiam  
 ex profundo attrahere, vt eiusmodi medica-  
 mentis, quæ his viribus sint prædita, vel in-  
 terdum cucurbitulis. nam si facilis videretur  
 expulsio à natura facta, illi dimittendum es-  
 set hoc munus: si verò tentare expulsionem  
 videremus, parū verò in expellendo pro-  
 ficeret, illi ferre opem expediret. Quod si  
 multus esset naturæ in expellendo impetus,  
 nihil quod ad expulsionem pertineret, esset  
 agendum, ne confluentibus ad eum locum  
 multis illis superuacaneis succis calidisque  
 sæpius & acris, ibi concitaretur aliquis in-  
 signis dolor, qui laborem, inquietudinemq;  
 & vigiliam afflicto corpori adderet, vnde fa-  
 cile possent vires dissolui. Immo si sponta-  
 neus esset confluxus, & dolor vehemens in-  
 surgeret, iuuanda quidem erit natura, sed non  
 in ex-

in expellendo, verum mulcendo mitigando-  
que dolores, illis nimirum cataplasmatibus,  
quæ temperata caliditate cum aliqua humi-  
ditate possunt id præstare, nam talia præter id  
quod non parum possunt sedando & delini-  
endo dolorem, adiuuat etiam concoctionem  
influentium humorum, vt neque etiam in his  
sit repellendum, quanuis præceptus & multus  
sit impetus, vt neque contemnendus sit, &  
deferendus à medico, præcipue si videat na-  
turæ vires non eas esse vt possit tantam copi-  
am recte administrare. immò illi succurren-  
dum erit, alio modo refrenando impetum,  
per inquisitiones vniuersi corporis, per sectam  
venam, vel per medicamenta, sicut magis ex-  
pedire illi visum fuerit, quæ possint reuellen-  
do auertere fluentes succos ad affectum locum  
aliqua saltem parte. Quæ autem sunt cataplas-  
mata apta ad dolores urgentes sedandos osten-  
dit Galenus tertio de compositione medica-  
mentorum secundum locos, capite secundo,  
nempe quæ fiunt ex farina triticea, vel hor-  
dacea, vel seminis lini, & mulsæ, si ex decocto  
seminis lini, vel althææ, vel chamæmelini co-  
quantur. Nam quocunque horum utamur  
ita confecto, vt docet Galenus, vti possumus  
utiliter, vel si etiam, vel duæ ex illis farinis si-  
mul miscentur utilis omnino erit cataplasma-  
tis compositio, quia si aliquam refrigeratio-



nem requirent ob id, quia fluxio plurimum  
 esset calida, farinę triticę ordeaceam addere  
 mus. si autem maiorem digestionem & ma-  
 turationem, farinam seminis lini: si vtriusq;  
 egeremus, omnes commisceremus. Ita etiam  
 quatenus pertinet ad liquores ex quibus hæc  
 concoquenda sunt dicendum videtur, nam  
 mulsæ refrigerat magis aliquantisper etiam  
 attenuat & non nihil detergit. altheę verò de-  
 coctum mollic magis & maturat, aliquantisper  
 digerit. sc̄nigręci verò decoctum aliquan-  
 tisper calefacit, & proinde aliquo modo atte-  
 nuat & digerit, quanuis non nihil etiam a-  
 stringentis habeat. Pro ratione ergo nature  
 succorum quę defluunt ad parotidem hæc  
 sunt varianda, & vel illis solis vt simul mistis  
 expedit vti. Galenus autem 13. methodi ait,  
 sæpe oleum calidum satis fuisse ad hoc mu-  
 nus. horum autem vsus, non modò utilis est,  
 quia dolorem sedent, verum etiam quia con-  
 coctionem horum humorum non parum iu-  
 uant. in alijs autem temporibus postea cu-  
 ratio parotidis à communi aliarum inflam-  
 mationum curatione, aut nihil, aut parum  
 admodum euariat. Nam agendum, vt nobis  
 ratio affectus indicabit, interdum enim per  
 propriam methodum inflammationum & so-  
 litam res erit tractanda, nempe procuran-  
 dum vt materia fluxa & admissa in inflam-  
 matione

matione digeratur, aut (vt nunc vulgò loqui solemus) resoluatur. Quod si magis videretur in suppurationem vergere, illis oporteret agere quæ maturant & pus mouent. illis autem suppurationis via aperienda qua pus exeat. ita enim facere consueuere nostro tempore omnes ferè medici. aperiri autem abscessus possunt vel ferro, vel caustico medicamento. diximus autem ita consueuisse medicos hac nostra tempestate, quia antiqui, vt ex Galeno haberi potest, tentabant discussionem puris inclusi in abcessu sine apertione, medicamentis quæ vim attrahendi ex profundo haberent, præterea verò attenuandi & digerendi. hoc verò agebant, quando non erat abscessus magnus, & qui non multam copiam puris, neque plurimum crassi contineret. nam altoquin, & ipsi aperiebant, aperto verò abcessu & vbi pus effluerit, affectus iam transit in vlcus. & quia in his nulla est, quæ sit alicuius momenti, differentia, à ratione curandi alias inflammationes, quæ hoc vel altero, vel tertio modo solent curari, & de alijs abunde in priori libro sermonem habuimus, quatenus ad medicamenta & eorum vsum

pertinet: ideo tandem huic capiti finem imponemus.

*De medicamentorum compositione & usu, quæ ad-  
pta possunt esse curæ dis affectibus oris.*

Caput XVI.

**A**D ea tandem accedamus quæ ad os  
pertinent & partes eius, & quia os in  
præsentia appellamus vniuersum il-  
lud spacium, quod intra labra comprehendi-  
tur, in quo præterea comprehenduntur con-  
tinenturq; multæ partes vtiles & necessariae  
& non modici momenti, eas recensebimus,  
& eum ordinem sequemur in illis exponen-  
dis, quem sensus præsertim visus, dum intro-  
spicimus, nobis ostendit. Primùm ergo labia  
intuemur, de quibus non video cur multa à  
nobis sint dicenda, præsertim si institutum no-  
strum in hoc cõpendio velimus sequi. Quan-  
uis enim viceribus vulneribus & tumoribus  
præter naturam cuiuscunq; generis, resolutio-  
nibus etiam & conuulsionibus, sicuti in distor-  
tione oris solet sæpe euenire, corripiantur, quia  
tamẽ proprius scopus hoc loco præsertim ver-  
satur circa rationem cõpositionis & vsus me-  
dicamentorum, quæ localia passim in præsen-  
tiã dicuntur, in quib. præcipua ratio à natura  
læsę particulę sumenda est, & quatenus ad i-  
stud pertinet, nõ est aliqua in his priuata ratio  
differens à cõmuni ratione eorundẽ a. ß. etuũ,  
quãdo in alijs carnis particulis oriuntur, præter  
rem

rem erit hoc loco, ea repetere, quæ magis ap-  
 te tractata sunt in alijs locis, præsertim verò  
 in primo libro. Labia subinde sequuntur gin-  
 giuæ, & illis impositi dentes, interiusque spâ-  
 cium illud quod linguam continet, cuius du-  
 plices sunt partes, superior est quæ palatum  
 dicitur, à Græcis verò *vraniscus*, quasi parvū  
 cœlum, & inde fortasse acceptum est à vulga-  
 ribus in his locis, quod cœlum eam partē ap-  
 pellunt, & inferior quæ sub lingua est, & ab  
 ea tegitur, quæ proprium nomen, quod ego  
 meminerim, non habet. mox est lingua quæ  
 gustus præcipuum est instrumentum, & effor-  
 mandi sermonem. præterea vero masticatio-  
 ni non parum utilis est. cibum enim sub den-  
 tes impellit vt cōmodius ab illis teratur, quæ  
 etiam variè inuertit. Ad radicem linguæ duæ  
 sunt glandulosæ carnes quæ tonsillæ à Lati-  
 nis, à Græcis verò *παριδύα*, in medio verò ab  
 extremo palato pender columella, quam Græ-  
 ci *κίονα* vel *παρπαρίονα* appellant. interius verò  
 spacium fauces à Latinis, *φάρυγξ* verò à Græ-  
 cis dicitur. postremo ad fauces intimas perti-  
 nēt duo meatus illi maximè insignes, quorū  
 alter in partem anteriorem vergit, qua via  
 est spiritus ad pulmonem, & aspera arteria di-  
 citur, cuius supremum caput ad fauces est id  
 quod à Græcis larynx, guttur à Latinis dici-  
 tur. alter verò meatus posterior via est ad ven-

Tricolum per quem cibus potusque in ventri-  
 colum fertur, & οισοφαγος Græcè dicitur, Lati-  
 nè verò gula . Sed primum de his agemus,  
 quæ ad partes oris, quæ magis extrosum ver-  
 gunt, vt sunt gingiua, dentes, palatum, lingua  
 & quæ pars sub lingua tegitur. mox verò de il-  
 lis quæ ad fauces pertinent, vt sunt tonsillæ  
 & columella atque guttur & gula. Sunt autè  
 affectus quidam, qui sunt omnibus ferè parti-  
 culis communes . Gingiuæ ergo solent à ve-  
 hementibus cruciari dolorib. qui possunt à va-  
 rijs causis & affectib. concitari, nempe vel ex  
 transmutatione propriæ & naturalis suæ tem-  
 peraturæ, cum confertim & repente fit: vel ab  
 illis quæ continuum soluunt, & hæc vel ab  
 externis & procatarcticis causis effici possunt  
 vel ab internis & antecedentibus, ab externis  
 sicuti ventis, cibus nimis calidis, vel acris,  
 aut minus frigidis, item & potu & alijs tan-  
 dem quæcunque in os ingeri possunt: præte-  
 retea quæcunque exterius possunt tundere,  
 erodere, pungere & incidere. internæ verò &  
 antecedentes causæ sunt fluxiones calidió-  
 rum vel frigidiorum humorum qui possunt  
 sua humiditate putrefacere gingiuas & a-  
 lias partes, & acrimonia pungere, abra-  
 dere, & tandem vlcerare & transmutata etiam  
 partis temperatura dolores concitare, qui sæ-  
 pius quidem solèr à capite & cerebro, cui sub-  
 iectæ

jectæ sunt: destillare, interdum tamē & ex inferioribus, sæpius autem à ventriculo solent male affici ratione vitiosorum excrementorū qui ibi continentur, à quorum vaporibus ascendentibus vitiantur oris partes. Sed ex eisdem causis possunt exoriri in his oris partibus, præsertim carneis inflammationes, scirrhi & alij tumores præter eorum naturam, qui quandoque sunt malignitatis, & interdum nō parum participes. Solent præter alia interdum fieri quædam carnis excrecentiæ in intimis gingivis ad ultimos molares dentes, quæ *παρόλιδες* vel *ελας* à Græcis dicuntur: *επαόλιδες* enim gingivam significat, qui affectus dolorosus est, & in genere inflammationum est is affectus, præterea verò ex nimia laxitate & redundantia vitiosi sanguinis, præsertim bilioli (vt refert Aetius) & erosione fiūt cruētę gingivæ. affectus illi, qui & alijs omnibus fere particulis communes, vnam itidem communem habent curationis rationē, quod si aliqua in his particularim differētia reperiat, illa à diversa particularum natura occasionē habet, quod sæpius à nobis prius expositum est. Vnde cū os veluti ostium sit per quod ingressus est tum ad ventriculum, eorum omnium, quæ bibenda & deuoranda sunt, tum verò ad pulmones, & sæpe vel nobis etiam nolentibus, quæ ore assumuntur illabuntur in pulmones

vel ventriculum, & proinde ab illis medicamentis, quantum fieri potest, in affectibus harum partium curandis cauendum est, vel saltem illis cautè vtendum, in quibus aliqua sit perniciofa qualitas, si in vètriculum vel pulmones illabantur. vnde quatenus ad generalia theoremata attinet eadem sunt, in omnibus, nempe repellentibus in morbi principio esse opus, mox repellentibus admiscenda esse digerentia, atque subinde digerentia augenda, de repellentibus verò semper ad finem vsque detrahendum, si affectus ad genus inflammationis attineat: sin autem ad genus vlcerum, exiccantibus in primis, sed præterea & detergentibus frequenter. Vt tamen ea præcedant remedia, quæ præsertim & primùm causam respiciant: habita ratione fluxionis à qua hæc semper ferè excitari solent: earumque particularum, vnde ea excrementa defluunt. vniuersa verò hæc ratio consistit in procuratione vniuersi corporis, earumque partium quæ superuacuum materiam ad has amandant, nempe vt per vacationem sectione venæ, vel purgatione intercipiatur, & auertatur fluxio. Sed hæc ad aliud, non ad præsens institutum pertinent: sicut & de congruenti victus ratione agere. Quare conuertamus tandem sermonem particulatim ad remedia accommodanda his morbis curandis, & primum de illis agemus,

quæ

quæ referuntur ad inflammationū genus, quæ tamen non sunt ratione loci graues morbi, vt in gingiuis, palato, lingua, & alijs quæ his natura attinent. nam de iaternalis seorsum loquemur. Itaque cum gingiuæ & pellicula quæ palato prætenfa est dolent, sicuri quandoq; uehementi cruciantur dolore, qui ab incipiente inflammatione habent omnem occasionem, statim considerandum quod sit inflammationi occurrendum, ea seruata methodo quæ cõmunis est omnibus inflammationibus, nempe repellentibus primum, mox repellentibus quidem, sed vt simul digerētia immisceantur, & illis semper magis acutis, quāto magis procedit inflammatio. Sed postea cum repellentia refrigerent & adstringant, & illa varia diuersaque sint, & diuersorum ordinum quatenus ad vires & uehementiam pertinent, fit vt non æqualiter & indifferenter semper his laborantibus particulis possint aptari. quare horum discretio apprime erit medico necessaria. istius verò rei ratio à natura ipsius particulæ erit petenda vt à mollicie, duricieque, ab eius sensu, à situ. nam partes hæ molles sanè sunt, & duplici sensu. & eo quidem acri præditæ, gustu & tactu, suntque expositæ vt facillimè illis medicamenta occurrere possint, quapropter neque valida & violenta medicamenta, quæcunq; illa sint facile ferunt, sed melius



à mediocribus se habent. si enim astringentibus repellentibusq; vehementiorib. utamur; similem, vt quinto de compositione med. secundum loca, affectionem contusioni imprimimus. vnde irritatur dolor, & subinde magis incitatur fluxio. Contra verò dentes qui dura constant substantia, cū dolent & inflammatione tentatur profundior neruus ad eorū radices, vehementiora remedia non bene ferunt, sed etiam talia desiderant, & præterea etiam vt illis sint intermixta, quæ acra & tenuium sint partium, vt facilius fiat aditus & penetratio ad internas & profundiores partes. Vnde consueuere antiqui ex aceto acerrimo coquere medicamenta ad dolorem dictum, ratione verò alterius sensus, nempe gustus cuius particeps est internum os, insurgit & alia indicatio, quatenus ad sapes medicamentorum quibus vti in curandis his inflammationibus pertinet. Ea verò est, quod cū horum medicamentorum multa sint, quæ horribilis et ingratisimi sunt saporis, quo maxime cruciantur partes hæ, nec modo dum illis videntur, sed postea etiã remanet malus ille eorum sapor longiori tempore, vnde præterea & sepe subuertitur ventriculus, & vt diximus possent præterea multa illorū illapsa in interiores meatos subiectis particulis non parum negotij facessere. propterea talia quantum fieri po-

ri potest sunt declinanda & illis vtédum quæ  
 ant gratiora, aut minus ingrata sunt, & proin-  
 de in dolorib. gingiuarum & aliarum partiũ  
 oris, quorum meminimus. Galen. præ omni-  
 bus ferè alijs medicamentis laudat oleum len-  
 tiscinum, vrpote quod sit moderatum, medi-  
 camentũ astringit. n. modeste: vnde fit vt re-  
 pellat citra vllam noxá, digerit etiã aliquanto  
 Calidas siquidem aliquas partes habet, & di-  
 gerendo aliquantulum vacuat intentam par-  
 ticulam, atq; ita aliquantisper dolor remitti-  
 tur. verũ ait oportere vt oleum nouũ sit. quia  
 olea cum inueterascunt, calidiora fiunt & re-  
 pulsioni ineptiora. noluit autem vt eo frigido  
 vtamur, quia in his partibus actuale frigus, vt  
 ait Gal. quarto de facul. simplic. medic. mor-  
 dax & dolorosum est, sed calefieri in duplici  
 vase, quia quæ ad ignem calefiunt calorem  
 quendam acrem magis & mordacem contra-  
 hunt. Sed cum tale oleum lentiscinũ nõ sit ita  
 promptu vbiq; neq; ita paratum facile repe-  
 riatur, ideo proxime ad illud accedit oleũ ro-  
 faceum, quod completum appellat. differunt  
 tamen quatenus rosaceum aliquãto frigidius  
 est & proinde maiorẽ etiã vim repellendi ha-  
 bet, non tamen tanta digerendi: quanta lenti-  
 scinum. Dioscorid. verò ad inflammationes  
 gingiuarũ laudat vinũ in quo efferbuerint so-  
 lia rosarum aridarũ, ita tamen vt post cocturã

## 736 DE COMP. MEDIC.

liquor percolatus ex eis exprimatur, eoque gingiuarum bene deliniantur, neque absque ratione laudatur hoc medicamentum, cum ex aridis rosas possit refrigerare & repellere, ex vino autem aliquantulum digerere. Sed lentiscinum oleum videtur aptius, nam oleum molliens potest magis dolores sedare, nam crederem & decoctum lentisci etiam quando eius oleo careremus posse conferre, minus tamen quam oleum. quamuis possemus addere lentisco femina fœnigræci aliqua aut lini, aut aliquid radicis altheæ. Laudat præterea Dioscorides & utrumque tribulum si gingivarum ex oxymelite illinantur. nam tribulus quidem refrigerat & repellit, unde Galenus de facultatibus simplicium medicamentorum ait esse, contra generationem inflammationis, cui addit fortasse mel, ut præterea aliqua etiam addit vis digerendi. Verum quia sæpe etiam accidit, ut dolores hi gingivarum ex inflammatione his repellentibus digerentibusque medicamentis neque tolli possint neque deliniri, quia in suppurationem inflammatio tendat. non est resistendum reluctandumue naturæ, sed potius iuvanda est, atque procurandum ut maturetur, quo citius fieri poterit. Erumpente etenim pure desinet dolor, & cum ira affectus in vlcus transeat, reliquum postea erit. ut medicamenti locus is tractetur, itatui & naturæ vlcis

vlceris accommodatis, de quibus agemus paulo post. Adiuuabunt verò maturationem supurationemque in primis decocta huic officio apta, vt radicum altheæ, caricarum pinguium, passularum non modo istarum exilium & nigrarum, quæ in multo vsu sunt in præsentia, verum & illarum maiorum à quibus acini vel semina possunt eximi (vt sæpe præcipiunt antiqui medici) vtpote quia non parum astringant & exsiccent quæ coqui vel ex aqua possunt, vel ex iure aliquo pingui. nam & id ad concoctionem maturationemque adiuuat, atque dolorem lenit, tum molliendo, tum verò aliquantulum digerendo, sed & aliquid zachari immisceri poterit, ex omnibus autem his, vel ex aliquibus quæ magis in promptu erant fieri potest decoctum ad consumptionem medietatis iuris, si ius sit acceptum quantum videatur exposcere ratio proportionis medicamentorum, vt tamen sine sale sit ius, & calido eo vtamur aliquantulumque in ore detineamus atque sæpius ita agamus. sæpe tamen simpliciori medicamento sumus vsi & felici successu. Meminere tamen medici antiqui quarundam inflammationum, quæ in externis introrsum gingiuis aliquando oriuntur, & *επείσσις* dicuntur à Græcis quæ potius vt dixere Aetius & Paulus sunt quædam

carnis excrescentiæ ab inflammatione quarã  
 interdum comes febris est & vehemens item  
 dolor vt ne os quidem aperiri possit, & quan-  
 uis ad epulidas curandas descripta reperian-  
 tur medicamēta plurimum acria, vtpote quæ  
 & atramentum futorium admittant & alia-  
 istius generis, id tamen sano modo intelligen-  
 dum est, vt optimè distinxit Aetius. Quia ta-  
 lia medicamenta versus finē sæpe sunt neces-  
 saria, quando ea sola viget indicatio quæ à su-  
 perexcrescentia carnis deprompta est, illa e-  
 nim contrahi nequit, reprimique nisi per illa  
 quæ non parum desiccant astringuntque &  
 detergant etiam, talia enim sunt quæ descri-  
 buntur à Paulo, Aetioq; & Galeno ex senten-  
 tia tamen Archigenis, componuntur siquidem  
 ex ærugine, futorio atramento, ex gallis, ex a-  
 lumine & eiusmodis alijs. Verùm inter initia  
 dum febris dolorque plurimum affligit, con-  
 sultit Aetius, vt his omnibus dimissis laxanti-  
 bus vtamur, vt sunt mulsa tepida, vel cremor  
 hordei, decoctum seminis lini & similibus, in  
 quibus vis est leniendi, dolorem sedare, atq;  
 non nihil digerere. dolor enim qui vehemens  
 est eo tempore vim maiorē habet in indican-  
 do. Sed vbi iam deserbuerit inflammatio, &  
 eatenus dissoluta sit dolorq; remissus, vt iam  
 possit ægrotans hiare, tunc apta sunt, ea quæ  
 ex-

extuberantē carnem desiccant, & reprimunt  
 cui officio maximē apta sunt, si Aetio credi-  
 mus, medicamenta arida, in quibus ait ille es-  
 set id cuius confectionem ipse describit. Fit ve-  
 rò ex sulphure ignem non experto, pipereq;  
 & scisili alumine exusto omnib. pondere tri-  
 tis, & inspersis epulidis. Sed alumen omne-  
 stū, & gallæ trite, & tanq̄ aridum medicamen-  
 tum insperse, profunt. quęcunq; .n. validē de-  
 siccant & astringunt, possunt huic affectui ef-  
 se medicamenta congruentia. mihi sępius fa-  
 tis fuit medicamentum id, cuius, vbi de poly-  
 po esset sermo, mentionē fecimus. nam sicut  
 potest polypum absumere & atterere, poterit  
 etiā epulidas et parulidas. et quāuis eius vis et  
 operatio tardior sit, est tamen securior: vt pote  
 in quo nihil sit, quod noxiam habeat qualita-  
 tem. omnes tamen, si morb. is pertinax & plu-  
 rimū tam medico, quam medicamentis sit re-  
 nitens, ad acriora medicamenta accedunt, vt  
 est chalcitis, sutoriū atramentum, ærugo, & ut  
 ait Aetius, usque ad ea tandem medicamenta,  
 quę carnē erodūt, & detrahūt. & ad ea quorū  
 vsus solet esse in depascētibus gingiuarū vlce-  
 ribus, de quibus paulo post sermonē fumus  
 habituri. Gingiuarum itaque vlcera &  
 partium ad ipsas pertinentium, vt & di-  
 uersas occasiones vnde orta sunt habuere

ita etiam quantum pertinet ad initium curationis, diuersimodè tractari solent. nam aut ab externa causa excitata sunt ex incisione, punctura, aut ab aliquo medicamento, vel medicamentosa re, quæ abradere & erodere potuerit, aut ex interna, & id duplici modo, quia vel ex rupto aliquo abscessu, vel ex acii & erodente in aliorum humorum fluxione. diximus autem quantum ad initium curationis spectat, quia aliqua horum quæ accidunt à fluxione, necesse est, vt donec durat fluxio foueatur à plenitudine vel cacochymia, aut vniuersi corporis, aut aliquarum particularum præsertim capitis à quibus foueatur fluxio, à quibus prius surgit indicatio, procurandum esse vt sepius iam dictum est, quod interceptatur reprimaturque fluxio illis rationibus, quæ sepius à nobis fuere exposite. At verò si nulla aliunde petenda sit indicatio præterquam ab ulcere, & ab affecta particula: tunc variatur pro ratione earum differentiarum quibus ulcera discerni ac distingui à medicis solent, ab eis nempe depromptis proprijs indicationibus & scopis, de quibus non est in presentia cur multa dicamus, cum hæc omnia in primo lib. satis distinctè & diligenter fuerint exposita, vt cum quæ tamè obliuioni tradamus eam indicationem & considerationem, quæ petenda est à natura particularis.

ticulæ. Et quamuis quando sponte & à nulla externa causa vlcerantur: nequear id plerunque fieri, nisi à fluxione acrium & erodentium excrementorum, & proinde sit necesse vt curationis initium sit ab hoc capite nempe vt sistamus, remoueamusque fluxionem, tum reuulsione vacuationeque, tum temperatione & mitigatione mordacitatis eorum excrementorum, in quo officio præcipuè sunt balneæ aquæ dulcis (vt testati sunt Galenus, & alij prisca medici, nisi aliquando fluxio acridinis sit expers quæ sit in causa cur nimio humore madidæ gingivæ putrescant, & subinde exulcerentur. nam tunc & vniuersum corpus, & caput erunt inanienda & refecâda) mox vbi res priuatim localib. remedijs erit tractanda, quorum administratio ad præsens attinet institutum. nam cætera alibi fuerunt tractata, & propria vlcærum curatio desiccatione perficienda tandem erit. cui si aliquid austeri, & astringentis sit adiunctum, præstantius, vt sæpius dictum est, erit medicamentum, vtpote quod possit arcere, si quid à circumstantibus partibus, excrementitiæ materiæ esset mandandum, & si quidem vlcus simplex sit, quodq; nullam præterea aliam habeat differentiam, quæ aliam per se habeat indicationem, com-



munib. et familiarib. lotionibus, q̄ ex aptis decoctis fieri solent, curabuntur, ut si arida rosarum folia ex vino nonnihil austero coquantur, & colluatur os. Quod si videretur esse opus vehementiori medicamento: his addi possunt cytini mali punici, vel malicorii, fortius etiam esset si gallæ adderentur, possemus & ex his aridum conficere medicamentum illis tritis, & in puluerem redactis, vlceri que inspersis: Sed, & coralius lapis ita, ut solet passim paratus, poterit inspergi, & erit facile, neque ingratum medicamentum. pompholyx vero, quam solent vulgo tutiam vocare, ita ut consuevit lauare teri & parari, optimum esset medicamentum, nisi quod esset cauendū, ne quādoque cum salia deglutita deuoraretur. Sed facile id caueri poterit, si post adhibitum medicamentum aliquanto temporis spacio interposito os abluatur aut vino aliquo aliquantulum austero, aut aliquo ex prædictis decoctis. Quando autem vlcus sordidius videretur, & aliquam præterea deterisionē desideraret, mel rosaceum facile, & non ingratum esset medicamentum: nisi interdum nimis acris sensus esset in vlcere, ita ut morderi videretur à rosaceo melle, sicut interdum in aliquibus obseruauimus, ut alias etiam testati sumus, nempe quod rosaceum simplici melle mordacius est

est medicamentum . tunc aut simplici melle  
 utendum esset, aut syrupo rosaceo, qui confici  
 tur ex succo rosarum & zaccharo, vel his sim-  
 plicibus vel eis immixtis prioribus aliquib.  
 decoctionibus, quibus si aliquid esset adden-  
 dum, his & aliquantulum myrrhæ addi pote-  
 rit. Noui priscos medicos, vbi res difficili-  
 or videretur, & iam eam malignitatem indu-  
 isset, vt in ordinem referri eorum vlcerum  
 posset, quæ aut depascentia aut putrida, ap-  
 pellantur, aut cacoethe dici solent, ad ea me-  
 dicamenta confugisse visos esse, quæ acria  
 sunt & non usquequaque in oris affectibus  
 tata, nisi caute tractentur, vt sunt erugo, arra-  
 mentum sutorium, chalcitis, misy, sandara-  
 cha, & reliqua istius ordinis. Sed quia istius-  
 modi medicamentorū ratione & vsum supra  
 in 3. lib. exposuimus: ideo in illis reperendis  
 nō cōteremus tēpus. Sed quibusdā explicatis,  
 q̄ ptinent ad rationē remedii, cuius meminit  
 Gal. 5. li. de cōp. med. p̄ loca, quod mihi p̄stan-  
 tissimū videretur in his malignis vlcerib. ad me-  
 dicamēta apta ad dentiū affectus curādos ser-  
 monē cōuerteremus. Remediū aut hoc quod fa-  
 cile, & mea sentētia, tutum, ad cauteriorū ge-  
 nus referri pōt, & eorū q̄, ni fallor, actu ignea  
 dicuntur & vrentia à iunioribus non quòd  
 vrant quidem igneum & vrentem omnino

calorem vt ferrea, metallicaque instrumenta dum igniuntur, referre solent, sed quia calore actuali, vt ita in præsentia dicam, inurunt. præcipit enim vt specillo aliquo ex altero capite lana aut cocto inuoluto, ac in oleum feruescens demerso vlcerata gingiua foueatur, aut potius inuratur, eatenus, dum earum caro à specillo ita parato albescat. nam illud erit signum quod satis exustæ sint. hac autem potius inurendi ratione, quàm ignitis metallicis instrumentis aut causticis medicamentis vsus est, quia in hoc nõ est ita efãcax operatio vt possit denti officere, aut profundius nervum lædere, qui est ad dentis radicem. præterea, cum citius in oleo deseruescat igneus, & feruens calor, postea vbi ad suũ naturam est statum redierit, vel ad teporem, habet sedandi dolorem & inflammationem: deinde verò aliquo smegmate arido (vt Græci dicunt) hoc est medicamento arido inspergendæ & affricandæ, qualia multa sunt, quarum paulò ante meminimus, nempe gallæ ad dita modica myrrha, aut corallorum bene paratorum, aut rosarum aridarum vel malicorij, vel id genus aliorum. Mihi satis probaretur medicamentum ex granatis, de quo egimus, vbi de tollendo narium polypo ageremus, siue succo vtamur prius ex illis expresso, siue ea parte quam tri-

tam in pastillos redigi diximus. his eisdem medicamentis poterit quis uti, vel alijs his similibus, ad desiccandas contrahendasque gingivas, cum in imio humore madidæ quasi prægnantes in tumorem tolluntur. antiqui autem auctores laudant lambruscæ flores ex lamina affatos, & tritos, si eis gingivæ fricentur. præterea & alumen, & multa alia, quæ eodem respiciunt, & identidem eisdem succurrere gingivis possumus, si cruorem effundant.

*De illis quæ pertinent ad curandos male affectos dentes.*

Caput XVII.

**D**entes quamvis quatenus ad rationem durioris substantiæ pertinet, magis ad ossium naturam accedant, alia tamen ratione ancipitis naturæ videntur, & mediæ inter ossa & alias molliores partes, ut caro & nervi. imò & quandam præterea rationem retinent, qua ab utroque horum genere evariant. nam & sentiunt non solum per gingivas, & nervos qui à natura singillatim illis distributi, quamvis ab illis sentiendi facultatem habeant, sed per propriam etiam eorum substantiam, cuius prærogatiuæ expertia sunt cætera ossa, in qua dentes cum carne, nervis

conveniūt, in hoc vero ab vtrisque particulis  
dissentiant, quod semper ad extremam vs-  
que ætatem crescere possunt, quod consul-  
to à natura factum est, quia cum munus hoc  
à natura habent, vt solidiores cibos atterant:  
in quo, & ipsi non parum atteruntur, nisi hu-  
ic incommodo natura provida consuluis-  
set, breui tempore animal ab hoc officio &  
utilitate, quæ non pauci est momenti, de-  
stitueretur. Quibus ita positis & expositis,  
possumus investigare quot affectibus, & cu-  
ius naturæ obnoxii sint dentes inde: ex his  
enim facile deinde est rationem componen-  
dorum medicamentorum invenire, ac mo-  
di præterea, quo eis oporteat vti. Cum ita-  
que sensu sint præditi, tum ratione suæ sub-  
stantiæ, tum propriorum neruorum, dolo-  
rum capaces sunt, & illorum quidem maxi-  
morum: cum præterea diu & ultra termi-  
nos aliorum ossium cæterarumque corpo-  
ris partium, ex proprio alimento crescere  
possint, necesse est vt etiam ex assumpto ali-  
mento ad eos influente facilius eorum sub-  
stantia dum fit incrementum, & quoquo mo-  
do intumescât. quæ cū ita se habent possunt  
interdum nimio influente alimento, vel ni-  
mis extendi & quasi intumescere, & hoc mo-  
do inflammatione corripitur, vel si inflamma-  
tionem

tionem appellare nolumus, erit saltem affectus inflammationi similis. Interdū vero penuria alimenti gracilescere, & quasi cōtabescere. quod vbi fiat, cum exquisitē & integre nequeūt replere alueolos maxillarū, quib. innati & infixi sunt, & proinde nequeunt vltius ita firmi, & immou ab illis contineri, quare labari moueriq; in illis est necesse, quæ affectio senib. familiar est, ac nō æque omnibus neq; eodē tempore, accidit, nā aliis id accidit rēpēstius, aliis vero serius pro ratione diuersę eorum naturæ, aut diuersarū occasionū, vel ex ratione victus, vel ex externis causis, quæ nō ita in etatem referenda postea sunt. sed in causas eas, quib. & aliæ ætates possunt esse subiectæ. Affectio vero ex plenitudine quam inflammationem appellauimus, frequentior est in ætate iuuenili. sed de his magis particulatim agemus. Sicuti autem hæc ex influxu alimenti accidere possunt, ita non minus dentes aliis fluxionib. expositi sunt: præsertim vero destillationib. quæ à capite fluūt. Nam interdū, imo sæpe, hac humiditate perfusa ligamēta dentiū laxiora fiunt, nec ea solū: verū & gingiue, & subinde occasione sūt vt labentur & vacillēt dentes. Sed nō solū ligamēta, & gingiue possunt perfūdi his defluētib. viciosis succis, sed & dentes eos admittūt, sicut & alimētitiā materiā &

ab ea variè affici pro varia illius materię ratione, quia si acris fuerit, possunt erodi perforarique, si apti ad putredinem, inde & dentes computrescunt si fuliginosa nigrescunt siue talis fuerit ex natura siue comparauerit sibi eam colorem ex corruptione & putredine. Quamuis & alia ratione colorem immutare possint, atque erodi, nempe si reliquię aliqę ciborum comestorum remaneant inter vel circiter dentes interdum ibi putrescentes, malè eos afficiunt, qui eos vel erodunt, vel putrefaciunt, vel ibi exiccate & quasi excoctę topthorum naturam induunt, & scabros turpesque reddunt dentes. Pręter hoc autem & similes affectus, altera etiam sua quadam peculiari ratione subiecti, quę *αιμωδία*, Gręcè dicuntur. apud Latinos verò non habet priuatum aliquod nomen, nisi quod stupor dentium dicitur, qui orrum habet ab acerbo vel austero aliquo succo, aut externo aut interno. externo, vt sunt succi acidorum vel acerborum. interno autem, sicuti acide pituitę & melancholici humoris, quę aut à capite deflexerint, aut à ventriculo vomita fuerint reiecta. Quatenus ergo ad eos affectus quibus dentes corripuntur, & communes ferè omnibus esse possunt, hi aut omnes aut præcipui sunt. Pueri verò cum dentire incipiunt, multos

multos interdum dolores deterioraque symptomata anteaquam è gingiuis illi erumpant perpeti solent, quamuis non eque omnes: alij enim alijs solent maiora pati symptomata.

*Morte praeventus auctor ulterius in praesenti Opere progressus non fuit.*

F I N I S.



# INDEX LIBRI TERTII ET

Quarti de Compositione Med.

Trincauelij locupletif-  
simus.

A



B S C E S

351

- A** *sus suppu-  
rati curan-  
di ratio.* 291
- Abstergentia partim ca-  
lida partim frigida  
sunt.* 128
- Aceti vsus in scirrhis.* 355
- Aceti in oedematis cura-  
tione vsus.* 335
- Acetum vmo magis desic-  
cat.* 630
- Achores & Ceria que  
medicamenta requi-  
rant.* 445
- In Achoribus que victus  
ratio conueniat.* 449
- Achorum curandi ratio.*  
441
- Achorum et reliquorum  
cutis capitis vitiorum  
curandorū scopi.* 450
- Adeps leonis calidissima*
- Adeps vituli & vaccina  
medulla eiusdem ferē  
sunt facultatis.* 362
- Adeps ex anguilla assa  
destillans ad auditum  
lesum optima.* 717
- Adipes & medulle quō  
magis inueterascunt  
eō & calidiores eua-  
dunt & sicciore.* 352
- Adipes suppurandis in-  
flammationibus uti-  
les.* 289
- Adipum ex uarijs anima-  
libus in calefaciendo  
& digerengo gradus  
& differentia.* 352
- Aegilops oculorum quid*  
640
- Aegilopis curandi ratio*  
641
- Aegyptiacum unguen-  
tum*

# INDEX.

- |  |   |
|--|---|
| <p>tum. 141</p> <p>Aegyptiaci unguenti in curandis finibus usus 180</p> <p>Aeruginis in ceratis uariandi ratio pro corporū diuersitate. 137</p> <p>Agglutinantia composita mediocria. 36. 37. uehementia. 43</p> <p>Agglutinantia simplicia mediocria. 33. uehementiora. 33. 34. 40</p> <p>Albuginis oculorum curandi ratio. 601</p> <p>Albugines in oculo quid 602</p> <p>Album oui emplasticae facultatis. 252</p> <p>Album oui Auicennae astringit. 29</p> <p>Aloe supercrescentem in ulceribus carnem excificat. 197</p> <p>Alopetiae &amp; ophiastis differentia. 408</p> <p>in Alopetijs cur initio uelēriorib. utendū. 433.</p> | <p>Aluum cienia in affectibus capitis insigniter reuellunt. 472</p> <p>Amara ferè omnia aliqua detersorū habet. 128</p> <p>Amaritudo semper in tenui substantia à calore attenuata consistit 128</p> <p>Andronis pastillorū compositio. 156</p> <p>Aneurismatis causae. 250</p> <p>Antimonium et eius temperatura. 89</p> <p>Apertionis uasorum causae. 242</p> <p>Apophlegmatismorū usus. 537</p> <p>Aqua usus in neruorū ulceribus cauendus. 126</p> <p>Aquae hordei ad sordes et ichores in ulceribus &amp; sinibus usus. 177</p> <p>Araneorum tela emplastica facultatis. 152</p> <p>Arca pueros &amp; adolescentēs sepius corripuit 432.</p> |
|--|---|

# INDEX

<i>Arcuarum vel tinearum</i>	doloribus afficitur q̄
<i>curandi ratio</i> 413	nares 686
<i>Aspreo palpebrarum</i>	<i>Aurium dolorum cause</i>
<i>quæ proprie dicatur</i>	688. 701
609	<i>Aurium dolorum cause</i>
<i>Astrictio crassæ &amp; ter-</i>	<i>quibus notis discer-</i>
<i>renz frigiditatis opus</i>	<i>nendæ</i> 702
128	<i>Aurium dolorosorum af-</i>
<i>Astrictio moderata uul-</i>	<i>fectuum curandi ra-</i>
<i>neribus utilis et neces-</i>	<i>tio</i> 690
<i>saria</i> 23. 24	<i>Aurium affectuum curan-</i>
<i>Attractionis causæ calor</i>	<i>di ratio.</i> 686
& dolor 234. 235	<i>Aurium dolores pericu-</i>
<i>Atheromata quæ</i> 383	<i>losi &amp; cur.</i> 696
<i>Auditus instrumenta sic</i>	<i>Aurium partes interio-</i>
<i>ciora quam odoratus</i>	<i>res exquisitori sensu</i>
663	<i>præditæ quàm nariū</i>
<i>Auditus malè affecti cau-</i>	686
<i>sæ. 714. curatio. 716</i>	<i>Aurium ulcerum cause</i>
<i>Audiendi actio quattu-</i>	706
<i>pliciter ledatur.</i> 713	<i>Aurium ulceratarum cu-</i>
<i>Auicennæ de albi oui tem-</i>	<i>randarum ratio</i> 708
<i>peraturæ sententia.</i> 29	<i>Aurium ulcera præ reli-</i>
<i>Auicennæ de repulsione</i>	<i>quis particulis siccio-</i>
<i>bubonum error.</i> 320	<i>ribus curanda</i> 708
<i>Aures quibus affectibus</i>	B
<i>obnoxie sunt</i> 687	<i>Balnea in conuulsione</i>
<i>Auris uehementioribus</i>	<i>apta</i> 559
	<i>Barba-</i>

# I N D E X.

Barbarum maius Galeni & eius descriptio. 52	Bubonum nomine Gal. omnes glandularum inflammationes cō- plectitur. 310
Barbari emplastris descri- ptiones. 51	C
Barbari minoris & sim- plicioris descriptio & examen. 56. & seq.	Cadmiz uires. 100
Barbari emplastris sco- pus uarius. 52. 53	Capitis cutis affectuus curandi ratio. 406
Barbari emplastris exa- men. 54. 55. & sequen-	Capitis cutis affectuum enumeratio. 406
Basilicon magnum in ner- uorum ulceribus com- modum & in usu fre- quenti. 228	in Capitis piaga acce- pta quæ consideran- da. 464
Basilici unguenti compo- sitiones due. 81	Capitis affectus cum materia curandi ra- tio. 532
Bocia uel Bronchochile quid. 385	Capitis piage curande ratio. 457
Boli armeni facultates. 253	Capitis inflammationē curandarum ratio. 488
Bubo tumor in inguine proprie. 310	Capitis partium enume- ratio 404. & seq.
Bubones qui Gallicæ luis signa sint. 317	Calida tēperata abscessū bus suppuratis apta 287
Bubones qui mali & cur 310	Calidum suppurationi promouende ido- neum. 287
Bubonum & strumarum discrimen. 381	

# I N D E X.

<i>Calor natiuus semper</i>	359	<i>Cancer quomodo gene-</i>	
<i>concoquit, extraneus</i>		<i>re:ur</i>	370
<i>uero corrumpit &amp;</i>		<i>Cancer initio non facile</i>	
<i>putrefacit</i>	267	<i>cognoscitur</i>	370
<i>Calor duplex in parte in</i>		<i>Cancris oculi non cu-</i>	
<i>flammata</i>	266	<i>randi</i>	370
<i>Caloris natiui &amp; extra-</i>		<i>Cancris occulti qui nam</i>	
<i>nei in inflammatione</i>		<i>sint Galeno</i>	ib.
<i>lucta</i>	266	<i>Cancris &amp; elephantiasis</i>	
<i>Caloris natiui officia</i>		<i>differentia</i>	380
	266	<i>Cancris nomen unde affe-</i>	
<i>Caloris extranei &amp; ad-</i>		<i>tui sit inditum</i>	368
<i>uentitij effectus.</i>	266	<i>Cancris curandi ratio</i>	
<i>Callus quæ medicamen-</i>			371
<i>ta requirat</i>	188	<i>Cancris generationis in-</i>	
<i>Callorum duplex cura-</i>		<i>tionem a liene habet</i>	
<i>tionis ratio</i>	187		369
<i>Caduitiei causa</i>	409. &	<i>in cancro qualia medica-</i>	
	415	<i>menta conueniant</i>	
<i>Cancer quid</i>	367		373
<i>Cancer uerus quando di-</i>		<i>Cancris à scirrho diffe-</i>	
<i>cendus</i>	367	<i>rentia</i>	367
<i>Cancer sine ulcere uel</i>		<i>Cancris inueterati non</i>	
<i>occultus quis</i>	368	<i>aggrediendi</i>	375
<i>Cancer ulceratus quan-</i>		<i>Cancrorum ulcerato-</i>	
<i>do dicendus</i>	368	<i>rum uera curatio nõ</i>	
<i>Cancer in mulierum</i>		<i>speranda</i>	377
<i>mammis frequentius</i>		<i>Carbunculus quis affe-</i>	
<i>oritur, &amp; cur.</i>	368 &	<i>ctus</i>	

I N D E X.

<i>Ætus</i>	323	<i>neratio solius naturæ</i>	
<i>Carbunculi materia qua</i>		<i>est opus</i>	75
<i>lis</i>	314	<i>cataphora media est af-</i>	
<i>Carbunculi materia fo-</i>		<i>fectio inter phreni-</i>	
<i>ras euocanda &amp; qui-</i>		<i>tidem &amp; lethargum</i>	
<i>bis</i>	323		510
<i>Carbunculi generatio</i>		<i>catapotia quomodo ma-</i>	
	312	<i>gis à capite &amp; remo-</i>	
<i>Carbunculi pestilentes</i>		<i>tioribus partibus at-</i>	
<i>quales</i>	313	<i>trahant</i>	536
<i>Carbunculi malignitas</i>		<i>causæ procatartice mo-</i>	
<i>secundum Auicen-</i>		<i>uent internas causas</i>	
<i>nam ex colore cog-</i>			529
<i>noscentia</i>	321	<i>caustica medicamenta</i>	
<i>in carbunculo neque re-</i>		<i>que propriè dicantur</i>	209
<i>pellentia neque sup-</i>		<i>ceratum ex Oesypo ad</i>	
<i>purantia Galeno pro-</i>		<i>durities emolliendas</i>	
<i>bari</i>	328		361
<i>in carbunculo exquisito</i>		<i>cerati ex Oesypo descri-</i>	
<i>maturantia &amp; sup-</i>		<i>ptiones</i>	361
<i>purantia uitanda</i>		<i>Cerati diachylon compo-</i>	
	323. 324. 325	<i>sitio</i>	361
<i>in carbunculo à repellen-</i>		<i>Venetis usitata</i>	364
<i>tibus abstinendum</i>		<i>Cerati diachylon facul-</i>	
	322	<i>tates</i>	365
<i>carbunculorum modum</i>		<i>ceratum de mucilagini-</i>	
<i>uel differentiam esse</i>		<i>bis</i>	364
<i>duplicem</i>	312	<i>cerebri affectus prima-</i>	
<i>carnis in ulceribus ge-</i>			

# I N D E X

<p><i>rii maxim. apituitosa ma- teria oriuntur.</i> 512</p> <p><i>Ceria uel sauis capitis quid</i> 442</p> <p><i>Cephalica medicamenta quæ dicantur.</i> 475</p> <p><i>Cephalicorum medica- mentorum compo- sitiõ.</i> 500</p> <p><i>Ceruse facultates.</i> 89</p> <p><i>Chalasticorum &amp; male- cticorum differentia</i> 364</p> <p><i>Charta nostra ueterum infirmior.</i> 453</p> <p><i>Cecitatis cause.</i> 714</p> <p><i>Collirij Pacciani ex Ga- leno descriptio.</i> 625</p> <p><i>Collirij ex uino Pauli de scriptiones.</i> 624</p> <p><i>Collirij Pauli Isothei ex uino descriptiones</i> 624</p> <p><i>Collirij elisir Rhafis de- scriptio.</i> 599</p> <p><i>Collirij crocei Leontini dicti compositio.</i> 626</p> <p><i>Collirij ex thure Rhafis descriptio.</i> 597</p> <p><i>Comata &amp; cataphoræ</i></p>	<p><i>ac cari unde oriuntur.</i> 519</p> <p><i>Composita remedia ul- ceribus dyssepuloticis &amp; malignis apta.</i> 107</p> <p><i>Conuulsio ex siccitate raro aut nunquam cu- ratur.</i> 559</p> <p><i>Conuulsio in neruis ul- neratis maximè timen- da.</i> 216</p> <p><i>Conuulsionis à siccitate eadem curatio quæ &amp; hectica.</i> 560</p> <p><i>Cõuulsionis curandæ ra- tio.</i> 559</p> <p><i>Conuulsionis remedia.</i> 559</p> <p><i>Conuulsionis &amp; resolu- tionis differentia</i> 555</p> <p><i>Corpora humana pluri- mum natura tempera- mento differunt.</i> 77.</p> <p><i>Crustæ in vlceribus ex vstione contractæ v- sus</i> 206</p> <p style="text-align: right;"><i>Cu.</i></p>
---	--

# I N D E X.

- Cucurbitulae* quomodo attrahant 242  
*Curatio inflammationis* circa finem eadē est, quae & scirrhi 602  
*Cutis* cur alijs partibus imbecillior procreata 438  
**D**  
*Damasceni Emplastri compositio* 139  
*Defensivi unguenti compositio* 69  
*Defluuij capillorū causa* 410  
*Defluuij capillorum curandi indicationes* 410  
*Dentes non tantum per per nervos & gingivas, sed per propriam eorum substantiam sentire.* 746  
*Dentes quibus affectibus sint expositi* ibidem  
*Dentium dolor quae requirat medicamentum* 734  
*Dentibus malè affectis quae remedia conueniant.* ibidem  
*Dentium stupor quis affectus* 478  
*Deſiū stuporis causis.*  
*Derivatio attractio est in locum vicinum* 239  
*Derivatio fluxionum quomodo fiat* 93  
*Derivationis & reuulsionis differentia* 239  
*Destillatio in cerebro eandem habet rationem quam in uentriculo alui profluuii.* 568.  
*Detergentium uariarum ratio* 126. 128  
*Detergentium compositorum enumeratio* 132  
*Detergentium omnium tenuis substantia* 128  
*Detergentium moderatissimorum simplicium enumeratio* 129  
*valentiorum* ibid.  
*Detergentium duplex differentia* 130



I N D E X.

<i>Petergētium ordo mul-</i>	test	11
<i>tiplex</i>		129
<i>Peterforia facultas à te-</i>	<i>Dolor bifariam sedari</i>	potest 619
<i>nuitate partium or-</i>	<i>Dolor quādo indicet</i>	693
<i>tum habet</i>	<i>Dolores à frigida causa</i>	115
<i>Diachartæ descriptio</i>	<i>orti minus periculosi</i>	700
159		
<i>Diachyli magni in sini-</i>	<i>Colores uehementes cu-</i>	
<i>bus curandis vsus</i>	<i>randi rationem im-</i>	276
<i>Diachyli in scirrhis effi-</i>		
<i>caria</i>	E	
363	<i>Ex Ἐπιου palpebrarū .i.</i>	
<i>Diachyli descriptio</i>	<i>euerſionis causa</i>	609
<i>Diachyli magni compo-</i>	<i>Elephātiſis cancer eſt</i>	
<i>ſitio</i>	<i>vniverſalis</i>	380
<i>Diachyli cum gummiſ</i>	<i>Emplaſtica ad omnes o-</i>	
<i>descriptio</i>	<i>culorum affectus con-</i>	592
<i>Diapalma unguent. ad</i>	<i>ueniunt</i>	
<i>ſinus curandos utile</i>	<i>Empiaſtica medicamen-</i>	
185	<i>ta quæ dicantur</i>	252
<i>Diamēdrosos ſanguinis</i>	<i>Empiaſtrum Apoſtolo-</i>	
<i>cauſe</i>	<i>rum Auicennæ</i>	140
251	<i>Empiaſtrum Auicennæ</i>	
<i>Dichroos Medicamē-</i>	<i>ad vlcera dyſepuloni-</i>	
<i>tum</i>	<i>ca aptū examinaatur</i>	116
680	<i>Empiaſtri diachalcite-</i>	
<i>Digerentia ualidiora</i>	<i>os facultates</i>	284
<i>ſimplicia</i>	<i>Empiaſtri ex Lithargy-</i>	
358	<i>onis ſolutione fieri po-</i>	10 de-
<i>Digerentia quando in</i>		
<i>fluxionibus aſhibenda</i>		
273		

# I N D E X

<p>ro descriptiones tres 48</p> <p>Emplastri de Betonica descriptio 562</p> <p>Emollientium duplex v- tendi modus 355</p> <p>Emunctoria quæ in cor- pore 309</p> <p>Epilepsia sæpe in melâco- liam transit 512</p> <p>Epilepsiæ causæ 512</p> <p>Erosio unde fiat 165</p> <p>Errhinorum vel caput purgiorum vsus 538</p> <p>Erysipelas morbus faci- lis &amp; citra periculũ 295</p> <p>Erysipelas calore &amp; fer- uore longe magis quã corpore uel copia cruciat 300</p> <p>Erysipelas exquisitum quid denotet 363</p> <p>Erysipelatis &amp; inflam- mationis variæ mix- tionis 295</p> <p>Erysipelatis differentiæ variæ 298</p> <p>Erysipelatis &amp; inflam-</p>	<p>mationis differentiã 294</p> <p>Erysipelatis curandi ra- tio 294</p> <p>Erysipelatis etymon 293</p> <p>Erysipelatis causæ 293</p> <p>Erysipelas in tumorum genere 300</p> <p>Erysipelatis curandi me- thodus 299</p> <p>Erysipelatis periculosi prognostica 292</p> <p>Scopi curandi erysipe- latis 301</p> <p>Erysipelata quomodo in scirrhus aliquando trãf- cant 347</p> <p>In erysipelate utrum ve- næ sectione potiùs vel purgatione utendum 300</p> <p>In erysipelate quousque refrigerandum 302</p> <p>In erysipelate indicatio refrigerationis vin- cit vacationis indi- cationem 301</p> <p>Excrementum duplex vl</p>
--	---

# I N D E X:

<p>cerum omnium 67.</p> <p>§ 122</p> <p>Excrementorum alui dis- ferentia 143</p> <p>Excrementorum in ulce- ribus copiosorum ra- tio 124</p> <p>Exiccatio omnibus tum- uulneribus tum ulce- ribus necessaria 23</p> <p>Exiccatio in vulneribus curandis qualis esse de- beat 25</p> <p>Exiccantium triplex or- do 25</p> <p>Expulsio materie mor- bificæ à partibus no- bilibioribus ad ignobi- liores bona : contra mala 723</p> <p>Extremis morbis extre- ma remedia oppor- tuna 207</p>	<p>Fistula quid 169</p> <p>Fistulas inueteratas cu- rare non est tutum 172</p> <p>Flatusorum tumorum curandorum ratio 136</p> <p>Fluoris sanguinis ex ul- ceratis nel uulneratis particulis causæ 238</p> <p>Fluxio in ulceribus quo modo sistenda 92</p> <p>Fluxionis causa imbecil- litas 271</p> <p>In fluxione crassorum frigidiorum humo- rum impactorum non repellendum sed dige- rendum 276</p> <p>Fluxiones curandi Me- thodus 272</p> <p>Fætor putredinis comes 303</p> <p>Formica ambulatiua A- rabibusque 147</p> <p>Frigidum uulnerib. mor- dax 226</p> <p>Frigidum neruis præser- tim inimicum 129</p> <p>Furunculus ex sanguine crasso</p>
---	--

P

# I N D E X.

crasiori oritur	311	de	317
Furunculi à phymate dif-		Œmi iuniperi cōtra Pli-	
ferentia	311	nium usus	506
Furunculorum differen-		Gypsi facultates	253
rentiæ	650	H	
Furunculorum causa &		Heræ compositio ad Scir-	
generatio	650	rhos	359
Furunculorum curatio		Herpes qualis affectus	293
652		Herpes quomodo gigitur	
Furunculorum circa fa-		tur	293
ciem & mentum or-		Herpetis causa	163
tus frequens.	650	Herpetū differentia	294
Furunculi tardius cre-		Historia monialis quæ	
ſcunt & ſuppuratur		plagam in capite ex	
quàm tubercula	311	caſu acceperat	340
G		Historia pueri capite te-	
Galenī Medicamentum		ſi ex ic̄tu et curati	339
ex malis punicis ad po-		Historia patricij Veneti	
lypos	677	à vulnere in capite	
Gangræna quis affectus		præmagno ſanati	
145		480	
Gingivarum dolor ut ſe-		Historia de puero cui	
dandus	733	craneum fractū utra-	
Gingivarū ulcera quomo-		q̄ membrana perfo-	
do tractari debeat.	738	rata ſanato	461
Gāgræna quomodo fiat		Historia de verme in au-	
267		rem ingreſſo & affli-	
Glanduloſarū partiū in-		gente	719
flāmationes nō repellē		Humiditas mater putre-	

# I N D E X

<i>Alinis</i>	149	<i>Indicatio prima etiam</i>	
<i>Humiditas nisi cum materia fuerit coniuncta dolorem non facit</i>	688	<i>vulgaribus nota</i>	18
<i>Hyperfarcoscos in ulceribus curandæ ratio</i>	193	<i>Indicatio naturam rei indicatæ sequitur.</i>	6
<i>Hyperfarcoscos ademptio ad solum medicum spectat</i>	194	<i>Indicationes in tuberculis &amp; anthracib.</i>	316
<i>Hypopium vel suggestio quod</i>	648	<i>Indicationes fundamenta primaria sunt methodi</i>	232
I		<i>Indicationes et scopi in flatulentis tumoribus à quib. sumantur</i>	341
<i>Ixos quid</i>	67	<i>Indicationes uniuersam medendi methodum constituunt</i>	17
<i>Iecur non ita à scirrhis ut ab œdemate tumet</i>	332	<i>Indicationes curandi unde de depromendæ</i>	17
<i>Iecur cur non œdemate corripitur</i>	332	<i>Inflammatiō vulnerato corpori plethorico superuenire consuevit</i>	36
<i>Ignis sacer unde dictus</i>	293	<i>Inflammatiō dupliciter feliciter potest terminari</i>	272
<i>Imbecillitatis partis causa intemperies</i>	233	<i>Inflammatiō quomodo in scirrhum aliquando transeat</i>	347
<i>Impetiginis causæ materiales</i>	391	<i>In inflammatione indicatio vacuationis vincit</i>	
<i>Indicatio à causa aliis omnes antecedit indicationes</i>	162		

I N D E X.

cit refrigerationis in dicationem	301	Intemperaturarū diffi- rentiæ	7
Inflammationes cur nō semper eodem modo terminentur	266	Intemperies curationē ulceris impedit	449
Inflammationis causa	266	Isis unguent. detergendi sordes & exiccandl	
Inflammationis tempo- ra ut distinguantur	268	uires habet	189
Inflammationis in glan- dulosiſ partibus gene- rationis modi	309	Isidis unguenti compoſi- tio	190
Inflammationum ſigna & ſymptomata	264	Isis Emplaſtrum	142
Inflammationum curan- darum ratio	264	Iugularium uenarū ſen- guinis profuuium citra uinculum ſolis medicamentis eſt re- ſtringendum	250
Inflammationum curan- darum methodus in quibus conſiſtat	487		L
Inflammationum tempo- pora diſtinguendi tri- plex ratio	269	Lactis muliebris in ſe- dantis aurium dolo- rib. uſus	695
Inflationis circa articu- los curandi ratio	343	Leonis adeps in digereri rendo & calefacien- do omnes alios ſupe- rat	351
Inflationum ab œdema- mate differentia	337	Λαγοδαλμὸς oculi offe- ctus	607
Intemperatura s. quatu- or ſimplices & toti- dem compoſite	7	Lepræ materia qualis.	388
		Lepræ cauſe	390

I N D E X

<b>Lepra Græcorum et pso-</b>	<b>Masticatorium vsus ex</b>
<b>re differentia</b> 388	<b>catalogus</b> 542
<b>Lethargus pituitosa in-</b>	<b>Materia que in p<sup>o</sup> trās</b>
<b>flāmatio cerebri</b> 510	<b>mutatur aliquo mo-</b>
<b>Lienis officium</b> 369	<b>do putrescit</b> 288
<b>Lippitudini medicamen-</b>	<b>Materiam morbi nouisse</b>
<b>ta apta</b> 593	<b>ad curationem pluri-</b>
<b>Lite dictum emplastrum</b>	<b>mum confert</b> 443
198	<b>Medicamentum Galeni</b>
<b>Loca in homine que ue-</b>	<b>optimum in neruorū</b>
<b>teribus dicta</b> 4	<b>vulneribus</b> 220
<b>Lumbrici terrestres ner-</b>	<b>Medicamentum ex plū-</b>
<b>uis vulneratis utilissi-</b>	<b>bo Rasis</b> 598
<b>mi</b> 229	<b>Medicamenta scirrhis</b>
<b>M</b>	<b>emoliendis acommo-</b>
<b>Macedonici Medicamen-</b>	<b>data</b> 352
<b>ti vsus</b> 317	<b>Medicamenta putrefa-</b>
<b>Madarosis quid</b> 611. &	<b>cientia calida &amp; hu-</b>
639	<b>mida sunt.</b> 203
<b>Malacticorum in Scir-</b>	<b>Medicamenta simplicia</b>
<b>rbis curādis vsus</b> 250	<b>refrigerātia et astrin-</b>
<b>Māna thuris magis quā</b>	<b>gentia</b> 254
<b>thus astringit</b> 257	<b>Medicamenta septica di-</b>
<b>Mariscas sanare non tu-</b>	<b>cta calefaciunt &amp; sic</b>
<b>lum</b> 272	<b>cant</b> 203
<b>Masticatoria composita</b>	<b>Medicamenta neruis uul-</b>
544	<b>neratis omnia cali-</b>
<b>Masticatoriorum vsus</b>	<b>da imponenda</b> 226
537	

Medi-

# I N D E X

- |   |  |
|---|--|
| <p><i>Medicamenta ad carbonculos idonea</i> 328</p> <p><i>Medicamenta simplicia crustas inducentia</i> 203</p> <p><i>Medicamenta simplicia ulceribus dyspepiloti cis apta.</i> 100</p> <p><i>Medicamenta sordes in ulceribus detergentia pro causarum diversitate uaria esse debent.</i> 125</p> <p><i>Medicamenta ad carbonculum curandum apta</i> 321</p> <p><i>Medicamenta oedematis curandis apta</i> 342</p> <p><i>Medicamenta ulceribus putridis accommodata</i> 254</p> <p><i>Medicamenta simplicia fluxionem reprimentia</i> 94. 95</p> <p><i>Medicamenta ad erysipelas curandum apta</i> 303</p> <p><i>Medicamenta uiribus morbum æquare de-</i></p> | <p><i>bent</i> 165</p> <p><i>Medicamenta composita ad areas</i> 425. &amp; sequ.</p> <p><i>Medicamenta ex charta combusta ueterum</i> 452</p> <p><i>Medicamenta simplicia areis accommodata</i> 421. &amp; sequen.</p> <p><i>Medicamenta in cancro utilia</i> 378. &amp; sequen.</p> <p><i>Medicamenti ex charta combusta descriptio.</i> 158</p> <p><i>Medicamentorum scirrhis accommodatorum differentia triplex</i> 353</p> <p><i>Medicamentorum duplex iudicium à medico faciendum</i> 15</p> <p><i>Medicamentorum simplicium cognitionem non tantum in genere, sed etiam particulatim in medico requirit Galenus</i> 99</p> <p><i>Medicus naturæ minister.</i> 22</p> |
|---|--|



# I N D E X.

- Medicus impediencia** ag  
 glutinationem uul-  
 neris remouendo na-  
 turam iuuat 21  
**Medici in curandis uul-**  
 neribus officium .  
 273  
**Melicerides dicti absces-**  
 sus qui 383  
**Metallica omnia medica-**  
 menta desiccant. 216  
**Metallica medicamenta**  
 usti & lota morsum  
 omnem deponunt  
 374  
**Metallica post ustionem**  
 lota leniora fiunt  
 679  
**Methodum qui nouit,**  
 ipse componere apta  
 medicamenta potest  
 107  
**Methodum medendi qui**  
 nouit, ubicunque a-  
 pta medicamenta cō-  
 ponere potest 679  
**Mel rosaceum simplici**  
 fortius detergit 133  
**Mellis cocti in finibus**  
 detergendis usus 182  
**Millepedarum oleum ad**  
 aurium affectus 705  
**Morbus quid 9**  
**Morborum tempora oc-**  
 casiones remediorū  
 uariant 267  
**Mulsa ad sordes & icho-**  
 res detergendos & ab-  
 luendos utilis 177  
**Mulse & uini mulsi sa-**  
 cultates 672. & 710  

N

**Nares tripliciter ratione la-**  
 di possunt 662  
**Nariū affectus 663. 664**  
**Narium temperatura sic-**  
 cior quam oculorum  
 663  
**Narium partes 663**  
**Nariū triplex officium**  
 662  
**Narium affectus curan-**  
 di ratio 662  
**Natura in quibusdam si-**  
 ne medici ope nihil  
 potest 19  
**Natura in curandis uul-**  
 neribus & ulceribus  
 prima

I N D E X.

prima & princeps	Oculorum affectib. quæ
173	medicamenta conueniant
Neruis uulneratis accomodatam	577. & sequentibus
medicamenta	Oculorum inflammatio
218	quid peculiare habeat
Neruo uulnerato quæ uis	reliquis inflammationibus
ratio instituenda	576
216	Oculorum perturbatio
Neruorum affectus curandi	nis curandæ ratio
ratio	601
550	œdema cachexiæ familiaris
Neruorum plagas quæ pericula impendeant	332
214	œdema ubi max. conspicitur
Neruorum contusorum curatio	332
227. uulneratorum curandi ratio	œdema rarissime in icterico
212	ore uel intra iboracem oritur
Nodi Auicennæ quid.	332
383	œdema in genere quid
Nodorum triplex differentia	332
383	œdemata inueterata quomodo curanda
O	336
Obluionis causæ	œdematis signa
516	333
Obstructionis causæ in genere	œdematis curandi indicationes & scopi.
703	333
Oculi compositio & cū cerebro sympathia	œdematis à tumore flatu lento differentia.
568	337
Oculorum macularum curandarū ratio	œdematis curatio
600	338
Oculorum ulcera curandi ratio	Oleum uetus magis fiat & calefactis recentibus
585	62

## I N D E X

- Oleum rosaceum in incrementis inflammationum utilis.* 282  
*Oleum immaturum magis repellit & refrigerat: maturum magis digerit.* 283  
*Olea cum inueterascunt calidiora fiunt magis & digerunt* 735  
*Olei Zanerini confectio* 228  
*Olei ex Ben usus* 704  
*Olei Lentiscini ad gingivarum & vicinarum partium dolores praestantia.* 735  
*Omphacij qualitates.* 305  
*Ophthalmiae curandera tio* 572  
*Oris partium descriptio* 729  
*Oris affectuum curandi indicationes* 732  
*Oris appellatione quid intelligendum.* 728  
*Oris affectus curandi ratio.* 728  
*Oxymelitis in putredine non ulcere usus* 278  
*Ozena unde generetur* 669  
*Ozenarum curatio, quae medicamenta requirat.* *ibid.*  
*Ozenae unde dicantur* 664  
*Ozenae ulcera narium* 664  
*Ozena & Polypi curandi ratio* 666  

P

*Palpebrarum affectus curandi ratio* 607  
*Palpebrarum affectus uarij* 609 625  
*Palpebrarum oedema* 610  
*Palpebrarum usus* 607  
*Palpebrarum affectuum tres differentiae.* 608  
*Palpebrarum uicerationis causa* 510  
*Palpebrarum aspre dinis curandi ratio* 617  
*Palpebrarum affectus curandi ratio.* 607  
*Palpitationis causa.* 550  

Poro-

I N D E X

- Parotides in genere inflammationum 721
- Parotidum curatio in quo à reliquis inflammationibus differat 722
- In parotidibus materia attrahenda ad exteriora 724
- In parotidibus non repellendum 723
- In parotidibus quæ cataplasmata & localia conueniant 725
- Partes corporis principales 402
- Partes corporis duplices 3
- Partes vulnere diuise opera natui caloris coalescunt 79
- Partium tenuitas in cadis & frigidis reperitur 128
- Parygri medicamenti compositio 358
- Pastillorum Andronis descriptio 356
- Pastillorum ex Glauccio vsus 710
- Pauli de bubonum repulsione reprehensio 320
- Perdicij vel parietariæ herbæ ad lichenas faciei vsus 660
- Phagedena causæ 162
- Phagedenarum curatio 161
- Phenicini emplastri Galeni descriptio 109
- Phlegmone quid Grecis significet 262
- Phlegmones significationes 262
- Phrenitis inflammatio est membranarum capitis, lethargus substantiæ cerebri 511
- Phrenitidis & lethargi differentia 510. & 511
- Phrenitidis & lethargi curatio initio similis, deinde contraria 491
- In phrenitide aluum le-

# I N D E X

<p> <i>nitentia sint admodum</i>  <i>mitia &amp; refrigerantia</i>                      483  <i>In phrenitide catapotia</i>  <i>non probari</i> 483  <i>Phibiriaseos remedia</i>  <i>apta</i> 439  <i>Phygeihli à phymate</i>  <i>differentia</i> 312  <i>Phymata vel tubercula</i>  <i>citò generatur &amp; citò</i>  <i>etiam suppurantur</i>                      311  <i>Phymata uel tubercu-</i>  <i>la unde oriantur</i>                      312  <i>Phymatum à phygeth-</i>  <i>lis differentia</i> 312  <i>Pilorum generatio qua-</i>  <i>lis</i> 414  <i>Picuitæ differentia</i>                      331  <i>Pityriasis &amp; phthiriasis</i>  <i>curandi ratio</i> 435  <i>Pityriasis quomodo à</i>  <i>phthiriasi differat</i>                      436  <i>Pleuritidis tempora</i>                      270                 </p>	<p> <i>Plumbum ustum siccatur</i>  <i>&amp; digerit</i> 68. 69  <i>Polypus narium quis</i>  <i>affectus</i> 665. &amp;                      974  <i>Polypigeneratio</i> 665  <i>Polypi &amp; ozena cu-</i>  <i>randi ratio</i> 666. &amp;                      674  <i>Polypi curatio Galeni</i>                      676  <i>Ad polypos curandos</i>  <i>Galeni medicamen-</i>  <i>tum</i> 676  <i>Populini unguenti con-</i>  <i>fectio</i> 496  <i>Pruritus in senes difficul-</i>  <i>ter curatur</i> 391  <i>Pruritus &amp; scabiei cu-</i>  <i>randi ratio</i> 391  <i>Psydracia capitis que</i>  <i>dicantur</i> 442  <i>Psoze &amp; lepre cause</i>                      390  <i>Prterygium in oculis</i>  <i>quid</i> 613  <i>Ptilosis quid</i> 611. &amp;                      639  <i>Pulvis ruber precipi-</i>  <i>tatus</i> </p>
--	---

I N D E X.

- tatus Ioannis de Vico chirurgi* 168. & 192
- Pueri denticientes multa & graua patiuntur symptomata* 748
- Pulueres vulneribus inspergendi tenuisissime leuigari debent* 41
- Pulueris rubei incarnantis descriptiones uariae* 43 & sequentibus
- Pulueris rubei Ioannis de Vico chirurgi compositio* 192
- Pulueris praecipitati uisus* 678
- Puris effluxus in finibus quomodo procurandus* 174. & 175
- Puris generatio a calore natiua tantum non fit* 287
- Pus in inflammationibus quomodo generetur* 267
- Pus album, leue, aequale concoctionis signum* 267
- Putredinis in ulcere sub orientis cause* 146. 147
- Putrefactio fit a calido & humido* 202
- Putrefactionis in nobis maxima causa: probibita difflatio & transpiratio* 149
- Q**
- Questiones de nominibus praetermittenda* 403
- R**
- Remedia semper morbis accommodanda* 670
- Repellentia in inflammatione glandularum partium non conuenire* 320
- Repellentia quando adhibenda in fluxionibus* 273
- Resolutio quot modis fiat* 551. & sequentibus.

# I N D E X

<p>Resolutioni apta remedia 555</p> <p>In Resolutione an vena secunda 561</p> <p>Resolutionis &amp; conuulsionis medendi methodus serè eadem 560</p> <p>Resolutionis curanda ratio 550. &amp; 555</p> <p>Reuulsio fluxionum quo modo fiat 92</p> <p>Reuulsionis sanguinis rationes variae. 239. 240</p> <p>Reuulsionis modi uarij 239. &amp; 240</p> <p>Reuulsionis &amp; deriuationis differentia 239</p> <p>Ruptionis uasorum causa 233</p>	<p>Etis glutinis officio fungitur 19</p> <p>Sanguinis ex uulnere fluentis sistendi ratio 29. 59. 60. 61.</p> <p>Sanguinis profluuium quas noxas &amp; pericula afferat 322</p> <p>Sanguinis resudationis causa 632</p> <p>Sanguinis locus proprius uenae &amp; arteriae 681</p> <p>Sanguinis è naribus fluentis sistendi ratio 683</p> <p>Sanguinis profusio quod symptoma 680</p> <p>Sanguinis qualibet excretio præter naturam excepta menstrua purgatione 681</p> <p>Sanguinis profluuij pro uaria causa uel occasione uaria quoque sistendi ratio est 337</p>
---	---

Sanguis in agglutinandis partibus disse-

Sanguis-

I N D E X.

- Sanguinis profusij causa.* 233. & seq.
- Sanguinis profusij ex ulceribus vel uulneribus sistendi ratio* 237
- in sanguinis profusio uacuatio per uenam sectam tutior quam per medicamenta uacuatio* 240
- Sarcotica composita* 79
- Sarcotica medicamenta simplicia mediocria* 78
- ualentiora* ibid.
- Scabiei & pruritus curandi ratio.* 391. differentia. 389 & 390
- Scirrhus alius à pituita, alius à melancholico succo oritur* 346
- Scirrhus quomodo in cancerum transeat* 358
- Scirrhus quis tumor uocatur* 345
- Scirrhus cancerosus quid* 368
- Scirrhii in solidioribus partibus quam in mollioribus sepius euenire solent* 347
- Scirrhii exquisiti incurabiles: non exquisiti difficulter curantur* 347.
- Scirrhii ex atrabile ad naturam canceri accedunt* 352
- Scirrhii signa* 346
- Scirrhii curabilis curandi ratio* 345. et 348
- Scirrhii à pituita & melancholia orti differentia* 346
- in Scirrhis quatenus initio repellendum* 349
- Scirrhorum materia* 345
- Scirrhorum ab inflammatione differentia* 346
- Scopus medici uulnerij in curandis uulnere*



I N D E X.

ribus quis & quotu	ratio	126
plex 23	Sonitus in auribus cause	719
Septica medicamenta		
que 202	Sordes in ulceribus quo	
Septica medicamentapi	modo detrahatur. 75. 76	
trifacientia dicun-	Sordium deterfio & su-	
tur improprie 202	peruacui humoris ex	
Septicorum medicamen-	siccatio max. in fini-	
torum simplicium e-	bis procuranda. 176	
numeratio 204	Sordium in ulcerib. cau-	
Siccitas lima caloris 166	se 124	
Siccitas dolorem conci-	Spasmi in neruis cause	
tare non potest ma-	714	
gnum 688	Sphacelus uel fideratio	
Sieff de thure Rhasis cō-	quid 145	
positio 597	Sphaceli quomodo ge-	
Simplicia uulneribus cu-	nerentur 267	
rands apta 28	Steatomata que dicantur	384
Simplicium cognitio ad	Steatomata in iecoris et-	
cōpositionē necessa-	iam substantia inue-	
ria 16	niu Trincauell. 384	
Sinus quid 169	Sternutatoriorū usus 537	
Sinus plerunque ex ab-	Sternutatoriorum medi-	
scētibz oritur 170	camentorum enume-	
Sinum differentia 170	ratio 539. & seq.	
Sinum cause 170	Struma quid, & ubi o-	
Sinum curandi ra-	riri soleant 381	
tio 171	Strumarū generatio 383	
Sinum callosorum cu-	Struma-	

I N D E X.

<i>Strumarum uel nodorū</i>	<i>Terebinthine uere suc-</i>
<i>curatio</i> 385	<i>cedanea</i> 139
<i>Strumarum &amp; bubonū</i>	<i>pro Terebinthina lari-</i>
<i>differentia</i> 381	<i>cea resina uti possu-</i>
<i>Strumis qui potissimum</i>	<i>mus</i> 139
<i>obnoxij</i> 382	<i>Terebinthine uis deter-</i>
<i>Suppurantia medicamē</i>	<i>gens moderata</i> 133
<i>ta calorem humano</i>	<i>Tertij libri scopus</i> 2
<i>similem habent</i> 287	<i>Tetrapharmaci medica-</i>
<i>Symphytij mira uis in sa-</i>	<i>menti usus</i> 319
<i>nando carbunculo</i> 327	<i>Thermæ digerentes &amp;</i>
<i>Symptomata quando</i>	<i>discutientes in Italia</i>
<i>uim indicandi ha-</i>	<i>que</i> 315
<i>bent</i> 231	<i>Trachomatis oculorum</i>
<i>Symptomata quatenus</i>	<i>differentie tres</i> 603
<i>symptomata nullam uim</i>	<i>Transpiratio prohibita</i>
<i>indicandi habent</i> 681	<i>maxima putrefactio-</i>
<i>Symptomata uehemen-</i>	<i>nis in nobis causa</i> 249
<i>tia in uulnerib. que</i>	<i>τρωμα Græcis quid si-</i>
21.22	<i>gnificet, eiusq; ety-</i>
<i>Symptomata aliquando</i>	<i>mon</i> 14
<i>causæ induunt ratio-</i>	<i>Tremoris causæ</i> 500
<i>nem</i> 231	<i>Tripharmacii emplastri</i>
<i>Symptomata quomodo</i>	<i>Mesues descriptio.</i> 84
<i>indicent</i> 17	<i>Triticum masticatum tu-</i>
<i>Symptomatum in inflam-</i>	<i>bercula magis matic-</i>
<i>matione causa</i> 264	<i>rat quā contusum</i> 604
& 265	<i>Turgores præter naturā</i>
<i>τρωγίς oculorum quid</i>	<i>pro diuersa materia</i>
601	<i>Ccc 4</i>

I N D E X.

diuersam exigunt cu rationem 262	claudantur 244
Tumores præter natu- ram in quo morbo- rum genere 9	Vasorum apertionis cau- se 233. 242
Tumores uentosi inte- rius aliquando quasi fluctuant 338	Vasorum ruptionis cau- se 233
Tumores flatulenti in quibus corporis par- tibus excitentur 337	Vene sectio in cancro u- tilis 372
Tumoris flatuosi gene- randi ratio 337	Venarum iugularium profluuium sangui- nis solis Medicamen- tis citra uinculum est restringendum 259
Tumorum flatuorum curandi ratio 337	Venarum et arteriarum apertionis cause 681
Tumorum flatuorum pars affecta 337	Vermium in auribus ge- neratio et ortus 719
Tumorum differentie quomodo fiunt 8	Vermium ex auribus e- ductionis ratio 710
Tumorum præter natu- ram cause 261	Vermes aurium quibus medicamentis neca- ri possint 720
Tumorum præter natu- ram generatio qua- lis 261	Vigiliarum cause 516
V	Viridis simplicis empla- stri compositio 138
Varis callosis quæ medi- camenta conueniant 655	Viridium emplastrorum Galeni descriptiones 136. 138
Vasa aperta quomodo	Vinum uetus nouo ma- gis

I N D E X.

gis siccat	680	bus, deinde relaxan-	
Vinum per se oculis &		tibus indigent	82
neruis ex Mefue fen-		Vlcera callosa duobus	
tentia nocet	216	bus modis fieri sole-	
Vini mulsi & mulsæ fa-		re	187
cultates	710	Vlcera ostracosa quo-	
vitrorum conficiendo-		modo fiant	186
rum materia	208	Vlcera omnia exsicca-	
Vlcus sordidum	69	tione imprimis cu-	
malignum	&	rantur	174
Cacoeihe	ibid.	Vlceris & uulneris diffe-	
Corrosiuum	72	rentia	14
serpens	ibid.	Vlceris dyssepulotici cu-	
fluxioni obnoxii	72	ratio	92
δυσεπούλωτορ, .i. e-		Vlceris simplicis curan-	
grè cicatricem admit-		diratio	66
ters	72	Vlceris concaui curandi	
cauernosum	&c.	ratio	74
ibidem.		Vlceris putridi scopus	
Vlcus cum uulnere Gale		primus	358
mus quandoque con-		in ulceribus omne contu-	
fundere uidetur	14	sum putrescit necessa-	
Vlcus exiccationem &		rio	469
quandam deterfio-		Vlceribus dyssepuloticis	
nem desiderat	476	& malignis nihil per	
Vlcera omnia exsicca-		inde aduersarium si-	
tione & deterfione		cut olea & mollien-	
curanda	708	tia	108
Vlcera initio repellenti-		Vlcerum que differen-	

# I N D E X

<i>tia</i> 65. & sequentib.	<i>Vlcus sordidum</i> quò red- datur <i>ibidem.</i>
<i>Vlcerum erodentium cu- ratio</i> 161	<i>Vlceris symptomata</i> cù excreuerint induunt naturam causarum 69
<i>Vlcerum putrescentium differentiæ</i> 144	<i>Vlceris symptomata</i> quã do <i>vlcerum differen- tias</i> constituunt <i>ibid.</i>
<i>Vlcerũ sordidorũ curan- di ratio</i> 122	<i>Vlceris symptomata</i> quã do indicationem ha- bent propriam <i>ibid.</i>
<i>Vlcera quæ in presenti tractatu dicantur</i> 65	<i>Vlceris symptomata</i> à natura <i>vlceris</i> alie- na quæ <i>ibid.</i>
<i>Vlcera munda curandi ratio eadem omnino est cum ea qua curan- tur vulnera</i> <i>ibid.</i>	<i>Vnguentum nigrum A- uicennæ</i> 86
<i>In vulneribus curandis non vna est natura ra- tio</i> 65	<i>Vnguenti aurei Mesue descriptio</i> 80
<i>Vlceris prima diuisio</i> 66	<i>Vnguenti Apostolorum descriptio</i> 189
<i>Vlcus quid propriè &amp; per se sit</i> <i>ibid.</i>	<i>Vnguenti Aegyptiaci cõ- positio</i> 160
<i>Vlcerum differentia ab ipsorum sympto- matis distinguendæ</i> 67	<i>Vnguenti de G. Elemi de scriptiones</i> 504. et 505
<i>Vlcerum differentia à symptomatis sum- ptæ</i> 67	<i>Vnguenti de Perichyme- no uel matrisylua de- scriptio</i> 501
<i>In vlceribus semper icho- rosum excrementum congeritur</i> 68	<i>Vnguen-</i>

I N D E X.

Vnguenti populeon de- scriptio et facultates 496	dum etiam idiotis no- tum, sed quibus is sit efficiendum artifici- tantum ibidem
Vnguenti ex plumbo cō- positio 88	Vulnera simpliciora que 19
Vnguenti resinati descri- ptio 79	Vulnera simpliciora cō- glutinandi ratio 19. 20
Vrina cruda extreme 142. concocta que, l- bidem.	Vulneris agglutinatio soluti nature opus 20
Vrinarum differentie in egris 143	In uulnere agglutinan- do quomodo medicus naturam inuet 21
Vnitatis solute varie ap- pellationes 12. 13	In uulnere agglutinan- do symptoma maxi- mum sanguinis pro- fluuium 21
Vnionis solute uarie cu- randi rationis cause 12	Vulnera maiora & pro- fundiora sanguinis profluuium ut pluri- mum sequitur 22
Vnionis solute differen- tie 10	Zæteri olei cōfectio 228
Vulnus affectus simpli- cior ulcere 14	Zacharum digerentis fa- cultatis 604
Vulnera simpliciora que dicantur 22	Zachari candi Rosati in oculorum maculis v- sus 604
In uulnere recenti que prima sit indicatio cu- randi 18	
Vulnus esse agglutinan-	

F I N I S.

**INTER RELEGENDVM**  
errata animaduersione sic  
corrigito.

*Pag. 491. lin. 3. lege, de phrenitide.*  
*604. lin. vlt. mandendum.*  
*608. lin. 1. occaluerit.*  
*680. lin. 3. Conficiatur.*

BASILEÆ EX OFFICI-  
na Petri Pernæ, Anno recupe-  
ratæ Salutis humanæ  
*M. D. LXXI.*